Angelica 235

Digitized by Google

6

2/F

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV,

Anni M. D. XCVIII.

Ad Patres, ac Fratres eiusdem Societatis.



Bibliotheca Angelica

LVGDVNI,
Ex Typographia IACOBI ROVSSIN.
M. DCVII.
Superiorum permissu.

Google

Digitized by Google

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV,

Anni M. D. XCVIII.

PATRIBVS, FRATRIBVSQ. SOCIETATIS IESV, BERN. DE ANGELIS SECRETARIVS,

Gratia & pax Christi Domini, &c.

NOSTRATIVM annalium consuetudo (Patres, Fratresque charissimi) vt à Maioribus nostris instituta sapienter est, atque ad animorum inter se coniunctionem hac rerum gestarum communione præclare sancita: sic &

Digitized by Google

posteris incitamentum gloriæ, ad Dei laudem & perillustrem commemorationem nostri nominis, id est, Societatis IESV, ad hæc usq; tempora hæreditario penè iure seruata, & aucta est pari laude, fructu non dispari. Hinc est, quod vt communi consolationi vberius prospiceretur, prudenti Patrum nostrorum consilio in quarta generali Congregatione decretum fuit, non absre Societatis futurum, si per idoneum ad id muneris virum ex Prouincijs, litteris annuis, seu capitibus Romam perlatis, quasi è rudi materia nouum opus expoliretur, & annua Prouinciarum omnium memoria publicis litteris colligata, in Societatis lucem quotannis daretur, vt ipsa sui status vniuersum sub vno quasi aspectu positum contemplaretur, & Deo grates referret: quod ex voto successit multorum serie annorum, licet interrupta illa quidem iustas ob causas, sed tamen post ea renouata. Verùm cum multa secum sæpè ferat longa dies experientia addocente, quæ minimè antea sperari fas fuit, ac decursu temporis difficultates ipsa rerum se prodant, quæ antea delitescebant, vt sæpe rerum omnium initia paululum obscura; alia P. Nostri ex PP. Assistentium consilio, & rogatu Prouinciarum scribendi ratio ineunda visa est, qua expeditior, & ob id periucunda, quæ compendiosa, vt creditur futu

futura sæculi anteacti octauo & nonagesimo anno perscripta: ea verò fuit vt posteris annis ab eo tempore suos quæq; Prouincia Annales mitteret, ad exemplarium formam ita compositas atque perfectas, vt statim ac Romæ perlatæ essent Prouinciales annuæ, per Patres Assistentes censæ, recognitæq; in vnam deinde omnes generalem colligatæ, excusæq;, ad Prouincias remitterentur, idq; experiundi ergò vt viarum quasi in biuio facto periculo vtra succederet, quàve tandem aggrediendum, ac persistendum esset via, ad extremum sanciretur. En igitur, PP. Fratres sq; charissimi, vestros annuos fructus, quos IESV duce intulistis, remittimus, reddimus quas dedistis literas, penè nulla, vel exigua ijs facta mutatione rerum: cæterùm vestris coloribus, vestro penicillo depictas, quas hoc vno probatum iri vobis facilè confidimus; etsi dictionis apparebit dissimilitudo, sua quemque certè oblectabit varietas: tantum ne nullo delectu prodirent, collegimus, & ad vos multas pro vnis simul damus, ne per se solæ singulæ deperirent. Seriùs id quidem quàm volebamus, etsi necessariò, ne præter cæteras rationes præposteris semel perturbata annorũ serie annalibus vteremini, cùm priores annuæ ex veteri forma conscribendæ, & ad Prouincias mittendæ fuissent his posterioribus. Verùm non sine fæ-

Digitized by Google

more reddentur, quippe quæ binæ, aut etiam ternæ pro vnis annuis, si per Typographum non steterit in singulos annos, auspice Deo, mittentur: quo certè fiet vt morosa illa annalium procrastinatio, eorundem aucto numero compensetur. Quòd superest, orandus est Deus, vt ad multiplices variósque fructus, quibus aucta Societatis seges quotannis sine cessatione se fundit, multiplicetur sui nominis gloria, ad quam nostra omnia diriguntur, accedat vberior; & labores hos nostros gratiarum quæ ipsi debentur, materiam nouæ vobis incitamentum industriæ, & gloriosam posteris imitationem exempli benignissimè fœcundet, atque vberiores, nitidioresq; reddat annis sequentibus. Romæ ex Professorum domo, Kalend. Aprilis, anno à Christo nato,

1607.

PRO-

PROVINCIA ROMANA.

NVMERAVIT hoc anno Romana Prouincia, si domum Professam excipias, Socios fermè sexcentos. Tyrones in album retulit vnum & triginta: ex quibus decem domesticis officijs, reliqui studijs optimarum artium addicendi. Duodecim in cœlestem prouinciam à supremo Imperatore translatos, vt sperare fas est, non tam amisit, quàm præmisit, pro susceptis in hac sacra militia laboribus, immortalibus præmijs afficiendos. Atq; vt ex præscripto, sub vnum aspectum simul numerus omnium distinctè initio constituatur, qui in singulis Collegijs versati sunt: primùm quidem ad Romanum pertinêre ducenti quadraginta septem: nam in ipso Collegio fuêre Sacerdotes 40. ex quibus, vndecim fermè, alij aliarum disciplinarum Professores: cuncti tamen Præceptores tres ac viginti, hoc est Grammaticæ Professores octo, quorum terni in tertia, seu infima, & in media schola, vtraq; ob discipulorum ingentem numerum triplicata, bini in suprema item gemina docent. In Humanitatis verò classe geminata bini, duo in vna classe Rhetorices, matutino alter tempore, alter pomeridiano: Professor vnus Mathematicæ, tres Philosophiæ, Ethicæ vnus, Christianorum officiorum duo,

vnus

vnus Hebraicæ linguæ, Theologię Scholasticæ duo, sacrorum denique voluminum vnus. Scholastici nostri 15. fuêre supra centum: reliqui adiutores temporales: quorum omnium tres & quinquaginta Romæ, cæteri partim in Tusculana sede, partim in Campana & Picena operam Romano Collegio nauant. In Collegio Pœnitentiariorum degebant hoc anno viginti vnus, quorum sunt Sacerdotes 14. Adiutores septem. In Romano Seminario tum clericis eiusdem Seminarij alumnis, tum conuictoribus instituendis dabant operam ex Nostris quatuor supra viginti: ex ijs quinque Sacerdotes, Adiutores quatuor, Scholastici quindecim. Verùm tres alij deinde accessêre: nempe Confessarius distinctus, ac proprius clericis restitutus, binisq; conuictorum contubernijs additis, totidem attributi Præfecti. Porrò Scholastici nostri, qui tum in hoc, tum in aliarũ, nationum externorũ Seminarijs recensentur, ipsi quoq; alumnorũ vel contubernijs, vel studijs domesticis præsunt. In Collegio Germanico sunt numerati quatuordecim quorum sunt Sacerdotes 7. quatuor Scholastici, totidem Coadiutores. In Anglicano decem: ex his quatuor Sacerdotes, Scholastici verò & Adiutores terni. Octo in Græcorum Seminario, quorũ terni Sacerdotes & Scholastici, Adiutores 2. In Maronitarum 4. nempe Sacerdotes & adiutores bini. In domo Probationis viginti duo supra centum diuersati; ex quibus antiqui Sacerdotes quinque, qui tertio anno exercentur vndecim, Adiutores quindecim. Nouitij anno ineunte vnus ac nonaginta: ex ijs futuri Scholastici octo supra sexaginta, tres ac viginti ad domestica officia recepti. Iam verò extra Vrbem, in Tyburtino quidem Collegio tredecim commorati: quorum sunt Sacerdotes quatuor, Præceptores duo, Adiutores septem. Setiæ, initio quidem anni septem duntaxat, hoc est, bini Sacerdotes, Adiutoresque, Præceptor 1. deinde verò Sacerdos alter, atq; alter Grammaticæ Professor accessit.

Digitized by Google

ceſſit. Florentiæ vnus ac viginti: è quibus vndecim Sacerdotes, Magiſtri duo, Adiutores octo. Perusiæ duodeviginti, Sacerdotes ſeptem, Magiſtri tres, Scholaſticus vnus, Adiutores ſeptem. Laureti duo ſupra triginta, quorum duo deviginti Sacerdotes, Adiutores reliqui. In reſidentia Montis ſancti omnino ſeptem; ex his, tres Sacerdotes, Adiutores totidem, Præceptor vnus. Hinc tamen tantiſper Noſtri ceſſerunt; quo ædificatio Collegij, quæ lentè diſtractis ad ſocios alendos vectigalibus, procedebat, celerius abſoluatur.

SED antequam ad ſingula Collegia veniamus, duo videntur breuiter attingenda, quorum alterũ ad vniuerſam Prouinciam, alterum ad Profeſſam domum propriè pertinet. Inſpectoris munus, vt à priore exordiamur, hoc primùm anno à N.P. Generali inſtitutum, quo Prouincias earum ſtatu probè cognito, ad religioſæ diſciplinæ ſtudium vehementius incitaret, in multis huius Prouinciæ Collegijs præclarè ſucceſſit. P. Ioannes Baptiſta Peruſchus (quod erat alterum, è duobus propoſitum) in Profeſſorum domo, profeſſus ipſe huius Prouinciæ antiquiſſimus, annoſq; natus tres ac ſeptuaginta, ſenectutem iuuentute illa, vt fas eſt credere, permutauit, quæ nullo vnquam ſenio contabeſcit. Annos fermè quinque ac viginti in Societate, quà Rectoris, quà Localis, quà Prouincialis Præpoſiti munus obierat. Vir erat antiquæ atque Euangelicæ planè ſimplicitatis, cum pari tamen prudentia iunctæ. Suaui Domini iugo ceruices iam inde ab ætate florenti ſubiecerat: nam vel antequam Societati noſtræ nomen daret, cum primis illis optimiſq; Romani Oratorij Clericis B. Philippo Nerio Inſtitutore, quod ſancti Hieronymi principio, iam nouæ Eccleſiæ dicitur, aliquamdiu vitam piè ſanctèq; traduxerat. Deinde verò in Societatem adſcriptus, & votis quatuor ab anno quinto & quinquageſimo huiuſce ſeculi, ſolemni ritu conceptis, ita profeſſioni ſemper factis, mo-

Digitized by Google

ribusq; respondit, vt meritò in numerũ Patrum nascentis Societatis referri posse videatur. Illud vnum (vt alia taceantur) argumento sit, quòd homo id ætatis confessionibus audiendis ad supremam vsque ægrotationem, multam operam daret assiduè: & quum Deo atq; hominibus satisfaceret, sibi tamen nunquam satisfaceret. Paucis enim ante obitum annis, impetrata precibus potestate ad rudes in pagis iuuandos, magna animi alacritate, contendit; quúmque inde reuersus in quartanam febrim ac diuturnam incidisset, ea tamen liberatus, adhuc potestatem ad oppida pagósq; redeundi flagitauit. Qua illi meritò propter ætatem, viriumq; imbecillitatem denegata, & si missionis labore caruit, fructu tamen piæ voluntatis, modestiæq; non caruit. Atq; hæc de tanto Patre, déq; domo nostrũm omnium parente dicta sint. Alia enim quæ de matutinis, vespertinisq; concionibus, de Sacramentorũ administratione, de illius templi celebritate ac frequentia, de trium Sodalitatum B. Virginis pietate, déq; alijs huiusmodi rebus, etsi permulta, nec ea vulgaria dici possent; omnia tamen quòd communia & similia superiorum annorum videri possint, silentio prætereuntur.

COLLEGIVM ROMANVM.

PRIMVM quidem quæ de domestica morum studiorúmq; disciplina ad socios propriè pertinent, quippe non ignota, sileantur: quę tamen, Dei beneficio, secundum cursum, vt superioribus annis, tenuisse visa sunt, aut etiam fortasse secundiorem. Deinde verò, vt paucis attingantur quæ sunt in externos officia deriuata, bini in sexdecim Vrbis templis, quini

Digitized by Google

quini in diuersis ædis nostræ professorũ Sacellis, diebus festis, Christianæ doctrinæ capita enuclearunt. Ad compita, ad valetudinaria, ad carceres iuerunt alij concionandi causa supra viginti, quatuor itidem ad Sacrarum cœnobia virginum. In his Societatis nostræ muneribus vt communia taceantur, pauca quædam ex præcipuis perstringentur. In quadam Parœcia die assumptæ in cœlum Sacro-sanctæ Deiparæ sacro, instituta Sodalitas eiusdem Beatissimæ Virginis. Dum leges promulgarentur, in quibus erat prima, vt singuli semel totius vitæ noxas expiarent; ex ijs qui nomina dederunt, vir iam quinquagenarius, aut etiam grandior, cœlesti quadam lætitia gestiens, expectare non potuit, dum cęterę leges omnes recitarentur: ergo magno animi sensu, socium nostrum seducit, procumbit in genua, manus illi osculatur, illum diuinitùs propterea missum esse confirmat: se enim iam diu idem illud optasse: rationem inire nescisse: ad eam rem opem & consilium petere. Id quod est actum, tanto eius bono; vt is & nostros prædicare non desinat, & domi suæ Paterfamilias concionator effectus, siquid forte cuipiam domesticorũ aduersi contigerit, ad eam crucem de manu Domini æquo animo suscipiendam cohortetur. Alter ex nostris dum pueros ad Catechismum opperitur in templo, plebeium hominem, quem diu multumq; laborans, nullis rationibus adducere potuerat, vt inimico iniurias condonaret, defixis tandem humi ante ipsum genibus, ita flexit, vt is etiam obortis lachrymis odium deponeret, atq; animum cõfessione, quam diu propter odium distulerat, expurgaret. In quandam publicam custodiam Rosarij B. Virginis pia consuetudo inducta, quotidie, alternis choris, clara voce, more psallentium, recitandi; Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacra mysteria diebus solemnibus, ineundi: ex eadem praui quidam mores in audiendo præsertim Missæ Sacrificio, offensionesq; subiatæ: confirmati animi damnatorũ ad supplicia suis de-

Digitized by Google

lictis debita, vt Christianos decet homines, perferenda. Porrò de perceptis è Scholis animorum fructibus illa videntur scribenda præcipuè. Nobilis adolescens è nostris Auditoribus ab æquali socio grauiter vulneratus, non ante adduci potuit, vt in lectulum corporis vulnus curaturus ascenderet, tametsi diu, multumq; à domesticis, atq; à Medicis rogatus, quàm Ecclesiæ Sacramentis animo faceret medicinam. Alius summis precibus à Magistro contendit, vt se vel insontem publicè in gymnasio cederet; cumq; ille negaret, nisi nocentes plecti solere, hic verò vrgere vt aliquam se plectendi occasionem Magister arriperet: cupere enim se aliquid, Dei causa, pati: propter quem nihil dum esset aliquando perpessus. Idq; non dicis causa, sed ita ex animo, eoque fletu flagitabat, vt Magistro quoque lachrymas eliceret.

ET quanquam in templo Collegij non nisi Auditorum nostrorum ferè Confessiones excipiuntur, quorum non pauci quintodecimo, atq; octauo quoq; die sua sponte id efficiunt, multi præcedentium quoque annorum maculas eluunt: nonnulli tamen interdum ex alijs extra ordinem audiuntur, siue id precibus impetrent, siue aliquando nominatim Sacerdotem confitendi causa deposcant. In his vir quidam nobilis, ætate prouectus, qui & magnas res gesserat, & multa erat expertus, tandem res humanas pertæsus cepit melioris vitæ constituendæ consilium. Itaq; superioris ætatis confessione magna vi lachrymarum peracta, simul se penitus, totumq; Deo tradere in aliqua familia religiosa decreuit. Scholæ tamen ipsæ quoq; nonnullos nostræ Societati, multò plures diuersis aliorum Religiosorum ordinibus tribuerunt: quorum certum numerum inire non licuit.

MENSE Maio Serenissimus Archidux Austriæ Ferdinandus ad Lauretanam ædem, pietatis ergò profectus, priuato propemodum comitatu, Romam venit. Vbi, pro

suo

Digitized by Google

ſuo in Societatem noſtram ſtudio, apud nos in domo Probationis, vt infrà dicetur, octo dies diuerſatus, Kalendis Iunij in Collegio noſtro cœnare non eſt grauatus. Sub finem igitur pomeridianæ Scholæ, magno diſcipulorum plauſu, Gymnaſij templum ingreſſus, ſacrámq; Euchariſtiam piè veneratus, inde in Bibliothecam Collegij ſanctiorem, tum in aulam ampliorem Collegij deductus eſt. Ibi, in perampla noſtrorum aperto capite aſtantium corona, ipſe quoq; etſi ad ſedendum inuitatus, conſiſtere, & quidem detecto capite tamdiu voluit, quamdiu oratio de eius laudibus ab vno è Rhetoricæ Magiſtris eſt habita: cui ſtatim Princeps optimus paucis hiſce verbis modeſtè reſpondit: Ego verò ſemper adhuc Societatem protexi, ſempérq; protegam. Cæterùm multa de me dicta ſunt, quæ veſtræ in me beneuolentiæ potius quàm meis promeritis videntur eſſe tribuenda. Ad hæc P. Rectori pauca pro tempore dicenti: Volo, inquit, dare manum more Germanico. Accurrit illicò à P. Rectore accitus orator. At eo ipſe non contentus, cæteris etiam voluit manus amicè porrigere; ergo ſingulis accedentibus, ac ſeſe, vt par erat, demittentibus, ipſe quoque ſe quàm maximè demittebat. Inde in alteram aulam longiorem, arctioremq; traductus, vbi fuit aliquantiſper ſpectandis Emblematis, legendiſq; de ſuo ad nos aduentu verſibus oblectatus, ad cœnationem venit. Super cœnam eſt à Noſtris viginti Linguarum generibus collaudatus. A cœna perhumaniter cum Patribus propè vſq; ad primam noctis horam collocutus, Rheda facibus prælucentibus ſe ad ædes eaſdem noſtri Nouitiatus recepit.

A C de rebus quidem domeſticis hactenus, ſiue etiam Vrbanis, quæ ad Collegium ſpectare videbantur. Iam verò vbi de ſuburbana meſſe, aut etiam paulo remotiore fuerint pauca de multis expoſita, ad alia Collegia venietur.

Digitized by Google

MISSIONES TRES EX COLLEGIO ROMANO IN Latium & Campaniam.

TRES hoc anno Pontificis Max. iussu Missiones institutæ ad finitima loca diuersæ. Ac primum quidem ad suburbanum agrum, & ad vicina Latij oppida, æstate propè ineunte, duo è nostris Sacerdotibus excurrerunt, atque adeo ad Pastorum caulas, quæ sunt in suburbano quamplurimæ; ex quibus non exigui animorum fructus reportati, confessionibus audiendis, rudibus edocendis, alijsq; Societatis muneribus obeundis. Vt Pastores ipsi mirarentur tantos à Nostris hominibus labores, æstiuis præsertim caloribus, nulla mercede proposita, vltrò ipsorum causa susciptos: ac propterea ingentes tum ipsis, tum Pontifici Maximo gratias agerent, qui pro sua in vniuersum Christi gregem prouidentia, ipsorum quoq; meminisset. Nec defuerunt, qui odia, simultates q; deponerent, qui improborum consuetudines abijcerent, qui Pœnitentiæ mysterium frequentare statuerent, qui pudica & pia cantica (pueri præsertim ac puellæ) profanis omissis, impuris que concinerent.

DVO item alij alias Campaniæ oras & oppida peragrarunt. Agendi ratio vt semel proponatur (quoniam erit id scitu fortasse non minus vtile quàm iucundum) erat huiusmodi. Simul atq; ad Curiam quampiam, siue Paroeciam ventum erat, primum quidem Christum Dominum in templo venerati, Parocho sui aduentus consilium exponebant: deinde verò, ab eodem data potestate, atque adeo ipso plerumq; comitante, in oppidi forum procedebant: ibi si quos forte offendissent, ad Confessionem & ad Indulgen

Digitized by Google

dulgentias à Pontifice Max. allatas inuitabant, postridie mane super Missæ Sacrificium promulgandas. In pleriſq; locis, eodem die ad primam aut alteram vſq; noctis horam confeſſiones audiebantur. Poſtridie mane vbi illuxiſſet, res diuina fiebat, dato perſæpe ſigno, vt ad concionem ſolet. Ergo ad aram ipſam poſt Euangelium recitatum, Indulgentijs enunciatis, nonnulla præterea capita, alia tamen alibi, prout Parochi monuerant, attingebantur: nempe de Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis myſterio, de Sacroſancta Euchariſtia, de Pœnitentiæ, Confeſſionisq; neceſſitate atque integritate: de Indulgentiæ fructu, de feſtorum dierum cultu, de obſeruantia erga Sacerdotes animarúmq; Paſtores, déq; alijs generis eiuſdem, quatenus populi rudis inſcitia poſtulabat, quo facilius deinde ſingillatim confeſſiones, ac fructuoſius audiebantur, quas huiuſmodi capitum explicatio publicè præceſſiſſet. Multis in locis non modò ad aperiendam noſtris conſcientiam, priuati quique è populo, ſed etiam Magiſtratus & Clerus, atque adeo ipſi Parochi confluebant. Et quamquam nuſquam fermè per tempus liceret omnes audire, vbiq; tamen curatum, vt quibus maximè neceſſe eſſet, fieret ſatis: reliqui à Parochis audirentur. Tanti verò fiebant ad confeſſionem vbiq; concurſus; vix vt ad canonicas horas recitandas ſatis temporis permitteretur. Et nemini quidem Noſtri graues eſſe, neq; priuatim, neq; publicè voluerunt: prohibere tamen alicubi nequiuêre, quo minus publicè ſumptus neceſſarij Parochis ad noſtros alendos ſuppeditaretur. Porrò ipſi Parochi eorum aduentum ſibi pergratum fuiſſe tum verbis, tum re ipſa declararunt. Ita ſex luſtratis oppidis, ad Vrbē, cui iam Ciuitati Caſtellanæ nomē, peruenēre. Vbi à Reuerendiſsimo Epiſcopo Andrea Longo perhumaniter accepti, atque adeò rogati, vt in ſua quoque Diœceſi eadem obire munera pergerent, ab eodem ad Parochos literas acceperunt. Et ſane, quod ſe No-

Digitized by Google

ſtri ad Ordinarium ante contulerint, non parum ad animarum ſalutem in ea Diœceſi procurádam interfuit: eóq; gratior hæc profectio, atque vtilior omnibus accidit, quòd nunquam eſſent antea Noſtri ad ea loca profecti: quæ tamen hac opera maximè indigere videbantur. Ergo eadem ratione vndecim huius Diœceſis, vt ſena prius Latij, oppida perluſtrata. Porrò ex hac vniuerſa expeditione illi videntur præcipuè fructus eſſe percepti: Primum quidé, quòd ita res grata omnibus, vt ſupradictum eſt, etiam Parochis fuit: iis præſertim ad quos Noſtri tum primum venerant, vt paſſim & Pontifici Maximo & Societati noſtræ gratularentur, ſupplicarénteque vt ſæpius redeatur, & diutius maneatur, cunctis affirmantibus inuentum id eſſe prorſus admirabile ac diuinum ad innumerabiles prope animas è Diaboli laqueis eruendas. Deinde, quòd vel in agris ipſis Paſtorum confeſſiones, dum greges ſequerentur, auditæ, quibus præſertim gregum cuſtodia detentis, ad Paſchatis ferias id efficere minimè licuiſſet. Tum quod vbi eſſent ſacrarum forminarum cœnobia, & ipſarum & Vicarij rogatu, cunctarum ſunt Confeſſiones exceptæ, magno illarum bono ſimul & gaudio. Prius tamen ad eaſdem publicè habitæ cohortationes, ad quaſdam minimè religioſas conſuetudines abolendas, eas præſertim quæ paupertatis voto aduerſari viderentur. Longum eſſet ſedata diſſidia recenſere, quum alicubi ſit iniuriarum condonatio publicis etiam literis conſignata. In his quædam pacificatio fuit populo gratiſſima, quòd ſimultas inter eius loci principes intercederet, vt propterea iam in partes populus, factionéſque diſtraheretur. Neque ſolum inter multos coniuges eſt gratia reconciliata: verùm etiam Parochi non pauci ad mutuam reducti concordiam. Peruerſæ quorundam in coniugio conſuetudines ſublatæ. Curatum, vt malè parta pecunia redderetur. Multis in locis effectum, vt vnum aliquod Miſſæ ſacrificium prima luce, diebus feſtis, propter

Digitized by Google

pter eos celebretur, quibus est aliquò negociorum causa proficiscendum. Varijs locis nimia seruilium operarum festis diebus licentia, publicè, priuatimque reprehensa: monitique sunt populi palàm, vt siquid interdùm festo die agere sit necesse, ne tamen id fiat, nisi facta ab Ordinario potestate. Data est opera vt error profligaretur, quo plerique decepti, non debere Virgines rei diuinæ, nè diebus quidem festis, interesse, censebant. Superstitionibus, ac maleficijs itum est obuiam: denunciatúmque res huiusmodi ad Ordinarium esse deferendas. Curatum, vt multi inueterata intemperantia præcisa, proximas etiam peccandi causas amputarent. Singulis post auditam confessionem, quorum numerus quatuor millia creditur excessisse, ratio aliqua tradita, pro cuiusque ingenio, piè vitam instituendi, ijs præsertim qui possent cæteris quoque exemplo, consilio, auctoritate prodesse. Explicata denique sunt quibusdam in locis more nostro, pueris Christianæ fidei elementa, diebus festis à prandio, multis confluentibus: vnde cohortandi pro re nata occasiones arreptæ.

DENIQVE alij duo in Sabinum agrum Pontificium Iobelæum attulerunt, ijs, qui animos sacris Confessionis, & Eucharistiæ mysterijs ad illud consequendum adornassent. Ex ijs mille fermè, vel totius ætatis, vel certè multorum annorum confessiones instituerunt. Qui autem sibi tanto præsidio maximè indigere videbantur, vbi præsertim vnus degit Sacerdos & Pastor animarum, ij Iobelæum hoc tanquam de cœlo demissum, sublatis manibus, acceperunt. In oppido quodam mulier pectine diffracto, quo ad linum pectendum vtebatur, ex æde sancti Blasij eius oppidi Patroni, ferreum pectinem ad eiusdem statuam appensum sustulit, vt ibidem postquam esset vsa, reponeret. Verùm, vt fit, oblita deinde, grauique angina correpta, propterea que pectinis admonita, illum simul atque in suum locum restituit, repentè conualuit.

Digitized by Google

ALIAE QVAEDAM MISSIONES.

PRAETER has instituta profectio, Septembri mense ineunte, Politianum Etruriæ vrbem. Vbi ad quatuor prope menses alter eorum Sacerdotum, de quibus suprà scriptum, commoratus est, vno dumtaxat Socio è nostris fratribus addito. Principiò in ipsa Ciuitate præstò fuit Episcopo, qui eum & Conciones diebus Dominicis habere voluit, & Catechismi pueris explicandi initium facere: comite deinde rem quotidie, omnibus conuenientibus, persequente. Ibidem religiosæ quædam, & vetustę consuetudines excitatę, quæ iacere propemodum videbantur: vt scilicet Feriarum diebus ante vespertinas precationes, in æde summa, verba de rebus diuinis fierent: vt quotidie in oratorium quoddam se per semihoram precandi Numinis causâ multi reciperent: vt se ipsi ter in hebdomada funiculis cederent. Atque ad populum excitandum ipse quoque cum Socio dies complures piæ meditationi, propositis initio ad meditandum capitibus, interfuit. Deinde semel tum discipulorum, tum sacrarum fœminarum confessiones excepit, & easdem est perpetua oratione communiter sæpius cohortatus. Tum Octobri mense, cùm iam esset Episcopus diœcesim de more lustraturus, quæ decem omnino pagis continetur, trecenorum, aut ducenorum quinquagenorum capitum, præter pueros nondum ad Eucharistiam sumendam idoneos; ita singulos pagos Nostri & quidem pedites, Episcopum præibant, vt in singulis biduum diuersarentur: quo tempore eadem fermè munera obibant, quæ supra sunt in secunda præsertim

tim expeditione commemorata. In his tamen pagis præterea illud acceſſit, quòd inuitatis à noſtro Sacerdote Parochis, ad opem ſibi ferendam in confeſſionibus audiendis, populo Indulgentia denunciabatur, quam Epiſcopus ijs omnibus impetrarat, qui per eos viſitationis dies, Confeſſionis, & Euchariſtiæ præſidijs munirentur. Quod etſi pergratum Parochis accidit, quum præſertim ipſi quoque ſibi peccata confitentibus, eaſdem poſſent Indulgentias impertiri: multi tamen vt noſtri Sacerdotis aures nanſciſcerentur, partim in templo totos dies, (& ſi erat ſementis tempus) præſtolari, partim eundem ante lucem conuenire, partim in Vrbem, aut alios pagos ad eum adire malebant. Porrò Nouembri menſe eadem eſt ratio in Ciuitate luſtranda ſeruata: concio tamen initio habita ad ciuium animos præparandos. Tanti autem facti in Vrbe ipſa non opificum modò, ſed etiam nobilium ad expianda peccata concurſus, ea pietas & ardor fuit animorum, vt vel ipſius Epiſcopi expectationem ſuperaſſe videretur. Parochijs igitur, cœnobijs, ſodalitatibus obitis, ſynodus menſe Decembri eſt inſtituta: vbi de diſciplina Eccleſiaſtica Sacerdos noſter ad Clerum: Aduentus verò tempore in ede maxima de ſymbolo ad populum verba fecit, diebus feſtis ad veſperam: nec mane tamen, tum ijs, tum cæteris diebus deſtitit confitentibus operam dare.

ERGO vt huius profectionis præcipuæ vtilitates breui perſtringantur. Primùm quidem vniuerſi, ſummi, infimi, medij ſunt ad Confeſſionem ſacramentalem adducti. Id quod ſinguli de ſuo quiſque populo Parochi confirmabant. Deinde coniuges multi, vt alibi, pernicioſis ex inſcientia ortis erroribus liberati: multi ab execrandis ſuperſtitionibus atque præſtigijs: alij à diebus feſtis violandis deterriti: impudicæ fœminæ ad pœnitentiam continentiámque traductæ: tum viris non paucis perſuaſum, vt pellices pellerentur: adoleſcentibus

Digitized by Google

scentibus, vt prauorum consuetudinem repudiarent. Denique Catechismus ita sedulò traditus, vt probè illum pueri tenerent, crebris præmijs in eo recolendo propositis, dialogo etiam de Christi Natali, magna Ciuium gratulatione ab ijsdem pueris exhibito. Quę res mirificè vitæ sunt omnium voluntates Societati nostræ conciliasse, vt vehementer Collegium Politiani restitui cuperent, palámque dictitarent, calumnijs olim maledicentium factum fuisse, vt inde Nostri recederēt. Quorum calumniatorum princeps, Deo vindice, palinodiam publicè canere, nostrisque famam restituere sit coactus: id quod est publicis tabulis eorum testimonio qui affuerant, consignatum. Quò vehementius est populi erga Societatem studium amplificatum: cunctis affirmantibus nullam vnquam à Ciuitate grauiorem, quàm quum sunt Patres amissi, acceptam esse iacturam. Quare de recuperandis agere seriò, variásque ad rem consequendam rationes inire cœperunt. Sacerdotes præterea duo complura oppida Firmanę Diœcesis, eadem Societatis munera exequentes, obiere. Missus est itidem Quadragesimæ tempore Sacerdos è nostris Nouitio vno comitatus, concionandi causa, Pontianum Campaniæ oppidum: Is populum ibi probè institutum offendit, quippe quem antea alij ex nostris Concionatoribus erudierant: præsertim verò P. Simon Bartholus, cuius vel septennio ante vita functi, recens tamen adhuc inibi memoria vigebat: qui diu ibidem quotannis fuerat, per Quadragesimæ tempus fructuosè concionatus; vt adhuc frequens Sacramentorum vsus retentus testabatur. E concionibus tamen huius anni non tenues fructus esse perceptos, argumento sit vnam, quę sexta feria ineuntis Quadragesimæ de condonandis iniurijs est habita, insignis pacificatio consecuta, quam hic operæpretium videtur attexere. Inquilinus quidam iuuenis, senem indigenam primarium, cui nescio qua de

causa

Digitized by Google

causa erat infensus, multis securis ictibus propè ad necem in ipsius domo percusserat. Quapropter metuebatur ne à senis propinquis certa tam insolenti iuueni pernicies pararetur. De pace, rogatu parentis ipsius iuuenis, agi cœptum: quę res tamen ita nocentis expectationem superabat; vt vereretur potius, ne, pacis simulatione, Præfecto malè mulctandus traderetur. Tandem hoc illi metu multorum verbis adempto, ad senem iuuenis venit, séque incusans, demissè veniam petit, humi procumbit, pedes etiam osculatur: quid multa? senex quoque tanta iuuenis demissione commotus genua ponit, vicissimque ab eo veniam precatur, à quo tam graui esset violatus iniuria. Alius quidam, habitus alioqui vir probus, domi ancillam pellicem vxoris loco ante triennium demortuæ, permagna oppidi offensione, retinebat. Verendum in primis videbatur, ne talis viri atque id ætatis hominis exemplo (quippe qui annum quintum & quinquagesimum excesserat, & vnus tamen toto oppido publicus concubinarius censebatur) alij permulti in flagitium pellicerentur: siquidem ea est mortalium imbecilla conditio, vt quæ principes peccata concipiunt, ea in ciues reliquos facilè transfundantur. Egit Sacerdos noster cum homine prudenter, simulatque acriter, vt pellicem omnino dimitteret. Quod quum is vt faceret nulla ratione animum posset inducere; magno tandem labore perfecit, Principum etiam virorum prolatis exemplis, vt cum ancilla tanto sua dignitate inferiore, vir primarius legitimo connubio iungeretur. Remedium quoque tum alteri cuidam adhibitum, qui non sine graui aliorum offensione cum vxore habitare recusabat, tum alteri fœminæ, cui erat clandestina cum alie no consuetudo. Bis quotidie per id tempus Catechismus explicatus interdiu, semel pueris ac fœminis, qui oppido non exibant, iterumq; aliis sub vesperam ex agris serò reuersis. Suasum est Parocho, vt exigatur à dierum festorum

viola

violatoribus pecunia, pœnę loco, ad pias imagines, aliaque id genus præmiola coemēda: quò ad Catechismum libentiùs pueri confluant. Curatum itidem ad impias in superos contumelias reprimendas, vt edicto proposito, certa pecunia extorqueatur ab ijs, qui in eo delicto deprehendantur, quódque ex ea pecunia superarit, in pia munera conferatur.

POSTREMO duo Sacerdotes Biturgiam Hetruriæ oppidum dimissi, è Concionum, Confessionum, Catechismi semente non dissimiles manipulos messuerunt. Nam in eo oppido ab eorū altero supra septuaginta præter cæteras vniuersæ vitæ; multorum ab vtroque, etiam ægrotantium, confessiones auditæ. Diebus Dominicis complures sacro Eucharistiæ excepti conuiuio: Christianæ fidei capita explicata quotidie, ac tanta à pueris alacritate percepta, vt non modò Ciuitas ipsa, verùm etiam agri, dies noctesque magna cum totius populi voluptate, diuinis canticis personarent: quum præsertim pueruli canentes audirentur, qui per ætatem verba conformare vix possent. Ergo de Collegio instituendo cœpta sunt à multis agitari colloquia. Illud ad extremum in eo genere contigit prope singulare, quòd honesta quædam matrona quæ sæpe alteri è nostris Sacerdotibus peccata detexerat, graui morbo correpta, in delirio sæpius illud canticum, siue celeusma modularetur Italicum, quo cuncti inuitantur ad cœlum: & quidem ita suauiter vt mœrorem, etiam propinquis qui aderant, mitigaret: atque ita ad cœlestia, vt sperare fas est, cantica & sempiterna discessit. Neque verò nostris operis, quas, in fundo prope Iulianum oppidum, in agro Campano habet Collegium, Catechismi diligens explicatio defuit: ad quam amplius quingenti sæpe conueniunt, & fidei nostræ summā in choros distributi sæpe decantant. In oppido ipse Sacerdos è nostris concionatus diebus festis aures confitentibus dedit

dit, duasq; præcipuas familias dissidentes ad concordiam reuocare conatus est. Iam reliquum videtur, vt de tribus qui ex hoc Romano ad cœleste Collegium, vt speramus, euolarunt hoc anno, pauca dicantur.

A C primus quidem Darius Gorla Laudensis, temporalis (vt loquimur) Coadiutor, obijt annum agens tertium fermè & quinquagesimum: quorum duodecim in Societate cum laude traduxerat, sartoris officio ferè perfunctus: vir vsque adeo pius, vt plerumque concionibus, aut ijs quæ de more super mensam recitantur audiendis, illachrymaretur. Egregiæ præbuit patientiæ documenta, præsertim in diuturnis varijsque corporis ægrotationibus. Præcipuo studio ac pietate diem Dominicum venerabatur. Ergo is etiam illi dies vitæ supremus fuit, quo quum admoneretur mane, vt se ad mortem iam instantem pararet; magnam animi lætitiam præ se tulit: sed quum adderetur posse adhuc eum biduo vel triduo viuere: id verò (respondit) fieri nequit: sum enim die Dominico moriturus: atque id eueniet hodie. Prædictionem comprobauit euentus. Eo enim ipso die sub vesperam illuc, vt sperare fas est, euolauit, vbi neque sol vnquam occidet, neque dies Dominicus præteribit. Alter fuit Sacerdos, & quidem paucis ante obitum mensibus initiatus Ioannes Baptista Tuscus Regiensis, qui in ætatis flore, (nam ad annum vix trigesimum peruenerat) tum maximè quum sacræ Theologiæ spatio decurso non vulgarem ob ingenij doctrinæque laudem sui expectationem concitarat, est à Domino ad apertam illam diuinarum rerum summique boni contemplationem, vt credimus, euocatus. Id quod iam tum ab initio breuis morbi præsagire visus est, quum spem quibusdam afferentibus euadendi: ipse tamen putare se diceret non euasurum.

POSTREMVS Antonius Adamus Taruisinus est mortuus, temporalis adiutor, plenus quidem dierum (agebat

bat enim quartum annum & septuagesimum:) sed quod caput est pietatis ac rectè factorum, quadraginta fermè annos in Societate religiosè traduxerat. Atque ita sedulò Marthæ munera semper obierat, vt interim quoad ei licebat, dare operam pijs precationibus non desisteret, sacroque mysterio Eucharistiæ religiosè admodum etiam extra ordinem frequentando. Ad viginti fermè annos emptoris officium in hoc Collegio dumtaxat exercuit. Quo tempore tanta tum fide cum externis negotiari solitus est, tum alacritate & caritate de eorum salute cum ijs agendi occasionem quamcumq; arripere, vt ei sæpe etiam sine syngrapha, ac sine testibus, vel varias credita pecunia merces, vel magnam etiam sæpe vim pecuniæ mutuam libentissimè crederent. At is ne emendi quidem labore contentus, quod munus & multò tum grauius erat & latius quàm hoc tempore patebat, domi quicquid illi erat vacui temporis, aut in horto sua manu colendo, aut in infimis culinæ, macelli, alijsque id genus functionibus vltrò, magno semper cum gaudio, collocabat. Porrò idem insignem pietatem, zelumque animarum satis ostendit, tum semper antea, tũ in diuturno delirio ex prolapsione orto, qua caput grauiter læserat: vt propterea comitiali morbo sæpe corriperetur, quo etiam tandem extinctus est. Nam etsi memoria per id tempus & iudicandi facultate vacillabat: semper tamen quæ sanus antea de rebus diuinis, deque hominum salute procuranda solitus erat, ea dumtaxat crebris sermonibus vsurpabat. Neque verò aliena vnquam à religiosis auribus atque moribus ferre poterat: etiamsi per iocum ab alijs fierent, vel dicerentur. Ac de Romano quidem Collegio hactenus,

DO

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS SANCTI Andreæ.

IN hac gemina probationis Domo Sanctorum Andreæ & Vitalis, etsi hoc anno fuêre socij centum & eo amplius, vt sunt in Catalogo suprà, suo loco, descripti, Tyrocinium tamen incœpére sex ac triginta, tres morte prærepti finiêre, Bonifacius Accursius, & Ioseph us Fradotus Samnites bona spe præditi adolescentes, & antea in Collegij Romani gymnasio literis humanitatis eruditi. Tertius fuit Philippus Traicotus Anglus, qui vitam insigniter ex nostræ præscripto disciplinæ inchoatam, magna æternæ felicitatis expectatione concluſit: supremo illo tempore mira lætitia gestiens, & illa vsurpans verba Regij Vatis identidem: Spero videre bona Domini in terra viuentium.

IAM verò, priusquam ad reliqua veniamus, quoniam initio duplicem indicauimus Probationis domum, vt ea se res habeat breuiter explicemus. Superioribus annis, vt aliàs fusè perscripsimus, Matrona clarissima Ioanna Aragonia Columna pro sua in Deum eximia pietate, & nostram in Societatem optima voluntate, fundarat illa quidem S. Andreæ domum Nouitiorum: verùm quum diu multumque esset à nostris agitatum, quæ ratio posset iniri plures alendi, hoc demum anno Deus benignissimus dedit hanc mentem Isabellæ Feltriæ spectatissimæ fœminæ, coniugi Principis Bisiniani, vt ad erigendum Romæ Nouiatum, peræque piè ac benignè nouam iustamque dotationem nobis offerret. Ergo P. N. Generalis, hac Feltriæ liberalitate dotatam Romæ nouam Probationis domum, titulo S. Vitalis erexit: cuius templum sancti Andreæ ædi

Digitized by Google

propinquum nuper erat ab Apostolica Sede nobis attributum. Præterea Isabellæ ipsi, eáque id exposcente, Ioanni Theodoro eius filio vita functo nomina fundatorum, & alia quæcunque Societas tribuit fundatoribus impertijt. Vt autem veteri S. Andreæ fundatrici Societas debitam grati animi memoriam conseruaret, cauit idem P. Generalis, vt illi, perpetuò fundatricis omnia iura, suffragiaque nostrorum ex constitutionibus integra permanerent: atque vt veteris Nouitiatus res & appellatio S. Andreæ retineretur ita, vt duæ essent Probationis domus, fundatoribus, dotibus, erectionibusque distinctæ: sed commodioris causa gubernationis, habitatione coniunctæ. Templum S. Vitalis Martyris, cuius supra meminimus, est illud quidem antiquitate augustum, atque inde ab Innocentio I. Pont. Max. anno à Virginis partu fermè quadringentesimo consecratum: ad quod ædificãdum Illustris fœmina Romana Vestina testamento suas omnes gemmas & ornamenta reliquerat, ac propterea Vestinæ titulo appellatum: ad quod solennis etiam statio post alteram Quadragesimæ dominicam à summis olim Pontificibus indicta, hoc etiam tempore permanet. Verùm hoc templum iam eò deuenerat, vt sola cõmemoratæ antiquitatis sanctitate decoraretur: cæteroquin omnino malè concinnatum, ac planè nudum. Nunc & duobus altaribus est auctum, & eleganti contignatione ornari cœptum, nobilique pictura. Plurimi è nostris huc se, totius anni decursu recepêre, sui colligendi gratia, & spiritualibus meditationibus sese cum Deo arctius coniungendi. Eisdem rerum diuinarum commentationibus externi complures exculti, qui & præsentẽ inde morũ emendationem reportarunt, & in posterũ vitæ melioris instituendæ voluntatem. Ex his vnus qui reliquas pœne omnes fuerat exercitationes pietatis expertus, incredibili cum animi sensu prædicabat, optimam hanc à Deo sibi postremam rationem reseruatam ad suæ salutis

nego-

Digitized by Google

negotium facilius transigendum. Alius è religiosa quadam familia ad idem pium commentandi genus accessit: ex eo vt ipse dicebat & sibi & Ordini suo petiturus sãctiora auxilia disciplinę. Et verò contemplationibus absolutis, abijt ita formatus, vt sibi, Deo duce, promitteret, se, quod optarat incipiens, assecutum. Verumtamen & Nouitij, & qui è Nouitiorum disciplina finguntur veterani: sic suis animis omni virtute excolendis inuigilarunt, vt non nihil ad alios quoque vtilitatis fructus emanarit. Ab ijs enim in Xenodochijs corporibus ægrotorum & animis inseruitum: inopiæ vinctorum emendicata stipe consultum: Catechismo in Vrbe rudiorum mentes excultę: per agrum Campanum, non mediocri cum fructu animorum, missiones institutæ.

ILLVD postremo loco non omittendum videtur, quòd huic domui non exiguum visum est ornamẽtum attulisse: quod quum serenissimus Archidux Austriæ Ferdinandus venisset in Vrbem, nostram hanc domum (vt suprà quoque attigimus) sibi diuersorium delegit, & magnificentissimis Principum, à quibus inuitabatur ædibus & apparatu, nostrorum antiquius habuit hospitium Nouitiorum. Quorum consuetudine octo dierum commoratione mirificè delectatus, ita discessit, vt eius præstantem in omni genere virtutem amore, singularem erga nos beneuolentiam, ac facilitatem admiratione, prosequeremur

COLLEGIVM GERMANICVM.

VM alumnorum numero, simul creuisse hoc anno videtur & pietas. Sex in Societatem nostram recepti: quorum duo Sacerdotes Philosophiæ ac Theologiæ spatia confecerant: cæteri quatuor decurrebant. Quinque præterea Sacerdo-

Digitized by Google

tes cum alijs aliquot in Germaniam reuerterunt. Ex ijs quatuor Casuum & Canonum scientia exculti, atque adeò Magisterij insignibus ornati: quintus confecto Theologiæ curriculo, magno omnium plausu, theses ex vniuersa depromptas Theologia publicè disputando defenderat. Is quum apud Principes, & probos omnes magnam sui expectationem concitasset, ob eximiam quandam pietatem, morúmque grauitatem cum doctrina non vulgari coniunctam, iámque afflictæ patriæ aliquid opis allaturus in Germaniam properaret, ex medio itinere est à Domino ad beatam illam, vt piè speramus, patriam euocatus. Non minore piorum dolore, atque Ecclesiæ incommodo duo Germaniæ lumina, quæ ex hoc Collegio aliquot annis ante prodierant, extincta sunt. Horum alter Reuerendissimus Iacobus Mullerus annos complures in medio nationis prauæ, ita sapienter Episcopatum Ratisbonensem administrauit, vt se tanquam murum hæreticorum furori semper obiecerit, deprauatos clericorum mores correxerit, Collegium Societatis, opera Sereniſſimi Guilielmi Bauariæ Ducis, frementibus licet hæreticis, instituerit. Atque hunc animi ardorem planè cœlestem, magno eiusdem Ecclesiæ bono, vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè tenuit. Et quanquam sæpe minis hæreticorum, atque insidijs, improborum blanditijs, oblatisque muneribus, ab ipso strenuè repudiatis, vehementius oppugnaretur; nunquam tamen potuit ab excelso animi sui consilio dimoueri: donec est ab optimo & summo pastore fidelis ipse seruus & prudens ad cœlestia pascua, & sempiterna translatus.

ALTER fuit Reuerendissimus Dominus Io. Vvangerinus Episcopus Vegestinus: qui fidei Catholicæ propagandæ studio incensus, à sereniſſimis Austriæ Ducibus Carolo & Ferdinando ad res arduas in primis adhibitus, eidémque Ferdinando moderator traditus, dum adolescens

Digitized by Google

lescens Ingolstadij studijs ingenuarum artium daret operam, tandem multis rebus præclarè gestis, & magno pietatis exemplo, suique desiderio relicto bonis omnibus, ex hac mortali vita sublatus est. Horum iacturam alij duo ex hoc item Collegio alumni, paucis ab hinc annis, emissi, aliqua ratione compensant: quorum alter Iacobus Margel, spectata iam multis in rebus, & probata virtute, ab Illustrissimo Cardinali Andræa Episcopo Constantiensi, summo totius Capituli consensu, Suffraganeus est eidem Diœcesi præfectus. Alter Eucharius Langius quum Reuerendissimo Herbipolensi Episcopo diu ita nauasset operam, vt in eius aula, vitæ integritate conseruata, Regentis esset munere aliquamdiu cum laude perfunctus, ipse quoque hoc anno eius Ecclesiæ Suffraganeus est, omnibus approbantibus, delectus & confirmatus. Magna sperantur ab vtroque, & quidem Ecclesiæ Catholicæ salutaria. Porrò huius Collegij alumni in varijs Germaniæ locis strenuè pro se quisque in vinea Domini excolenda elaborant. In quibus Andreas Stalderus præcipuam laudem videtur obtinere: quippe Vvilæ in hæretica ciuitate furiosos hæreticorum impetus non modò fortiter sustinet, verùm etiam diuino fultus præsidio frangit, non sine magno Catholicæ Religionis emolumento. Cæterùm (quòd ad præsentem spectat Collegij statum) etsi alumni vniuersi maiores in dies videntur in studio tum artium ingenuarum, tum Christianæ Philosophiæ processus efficere: Sodales tamen Beatissimæ Virginis cæteris palmam, vt par est, in vtroque præripiunt: nam egregia pietatis munera præ illis exercent, nosocomijs inuisendis, quadraginta horarum priuatim pro Ecclesia precationibus instituendis, aliisque ad frangendas malas animi cupiditates præsidijs adhibendis. Quibus rebus & exemplo cæteris præluceant, & eorum multos alliciunt ad imitandum, atque ad sanctissimæ Dei Matris sodalitatem expetendam.

Digitized by Google

COLLEGIVM ANGLICANVM, ET Maronitarum.

SVMMA fuit in Anglicano Collegio alumnorum & inter se & cum Moderatoribus, Præfectisque consensio. Viguit domesticus mos ac disciplina. In studiorum Autumnalibus vacationibus Christianam pietatem piis B. Ignatij P.N. commentationibus vel auxerunt, vel confirmarunt. Quatuor in Societatem nostram adscripti, omnes quidem bona spe præditi, duo etiam Sacerdotes. Porrò ex iis qui studiorum causa in Collegium hoc anno sunt admissi, quatuor fuerunt Academici: nempe ex Academia Oxoniensi duo, totidē ex Cantabrigensi, cuncti Magisterij Philosophici titulis insignes. Tres alij dum ex Anglia in Hispaniam ad illud seminarium se conferrent, bis ab Hæreticis capti sunt, nempe semel à Gallis, ab Hollandis iterum. A quibus primò hebdomadas aliquot in custodia retenti, rebus deinde omnibus dispoliati, reiiciuntur in Angliam. Atque ibi quoque vincula aliquamdiu perpessi sunt: quibus tandem amicorum opera exsoluti, Romam cuncti simul incolumes peruenerunt. Alius itidem fuerat in Anglia tum Comitis Essexiæ (quicum Gades etiam iuerat) tum in ipsius Reginæ curia hæreticus concionator. At Deo tandem clemēter hominis animum permouente, ad veritatis castra confugit: pro qua tuenda in vincula etiam coniectus est. Quo tempore sæpe cum Angliæ pseudoepiscopis, vltrò ad certamen dispustationis prouocatis, priuatim de Religione disseruit. Is demum singulari Dei prouidentia, ex eorum manibus ereptus Romam venit: & vir alioquin ætate prouectior, magnaq; apud suos existimatione, iam summa cum

Digitized by Google

cum animi demissione, ac disciplinæ domesticæ colendæ studio in Collegio degit.

HOC anno Maronitarum Protector Cardinalis amplissimus, & Bononiensis Episcopus Gabriel Palæottus è vita migrauit. In eius locum successit Illustrissimus Pet. Cardinalis Aldobrandinus Pontificis Maximi nepos: quod munus & magna animi alacritate susceptit, & singulari suæ in hoc Collegium beneuolentiæ significatione. Iam nouo Maronitarum Patriarcha in demortui locum suffecto, duo Romam oratores venêre, qui & Patriarchę nomine, Pontificem Maximum venerarentur, & eiusdem electi Patriarchæ confirmationem peterent. Porrò pro appellatione quadam, seu titulo, quem sibi idem Patriarcha deposcebat, Congregatio est quinque Cardinalium, eiusdem iussu summi Pontificis instituta, qui viderent an queat Patriarchæ, quod postulat, aliqua ratione concedi.

COLLEGIVM SETINVM.

SETIAE hoc primum anno alter Grammaticę Magister est additus, quo etiam factum est, vt multi ad Scholas nostras vel ex finitimis oppidis Vrbibúsque confluxerint. In summo Templo datum à nostris discipulis drama: in quo mors Goliæ Gigantis exhibebatur, & simul iisdem præmia distributa, magno spectatorum etiam ex proximis oppidis cõcursu, pariq; omnium plausu. Discipulorum Sodalitas Dei Matri dicata ita est aucta, vt iam plus quadraginta numerentur, qui, crebrò præsertim Sacramentorum vsu, hanc Vrbem non mediocriter mouẽt. Nostrum quidem Templum mane præsertim ad Missæ Sacrificium quotidie completur:

Digitized by Google

diebus verò festis tanta est & confitentium frequentia & ad sacras epulas accedentium; vt satisfieri vix omnibus queat. Quin etiam permulti præterea confluunt ex locis oppidisque non vicinis modò, sed etiam remotis: vt suam conscientiam nostris Sacerdotibus detegant. Vidua huius oppidi primaria, quæ apud nos sacra mysteria frequentabat, nuncio vna cum filiabus remisso rebus caducis, vitam suam in sacrarum fœminarum cœnobio, Deo, magna omnium approbatione, consecrauit. Collegij denique ædificium surgit in dies: iámque & ambulatio, & Aula, & Cubicula sunt multa exædificata: solarium verò inchoatum.

COLLEGIVM LAVRETANVM.

ALIT ferè Collegium hoc ex nostris duos ac triginta: quorum duodeviginti Sacerdotes in AEde Lauretana operam Deo, eiúsque Matri Sacrosanctæ, audiendis peregrinorum potissimum confessionibus fideliter nauant. Peregrinorum verò frequentia, vt anno superiore cœperat, hoc etiam maior fuit; quòd Milites ad Ferrariensem expeditionem pergentes hac iter facerẽt, eoq; sensu pietatis ergâ cæli reginam, tantoq; studio labes animorum in eius ædè augustissima eluendi tenerentur; vt eius expeditionis tam secundus euentus huic Militum in Lauretanam Virginem religioni, non minima ex parte accepta referri posse videatur. Neque minor postea fructus animorum ex Pontificiæ familiæ transitu speratur esse perceptus. Præcipua certè ipsius Pontificis Maximi Clementis VIII. religio & pietas aduersus hoc sacrum Deiparæ domicilium eluxit, quam & in eo identidem reuisendo, colendoque assiduitas, & lachrymæ

mæ testabantur. Mira illius fuit quum in omnes facilitas atque humanitas, tum verò in egenos benigniras: in quos magna vis ab eo relicta pecuniæ, per nostros est, maxima ex parte, Præfecti oppidi Lauretani iussu, distributa. Nostrorum verò Sacerdotum per id tempus illud munus proprium fuit; vt linteati cum sacerdotali stola intra templi aditum, propè Episcopum, alij ex aliorum regione consisterent: & primò Sacrosanctam Eucharistiam: deinde summum quoque Pontificem, cereas faces manu tenentes excipierent. Is & sesquihoram fermè primò in cella Sanctissimæ visenda consumpsit, & quamdiu Laureti substitit, deportari se in eandem quotidie voluit: (æger enim erat pedibus) vbi solus diu in Sanctis precationibus persistebat. Cui etiam ædi sex candelabra argentea prægrandia, crucémque item argenteam pulcherrimam obtulit: eiramen dono insignia nulla voluit esse donantis adiuncta. Reliquit itidem Sacerdotalem vestem argenteam, Phrygio opere pictam, altarisque frontale generis eiusdem, magno artificio elaborata, magnúmque pondus in Basilicæ arca pecuniæ. Verùm (vt ad nos veniamus) quum ad Optimum Pontificem Collegij Rector adijsset, eúmque de rebus huius Pœnitentiariæ (quam dicimus) docuisset; is & pro ea geminam absoluendi potestatem benignè concessit, quarum altera permagni referebat, & nostrorum rationem cum peregrinis agendi probauit: eam præsertim, qua rudibus fidei Christianæ articulos inculcamus: quum diceret, rectè etiam à nostris interdum absolutionem denegari illis: quorum negligentia fuerit in ijs addiscendis insignis. Iam verò multum se nostræ Societatis hominibus confidere: tum alij Principes aliàs ostenderunt, tum hoc tempore familiæ Pontificiæ viri primarij: quum præsertim per eos in arcam templi multam pecuniam ita conijci iusserint; vt à quibus donaretur sciri noluerint. Tres Cardinales amplissimi, aliíque præterea grauissimi Præsules domi

Digitized by Google

noſtræ perhumaniter diuerſati, noſtro etiam more viuere veſcíque voluerunt. In quibus præcipuè fuit Cardinalis Galli comitas, eiuſdémque Lauretanæ domus Protectoris: qui ad nos nec opinantes ſubitò veniens, non modò nobiſcum familiariter ſine ſuis vllis domeſticis cibum capere, eodemque potare poculo; verùm etiam poſt epulas ſua nos iucunda collocutione impertiri non eſt grauatus. Atque idem egit Cardinalis S. Clementis, qui quum agri Piceni Legatus eſſet, maiorem hebdomadam apud nos ſui colligendi cauſa tranſegit. Veruntamen non ſatis poteſt explicari Archiducis Auſtriæ Ferdinandi humanitas erga nos ac beneuolentia, dum hanc Lauretanam Domum inuiſit: vt à nobis diuelli non poſſe videretur. Neque viciſsim noſtrorum defuit conatus & induſtria, quum in alijs, tum verò in his Principibus, quocunque licuit præſidiorum cœleſtium genere inſtruendis.

PROPE Lauretanam ædem à noſtro Sacerdote bis in hebdomada ad Canonicos de conſcientiæ rationibus: bis item de ijſdem domeſticæ inter noſtros tractatæ quæſtiones. Iam verò multa prætereuntur, quæ ſupra naturæ vires, Beatiſsimæ Virginis ope, multis contigére, cum noſtris communicata. Longum eſſet etiam perſequi, quàm multi varijs ærumnis oppreſsi, noſtrorum ſint opera ſubleuati: quàm multi eorundem conſilijs adducti ſanctiorem vitæ rationem inſtituere decreuerint: quàm multorum etiam ſit egeſtati ſubuentum. Puellæ duæ in ſumma rerum inopia, pudorem tamen integritatemque retinentes, in tuto ſunt loco per noſtros atque honeſto collocatæ. Quin foras etiam Societatis officia prodiére. Nam Cardinalis ampliſsimi Borgheſij rogatu ad eius Epiſcopalem Diœceſim duo ſunt Sacerdotes miſsi: quorum eſt è Collegio Recinetenſi alter adſcitus: atque ambo eam vſitatis muneribus ita iuuerunt; vt ab eodem Cardinali in aliud tempus etiam depoſcerétur, ad reliqua Diœceſis loca luſtranda

Digitized by Google

ſtranda. Tunc enim præterMetropolim, ſex dumtaxat obierant: in quibus etiam eorum alter de officijs quæſtiones apud clericos explicarat. Inde in aliud oppidum profecti ſunt, quæ erat Sacerdotis alterius patria: vbi & eadem obita munera, & curatum, vt eiuſdem frater cum coniuge rediret in gratiam: eadémque fermè in alio quodam oppido Patres aliquot præſtitêre: in quod vacationum æſtiuarum tempore valetudinis cauſa conceſſerant. Alicubi denique nonnullis, qui minus recte de Societate ſentiebant, Noſtrorum conſuetudo errorem eripuit, atque adeo eorundem nobis animos ac beneuolentiam conciliauit.

DVO ſunt hîc ex noſtris hoc anno deſiderati. Horum Prior fuit P. Ianuarius Cauallerius Neapolitanus, ſpiritalis adiutor, annos natus vnum ac ſexaginta: quorum quatuor in Societate ſupra quadraginta cum laude traduxerat. Nam & ad annos ſexdecim literas fructuoſè docuerat, & alios prope triginta Laureti confeſsionibus audiendis occupatus, tum maximè videtur à Deo ſuorum laborum præmium conſecutus, quum homo id ætatis docendi onus longo interuallo reſumpſerat. Ea res quemadmodum euenerit, non erit fortaſſe alienum paucis oſtendere. Nam quum de Grammaticæ Schola vicini Collegij, quæ tum forte Magiſtro carebat, illi eſſet à Moderatoribus ſignificatum; non modò nullam attulit excuſationé, ſed ſumma alacritate, vix vnius aut alterius horulæ interpoſita mora, ſe ad propinquum Collegium contulit: vbi menſem, aut paulò amplius non modò in Schola pueris erudiendis elaborauit, verùm & in templo excipiendis confeſsionibus, & in domo ipſa adminiſtranda, quod per id tempus forte Rector ægrotaret. Ergo laboribus fractus, quum præſertim ſumma hyeme tempeſtas perfrigida deſæuiret, lateris dolore correptus, Lauretum reuertit: vbi nimirum mori cupiebat: vnde etiam ad ſempiternum illud otium, beatumque profectus eſt: quum prius veniam profuſis lachry-

mis

Digitized by Google

misab omnibus flagitassset, quũ diceret se Dei Matris Clementissimæ patrocinio confidere, cui tot annos conatus esset inseruire pro viribus. Porrò in eiusdem Lauretani templi loco nostrorum sepulturæ attributo conditus est, ad ianuæ latus, cui distichon elegans eiusdem Patris in eam sententiam multo ante erat inscriptum, Nemini licere pedem in sacram illam ædem inferre quin ritè priùs animum expiarit. Posterior obiit huius Collegij Rector P. Nicolaus de Fonte Florentinus, quem Deus videtur ad illud vsque tempus conseruasse, quando labore perfunctis Patribus in tot aduenarum ac Pontificis Maximi transitu suscepto, relaxationem animi aliquam in proximum oppidum apparabat, cui Monti sancto nomen. Ipse enim, iam ad breue illud iter rebus omnibus comparatis, in alium sanctum videlicet Montem, vt fas est sperare, peruenit. Nam quum ei ob incisam venam, brachium intumuisset; tumorem quinque diebus consecuta mors est, non sine magna tum nostrorum, tum externorum admiratione, cum pari commiseratione coniuncta. Orauit Patres, viaticum sumpturus, vt sibi tam difficili tempore precibus opem ferrent: breuique ac prudenti oratione petiit, vt sibi ignoscerent, si fortè cum eorum nonnullis paulò seueriùs egisse videretur. Se enim coram Domino, cuius corpus mox esset susceptorus, profiteri, quod maxime censuisset ad sempiternam cuiusque salutem pertinere, id vnum semper & spectasse & effecisse. Primus hic Pater, Rectoris adhuc officio fungens, Laureti decessit, annos natus duodequinquaginta. Professus vota quatuor emiserat. Grammaticam in Societate docuerat, concionatus erat ad populum aliquamdiu, in Romano Collegio publicè de conscientiæ rationibus disseruerat. Romanæ denique Rector Probationis domus, aliquot annos tyrones nostros ad nostræ vitæ rationem diligenter informarat.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM MACERATENSE.

HOC anno primum adiri sunt cœpti semel ferè in hebdomada tum in publica custodia vincti, tum in valetudinariis ægri. Vtrobique fructuosè posita opera, multorumque totius anteactæ vitæ crimina per confessionem expiata. Cæteri verò per Vrbem ęgrotantes, quum ad eos de more Nostri simul atque adupcantur, accurrunt, non modò magna veræ pœnitentiæ argumenta præbuere: sed etiam sæpe vigorem corporis præfetulerunt, quem Deus tunc ipsis pro sua clementia voluit impertiri: nonnulli præsertim qui quum ægrè antea verbum vllum possent expromere, dum deinde peccata confiterentur, expeditè omnia proloquebantur. Alij verò eo ipso tempore melius valere cœpêre, ac breui deinde conualuêre. Quod sane propterea Deus videtur efficere, vt errorem suum aliquando tandem agnoscant ij, qui mortem vnâ cum Sacerdote, aut certè paulò post venire domum sibi persuaserunt: quandoquidem salutaris peccatorum confessio iis quos diximus, non mortem, sed valetudinem, vitamque attulisse perspicitur. Aliæ præterea vitæ totius Confessiones auditæ, magno pœnitentium bono, quod vel ipsimet gestu sæpe, verboq; significarunt. Ex ijs quidam, confessione peracta, præcipuo animi sensu, Quàm, inquit, me iam sentio planè leuatum onere atq; exhilaratum. Inuenis diu vehementer oppugnatus, quum nullam partem quietis capere posset, re cum Sacerdote nostro communicata, in templum eius hortatu se contulit; vt rei diuinæ quam idem Sacerdos faceret, interesset. Sacro absoluto, vexatione omnino liber, conscientiam suam eidem ritè patefecit.

Vir

Digitized by Google

Vir quidam è prima nobilitate Nostris peccata solitus confiteri, sæpius animadvertit se in magnas calamitates incidere, quotiescunque pias quasdam suas precationes ad Beatam Virginem omisisset: idque præcipuè nuper sibi bis, tèrve contigisse, non sine supremo vitæ periculo.

GRATIA est inter aliquot reconciliata. Quo in genere insignis facta pax inter duos germanos fratres, eosdemque huius Ciuitatis viros sane primarios, qui plures iam annos capitali inter se odio disidebant; quum aliquando etiam in ipso foro gladios eduxissent: neque vlla vnquam pacis faciendę ratio iniri potuisset. Eorum alter demum lethalem in morbum incidit: quare confessionis causa Sacerdos è nostris accersitus, ægrotum monet fieri nullo modo posse, vt antea cum Deo per confessionem, quàm cum fratre reconcilietur, quicum tandiu, tanta cum Ciuitatis offensione, inimicitias exerceret. Ergo adhibitis verborum oportunis tanto malo remedijs, Deo bene iuuante, tandem hominem flectit. Cum fratre frater in gratiam redit, tota gratulante Ciuitate. Deinde verò Sacramentorum præsidijs æger instructus, die consequente, prima luce, eodem nostro præsente Sacerdote, ita è vita migrauit, vt pietatis Christianæ argumenta non obscura præbuerit. In alia pacificatione quum Sacerdos vnus è nostris diu multúmque desudasset, persuadere læso frustra conatus, vt iniurias condonaret, modò precibus adhibendis, modò iusta Dei ira comminanda, modò Christi sanguine proponendo pro nostris in eum iniuriis delictisque profuso, simul ac tandem cœpit eum propter Dei Matrem obsecrare; repentè ille mitigatus: Propter Deum, inquit, Deiparámque Virginem libenter ignosco. Atque ita datæ, solenni ritu, dexteræ, páxque firmata.

ADOLESCENTES duo ex iis, qui & Scholas nostras, & Beatæ Mariæ Sodalitatem frequentant, in Societatem, alij tres in Capuccinorum se familiam contulerunt;

Digitized by Google

lerunt: quorum vnum ex eadem Sanctiſsimæ Virginis Sodalitate, alterum è Scholis item noſtris, tertium ex numero eorum, qui apud nos diuina myſteria obeunt, Deus Optimus Maximus euocauit. Præter huius Collegij conſuetudinem iuuenis, qui ſtudiis bonarum artium dabat operam, Beati Patris Ignatij piis meditationibus eſt excultus. Ex quibus & ipſe fructus vberes cepit, & alios ad idem ſtudium concitauit: vt hic mos iam ſemel inductus, etiam propagandus eſſe ſperetur in poſterum. Duabus olim inſtitutis B. Virginis Sodalitatibus, nobilium Ciuium vni, cui conclaue hoc anno pulchrius atque amplius eſt adornatum: diſcipulorum noſtrorum alteri, aliæ ſunt additæ duæ. Tertia enim item diſcipulorum, nempe quæ antea erat Academia dumtaxat, iam eſt etiam Congregatio ſeu Sodalitas effecta, quæ & pietate & numero viget, multóſque habet perfectionis religioſæ percupidos. Quarta itidem hoc anno eſt opificum inſtituta, quæ breui ita creuit, vt Sodales habeat ſupra centum. Multum hi cœtibus frequentandis proficiunt: mirus eſt quorundam ardor, quippe qui negent ſibi quicquam videri longius, quàm dum dies Dominicus aduentet, quo cum ſodalibus cœteris conueniant ad res animo ſalutares pertractandas: iidem poſtea res inibi auditas tum domeſticis, tum vicinis enarrant. Iidem confeſsione totius vitæ maculas eluunt, etiam ingratieſcente iam ætate nonnulli. Præcipua verò in quibuſdam pietas elucet in eo colendo cœlite, cuius nomen eo menſe ipſis obtigerit: tum pœna aliqua depoſcenda, tum feſto illius die ſacris myſteriis obeundis. Sane Ciuitati eſt hoc opificum Sodalitium maximè probatum: ſiue quòd animorum ſubſecutam vtilitatem vidit: ſiue quòd intellexerit quodcunque hominum genus à noſtra Societate iuuari, negligi nullum: ſiue quòd opifices complures, noua prorſus inſtituta vitæ ratione, dies feſtos quos antea in flagitiis ferè, non ſine graui alio-

rum

Digitized by Google

rum offensione, conterebant, eosdem in piis iam, Christianóque homine dignis exercitationibus, cum laude, omniumque approbatione, traducunt.

IAM verò præter alia ab aliis eleemosinæ nomine, donata Collegio, à Manente Costa legatus est fundus, qui septingentis fermè nummis aureis æstimatur. Templum porrò nostrum quod esset angustius; Magistratuum decreto Ciues electi quatuor, qui & pecuniâ ab aliis corrogent, & Patribus præsto sint in rebus omnibus, quæ amplioris templi ædificium spectent. Virorum exemplo permotæ honestissimæ fœminæ delectas item quatuor è suo numero præfecerunt, quę stipem à matronis cogerent: atque vt cęteris exemplo præirêt, quum ipsę, tum viri delecti, primum suo chirographo certam vim nummorum nouo templo extruendo dicarunt: iamque oblata pecunia summam duorum millium efficit aureorum. Quin etiam numerata iam à quibusdam vel omnino, vel aliqua ex parte, magna vis est cœmentorum, calcisque ad futuram ædificationem comparata. Faxit Deus vt opus ad ipsius cultum amplificandum conficiatur, quoniam ipsius beneficio tam fausta cernuntur initia.

COLLEGIVM RECINETENSE, ET MONTIS SANCTI.

TVM est ad valetudinaria, sed çstate præsertim, quum disenteria in vrbe grassaretur. Bini quotidie per duos ipsos menses ad ægrotos missi, vt eos de more consolarentur, confitentes audirent, morientibus opem ferrent. Antea verno tempore

Digitized by Google

tempore, autumnoque proximo confessiones peregrinorum exceptæ quamplurimæ ad Lauretanam ędem Beatissimę Virginis confluentium. Etenim plerique non ante audent in Galli Reginæ venire conspectum, quam Recineti, quod Laureto tribus dumtaxat passuum millibus abest, animum criminibus expiarint. Quadragesimę tempore Sacerdotis nostri concionibus fœminę aliquot à turpi quæstu revocatæ: curatumque vt iisdem domicilium attribuatur, in quo vitam piè pudiceque traducant. Hinc Sacerdos emissus Hesium cum altero è Lauretano Collegio, Cardinali amplissimo Burghesio postulante, duos in eius diœcesi lustranda menses magna laicorum, Clericorumque vtilitate posuerunt.

QVAE gesta sint singillatim, & si pluribus egerem, omittenda tamen prope omnia, quòd vel vsitata sint, vel supra perstricta, vel eorum similia quæ de Romanis missionibus initio paulò fusius persequuti sumus. Paucissima tamen in hunc locum reservata. Catechismi tradendi ratio ab huius Collegij Sacerdote nũc primum in quędam oppida est illata, in aliis commodior certè ac salubrior instaurata: atque vt perpetuò vbique tradatur, effectum. Pia cantica ita introducta, vt Parochi ipsi in spem venerint prophanis in posterum nullum esse relictum locum: præsertim quòd sacra illa nostra sint varia, & prophanis elegantiora. In quodam oppido vbi triennio nunquam ad Catechismum perduci potuerant, ita Nostrorum opera mutata res est, vt quotidie venerint. Hesij verò (quæ Ciuitas est in primis nobilis & opulenta,) treceni pueri, puellæ sexagenæ ad eiusdem explicationem confluebant. Dialogus ibidem de Christianæ religionis capitibus à pueris exhibitus, totius vrbis inspectantis plausu: cui & Cardinalis ipse cum Præfecto vrbis, aliisque qui Magistratum gerebant, interfuit. Idem Cardinalis & præmiolis donauit actores, & ad quingentos Catechismi li-

Digitized by Google

bellos in suæ Diœcesis oppida pagósque distribuendos suo sumptu, typis excudit. Sodalitatem Hesij doctrinæ Christianæ perpetuò docendæ primus ipse præfecit: nos autem rationem docendi Parochis tradere voluit, quam in posterum sequeretur. Ac de Catechismo hactenus. Duo quædam huius missionis in alio genere propria.

CVIVSDAM pauperis fœminę filiola, nulla matris culpa, in puteum lapsa demergitur. Vir vt erat natura ferocior, vxorem malè tum verbis tum verberibus accipit. Eum nostri, quorundam rogatu, ita leniter aggressi, vt ferocitatem omnem deposuerit. Vxor triduo post ad nostros non sine lachrymis adit, gratias agit, peccata etiam ritè confitetur. Alius vxorem, quod suspectam haberet, in custodiam tradendam curat, statim tamen, quod esset grauida, liberat. At illa vicissim vltrò facto diuortio, virum accusat, quòd se vterum gestantem malè mulctarit. Actum est à nostris cum Iudice quidem, vt querelæ consopirentur: cum coniugibus verò, vt, reconciliata gratia, vnâ pacatam vitam degerent, Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ præmuniti. Porrò idem Sacerdos eodem anno alteri adiunctus, ex hoc item Collegio missus ad oppidum, cui à S. Anatolia nomen: vbi vt eandem ferè piam sementem quam Hesij fecit, ita & messuit: tum Catechismo tradendo, tum Sacramentis administrandis: alter verò concionando, de ratione officiorum apud clericos differendo, erroribus pernicios ex multorum mentibus euellendis. Quanquam ex itinere tria præterea oppidula rogati lustrarunt: in quibus singulis quatriduo diuersati, eadem pro tempore strenuè perfecêre. Atque hęc de huius Collegij missionibus conscripta sint satis. Ciuis quædam in templum nostrum benignè centum nummos contulit: aliæ duæ singulas vestes ad eiusdem templi ornamenta non minimi pretij testamento legarunt. Quoniam verò Monte Sancto absunt nostri, dum Collegium

ex

Digitized by Google

exædificatur, eorum vtilitates oppidani melius iam videntur carendo, quàm antea fruendo sentire. Nam Recineto vel vno ex nostris Sacerdotibus semel aut iterum in mense illuc eunte, magni concursus Confessionis causa illicò fiunt, aliis alios de Patris aduentu admonentibus: ne tanti boni occasio elabatur è manibus. Quocirca si forte vnius diei est illi commoratio præstituta, duos tamen inibi cogitur, treśve subsistere, vt omnibus fiat satis.

ANCONITANI COLLEGII INSTITVTIO.

ANCONAE honestissima fœmina Pantasilea Polydora post obitum vnici filij Polydori, tertiam facultatum suarum partem Societati donauerat, anno sæculi huius fermè octogesimo primo, ad Collegium ibi Societatis instituendum. Verùm res variis subinde impedimẽtis extracta, areisq; sæpe alijs atque aliis permutatis, hoc primum anno faustis initiis inchoata. Etenim quum sæpe illuc vel euocati, vel vltrò missi aliqui de Nostris ciuitatem ac Magistratus ipsos exemplo, concionibus, Christianæ fidei rudimentis tradendis permouissent; attributa tandem est area: vbi iam Collegium situm est: binis ędibus, binis aureorum millibus coemptis. Deinde verò de fundatione quæstiones ortę nonnullę, sed à Pont. Max. profligatę. Per idem tempus, quum Anconitanæ iuuentuti rectè instituendæ Magistri externi quidam non satis viderentur idonei; Ioannes Nappius vir è prima nobilitate egit cum R.mo clarissimoque illius vrbis Episcopo Carolo Contio, & cum Ciuitatis ipsius optimatibus; vt quam primùm nostræ Societatis homines accerserentur: itaque à Nostro P. Gene-

Digitized by Google

rali haud ægrè impetrarunt. At quia vectigalibus à fundatrice relictis nondum frui poteramus; spopondit partim Commune Anconitanæ Ciuitatis, partim Episcopus, aliique precipui ciues, præsertim verò Ioannes ipse Nappius quatuor se aureorum millia daturos ad annos octo, octonis item è socijs nostris alendis: in quibus duo Magistri censerentur. Itaque, Deo duce, primo huius anni mensisque Ianuarij die, quatuor Sacerdotes, tresque fratres nostri Anconam profecti sunt. Ac primum quidem bina domicilia nostris attributa ita conformarunt, vt in altero ipsi habitarent, in altero docerent, & conclauia Sodalitatibus B. Virginis assignarent. Quare necessaria suppellectili comparata trecentorum subsidio scutatorum, quæ illis P. N. Generalis curauerat, Scholæ tres sunt ex Collegij fructibus institutę, duæ quidem in ædibus Collegij, vbi à nostris doceatur Magistris, tertia verò in publico gymnasio, in quo externus Magister tyrones eruditat: cui nostri annuum stipendium ex ea pecunia pendunt, quam Collegio, eleemosinæ nomine, interea Ciuitas tribuit. Scholę omnes magna statim Auditorum frequentia celebrari cœperunt: ac tanta cum ciuium voluptate, vt vel ij qui huic rei antea nonnihil aduersabantur, eandem probare postea cœperint, nobisque conciliati fauere. Et sane insignis repentè in pueris est animaduersa mutatio, magnusque discendi ardor excitatus. Quin etiam breui spem profectus attulere, ingeniique ac diligentiæ specimen præbuerunt, orationibus & carminibus identidem, aliisque Syntagmatis, tum Græcis tum Latinis habendis, ac nonnullis subinde moralibus dramatis exhibendis, vniuersa plaudente Ciuitate. Duo sunt perampla adornata conclauia: alterum discipulorum Sodalitatis B. Virgini Dei Matri dicatæ in quam initio ij tantum sunt adscripti, qui ob ætatem probosque mores, ipsismet vltro expetentibus, idonei censerentur: alterum verò nobilium virorum

virorum postea Sodalitio comparatum. Totius deinde ciuitatis erga nos beneuolentia non parum aucta, ob exiguum quidem, satis tamen aptum templi concinnatum ædificium: vbi Nostri vsitata munera exequuntur, & quidem tanta celebritate, fœminarum præsertim, vt viri valde se ob loci angustias excludi querantur. Tanta denique Dei beneficio nostrorum est apud omnes existimatio, vt nullum sit fermè negotium, quo ad conscientiam spectet, quod non cum ipsis communicetur.

PERVSINVM COLLEGIVM.

PERVSIAE hoc anno Catechismi publicè tradendi consuetudo siue introducta, siue longo interuallo reuocata. Capitis damnati, vsitatis nostrę Societatis officiis, confirmati. Scholę tres, & numero, & nobilium auditorum frequentia illustratę: habita præsertim de more à Magistro primę classis luculenta oratione in studiorum instauratione, Cardinali amplissimo Sabello Legato, cum prima nobilitate, audiente. Porrò Collegij ædificium hoc anno tandem, summa est non modò Nostrorum, sed etiam ciuium gratulatione perfectum: quod & amplum iam satis est, & nostris vsibus accommodatum. Mirum, quantum decoris Vrbi vel ipsa ædium facies anterior afferat. Per quadraginta solemnis ieiunij dies, vnus est è nostris in primario templo concionatus, & quidem tanta semper tum populi, tum religiosorum virorum frequentia, quorum plerique calamo conciones excipiebant; quantam ne senes quidem in ea Vrbe meminerant: animorum verò fructu huiusmodi; vt & supra mille totius vitæ superioris delicta.

Digitized by Google

confessione apud Nostros eluerint, & ab infami quæstu sese ad pudicam vitam fœminæ permultæ receperint, quæ sunt in varias honestarum grauiúmque matronarum domos distributæ tantisper, dum ab Episcopo in vnum aliquem locum congregentur. Is verò & serio ad eam rem animum adiecit, & certas iam ædes propterea dicitur comparasse. Vir quidam planè perditus, diúque in turpissimo flagitiorum cœno volutatus, à viro graui frustra sæpius admonitus, vix tandem adduci potuit, vt vel vna hebdomada concionatorem hunc nostrum audiret. Prima igitur cui interfuit concione, ita Deo statuente, acriter in id genus flagitij est concionator inuectus. Verùm vt erat huiusce auditoris inueterata intemperantia, obfirmato ad nefarias voluptates animo, domum reuersus, insequenti nocte, tanto repentè pauore percellitur; vix vt apud se esset: quum eundem sibi concionatorem videre atque audire videretur, eadem verba iterantem, quibus pridie pro suggestu esset vsus, ac seuero vultu, gestu, oculis, iram Dei sibi minitantem, nisi resipisceret. Ergo sacro quodam terrore, ingentique horrore perfusus, illicò è lectulo tanquam ex inflammata fornace, se proripit, & genibus ante sacram Christi imaginem defixis, pacem ac veniam petit: meliores in posterum mores pollicetur: iureiurando confirmans nullum se amplius huiusmodi flagitium admissurum. Deinde verò prima luce, peccandi abiectis illecebris, tantum est à Deo temperantiæ donum consecutus: vt (quod fertur diuinitùs B. Thomæ Aquinati tributum) omnem in se libidinis ardorem restinctum esse fateretur.

IAM verò discordiæ, Nostrorum opera, sedatæ multæ multorum. Ex his duo viri nobiles se alter alterum ad singulare certamen prouocarant. Re cognita, vnus è Nostris ad condictum certamini locum præstò fuit: nec ante discessit, quàm eos mutuis amplexibus ad Christianam amici

Digitized by Google

amicitiam, Deo bene iuuante, traduxit. Idémque cum alijs itidem duobus actum, ex sententia succesſit. E maiore Beatæ Mariæ Sodalitate duo ſe ad Camaldulenſem ordinem contulerunt: è minore item ad noſtrum duo, tres ad Capuccinorum, totidem ad Dominicanos. Porrò alij ſeptem diuerſas religioſas familias ambiunt, ſex noſtram Societatem: quorum duobus promiſſa quidem, nondum tamen data. Veruntamen de minore Sodalitate pauca quædam videntur propriè perſtringenda. Quidam ex ea vix annorum ſexdecim in Cappuccinorum conuentum receptus, dum ſe in omni virtutum genere diligenter exerceret, acerba morte, ſi ætatem ſpectes, at ſi mentis canitiem, Deique benignitatem, matura ſatis, in cœtum cœleſtium demigrauit. Cuius rei vel illud eſſe poſſit indicio, quòd quum animam ageret, eximia ſpecie virum vidit, affirmantem ipſum illo veſtitu beatorum ſedes ac domicilium eſſe promeritum. Quibus auditis, accerſitum commilitonem, ſuorúmque participem conſiliorum, quocum erat arctiorem illam Vitæ diſciplinam amplexus, manu tunica eius comprehenſa: Mi frater, inquit, ſi iſtis veſtibus animus etiam demiſſus, mitiſque reſponderit, cœleſtis, vt mox ego, fies patriæ ciuis. Quæ quum dixiſſet, extemplò animam efflauit. Alter verò, qui nondum annum quartumdecimum exceſſerat, quum aliquando in templo noſtro, mane dum ſacra fierent, de vitæ genere deligendo ſecum ipſe deliberaret, quotieſcunque populo à Sacerdote Sacroſanctum Chriſti corpus oſtendebatur, toties verba vſurpans Apoſtoli, piè Deum obſecrabat: Domine quid me vis facere? quum ecce tibi, iam tertiò deinceps Sacerdote Sacram Hoſtiam extollente, adoleſcens verbis ijſdem venerabundus iteratis, audire viciſſim ſibi viſus eſt illa, Sine te regi: ergo ad Confeſſarium protinus accurrit: rem aperit: ſtatimque Cappuccinorum inſtitutum ſibi ſequendum eſſe decernit. Alterius duorum

Digitized by Google

quos ex hac Deiparæ Sodalitate ad nostram aggregatos esse supra diximus, quod esset honestis in primis parentibus natus, diu ab ipsis non probata modò, sed vehementer etiam est oppugnata constantia: sua tamen ipse virtute, Deo duce, atque auspice Iesu, parentis vtriusque, patris præsertim primò animum ita mitigauit, vt eum ad obeunda secum mysteria diuina perduxerit: deinde verò ita peruicit, vt libenter etiam vnicum filium Iesu Christo permiserit, & abeuntem ad decem millia passuum in æde quadam Reginę Angelorum sacra, eidem Sanctissimę Deiparæ dicauerit: cunctis qui aderant, collachrymantibus. Idem iam non solum lætus Deo gratulatur, quòd filium in Societatem filij sui non sit grauatus adscribere: verùm etiam ipse vitæ morumque probitate, cæteris ciuibus est admirationi.

FLORENTINVM COLLEGIVM.

DAVLO iam laxius Collegium habitatur: quippe & cœnatione, & aula satis ampla, & aliquot cubiculis additis. Sæpius Magna Ducissa ad templum nostrum, quæ ipsius est pietas & humanitas, venit. Concionator noster Aduentus tempore in æde maxima, & magna in primis frequentia, & cunctis approbantibus concionatus est. Collegij Rector Pontificis Maximi iussu ab Apostolico Nuncio ad quendam Religiosorum virorum ordinem, locúmque missus, quo vti tanquam delegatus commissarius Apostolicus, eos non satis inter se consentientes inuiseret, controuersiásque componeret. Id quod ex sententia, summáque ipsorum voluntate perfecit. Nam & vniuersos

Digitized by Google

uersos primò ad concordiam communiter cohortatus, & seperatim deinde singulos allocutus, ita dissensionum fibras euellit; vt conscriptis etiam decretis, perpetuæ concordiæ, pacisque fundamenta iecisse videatur. Quæ omnia dici vix potest, vt ipsimet Religiosi Patres bonam sint in partem interpretati: quum & nostro Rectori discedenti gratias agerent immortales, & affirmarent se ne meliorem quidem rationem optare potuisse, qua tumultus omnes ita comprimerentur, vt ne foras amplius emanarent. Verùm de his hactenus.

QVATVOR è scholis nostris in religiosas familias commigrarunt, in Dominicanam duo, tertius in Cartusiensem, quartus in Camaldulensem. Inuenis vnus, qui ne ad nostrum quidem gymnasium ventitabat, venit ad Societatem. Confessiones etiam totius ætatis auditæ permultę: de quarum fructibus propter sacrum illarum arcanum, nihil attinet scribere.

SENENSE COLLEGIVM.

SENIS omnes fermè, Dei beneficio, valuêre; pauci diu quidem, non tamen periculosè laborarunt: Vnus P. Antonius Vitellius tria vota professus & perantiquus in hoc templo Confessarius, idémque Collegij Procurator cessit è vita, annum agens quintum ac sexagesimum: quum duos in Societate supra quadraginta, vixisset; ac tum quoad vixit exemplum obedientiæ, tum quoad æger (fuit autem perdiu) atque adeo quum decessit, patientiæ præbuisset. Idem iure optimo in numerum bene de hoc Collegio meritorum, alio quoque nomine, referendus: cui scilicet iam inde

Digitized by Google

ab initio, quum suas à se facultates abiudicauit, prædium, domúmque donauerat eidem Collegio proximam, quæ domus quum adhuc nobis pensionem annuam soluerit, hoc primum anno ad nostros dumtaxat, vsus patefacta est. Disciplinæ religiosæ ardor, mosque domesticus non exigua videtur ex gemina P. Prouincialis, Inspectorisque lustratione, incrementa cepisse. In cæteris vsitatis muneribus, quibus externi pro virili iuuantur vsitata quoque est adhibita diligẽtia. Ad conciones tamen quæ à Sacerdote nostro, tum in æde primaria, tum in Collegij templo per æstiuum tempus atque Aduentus habitæ sunt, concursus solito maiores facti, quos etiam fructus non exigui consecuti: præsertim qui ad stipem pertinent in pauperes ab Auditoribus erogatam.

FESTO Circumcisionis Domini die Cardinalis Amplissimus Tarugius, huius Vrbis Archiepiscopus, & mane rem diuinam in templo nostro verbáque fecit ad populum, & ad meridiem duobus comitatus Episcopis, aliisq; Præsulibus, apud nos perhumaniter prãdit: cuius aduentum permultis versibus celebrauêre discipuli. Triduo ante solenne Quadragesimæ ieiunium, quo maximè tempore, adhuc Ethnicorum veterum more, Christiani non pauci debacchabantur, cœptus est mos à Nobilium Sodalitio in templum nostrum publicè quadraginta horas precandi Numinis induci: Ea res est magna perpetuo tum virorum, tum fœminarum frequentia celebrata. Tertio verò die ad vesperam, sodales funiculis diuerberuêre sese, dum piè Psalmus quinquagesimus decantaretur: id quod Ciuitatis pietatem & admirationem simul concitauit. Quadragesimæ deinde Dominicis diebus de Christi cruciatibus in eodem tẽplo breues habitæ conciones, magna auditorum corona, non sine cantus religiosa symphonia.

TRES ad vicina loca excursiones factæ. Ac prima quidem ad Archiepiscopi diœcesim, per maiorem hebdoma

domadam à noſtro Sacerdote, fratre illi adiuncto, magno cum populorum fructu: qui frequentes ad Pœnitentiæ Sacramentum, ad Catechiſmum, piaſque collocutiones confluebant. Altera fuit alterius item Sacerdotis ad Pientiæ diœceſim, ex qua etiam ſuperiori perſimiles relati manipuli. Tertia duorum Patrum, quos in obeunda diœceſi habere ſocios Archiepiſcopus voluit: quorúmq; opera potiſsimũ vſus eſt in populis Confeſsione, ac Fidei ſumma enucleanda, præparandis ad myſteria Euchariſtiæ ſacríque Chriſmatis ritè ſanctéque de ſua ipſius manu percipienda. Propterea enim Patres vno ſemper die ampliſsimum Præſulem anteuertebant. Qua ratione & populis factum ſatis, & magnus pietati Chriſtianæ ſperatur cumulus acceſsiſſe. Præcipuè verò perfectum eſt, vt in ſingulis locis Catechiſmi tradendi ratio iam inſtituta retineatur, in poſterum: ad eámque rem puerorum futuri Magiſtri publicè renunciati, puellarúmque Magiſtræ, atque in album tum hæ, tum illi relati.

NIHIL autem eſt hîc neceſſe multa dicere, de reſtinctis odiorum incendiis, de ære alieno reſtituto, de reiectis pellicibus, aliiſque rebus generis eiuſdem: quæ ſunt in huiuſmodi expeditionibus viſitata. Et quanquam alij quoque Epiſcopi noſtros ad huiuſmodi munera expetiuêre; iis tamen vt maximè vellemus mos geri non potuit: ne templum noſtrum neceſſariis operis deſtitueretur. Ad mortem cum ſpe ſempiternæ vitæ obeundam, tum capite damnati, tum per Vrbem ægrotantes diligenter inſtructi. Ex his quemdam lethali morbo laborantem ad purgandam ſacra confeſsione conſcientiam quum eſſent optimi quiq; Sacerdotes ac religioſi viri adducere fruſtrà conati, vnus è noſtris tandem ita permouit; vt magno animi ſenſu eidem delicta ritè confeſſus, poſt horæ quadrantem ad vitã (vt ſperatur) mortis expertem emigrarit: viginti aureorum millibus ciuitatis Valetudinario legatis.

Digitized by Google

eis. Mirificè alius extra Vrbem ex morbo decedens ope nostri Sacerdotis, adiutus: de quo etiam iam vita functo idem Sacerdos quòd vir ille claro in primis genere ortus esset, concionem funebrem habuit: id quod ita eius oppidi ciuibus gratum accidit, vt ad studium sint audiendi aliquem diutius ex nostris concionatoribus concitati. Nobilium virorum Sodalitas & numero & pietate amplificata, id quod etiam iure potest de discipulorum Sodalitio confirmari.

IN Gymnasium quoque tertia iam hoc anno Grammaticę, eademque infima Schola quasi postliminio rediit: quare Scholis aliis duabus hoc adminiculo fultis licebit altius euolare: & iam nunc discipulorum certè numerus creuit, magna ex parte nobilium Schola de officiorum seu conscientiæ quæstionibus, ob superioris Archiepiscopi obitum intermissa, ad noui aduentum est, & quidem frequentibus auditoribus, restituta: quam ferè semper idem nouus Archiepiscopus Tarugius, idémque Cardinalis amplissimus sua præsentia cohonestat. In templo nostro aræ maximæ renouatus ornatus, & præclara candelabra inaurata duo cereis sustinendis ad eandem aram, hinc atque hinc in brachiorum speciem, collocata. Idem templum argenteo calice perpulchro quadraginta, æstimatum aureis, aliquot præterea sacerdotalibus indumentis, lineáque veste donatum. Nobili nata genere matrona, quæ dum adhuc viueret, optimè erat de Senensi Collegio merita, hoc anno mortua, quum propinquis careret, Collegio facultates testamento reliquit. Atque exploratæ quidem duobus aureorum nummorum millibus fermè censentur. Alij tamen præterea sperantur ex iisdem facultatibus conficiendi sexcenti. Atque hęc de Romana Prouincia scribenda visa sunt.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA SICILIENSIS.

NVMERAVIT Siciliæ Prouincia locis sexdecim socios quadringentos triginta quinque: in Domo professa Panormitana nouem & quadraginta, vno plus in Panormitano Collegio, in Messanensi tres supra nonaginta, in Catanensi Collegio duos & viginti, totidem in Syracusano, & in Calactensi, in Collegio Montisregalis septemdecim, in Biuonensi, & Drepanitano duodeuiginti, in Rhegino & Martalensi quatuordecim, vno plus in Menenino, in Collegio Melitesi duodecim, in domo Probationis Messanensi triginta duos, vno minus in Domo Probationis Panormitanæ, in residentia Calatanixetensi sex. Recepti in Societatem sex & viginti, nunc verò desiderantur octo.

DOMVS PROFESSA PANORMITANA.

VERVNT hoc anno in Domo Professa nouem & quadraginta, Sacerdotes tres & viginti, reliqui Coadiutores. Frequentantium concursus superiorum annorum vicit frequentiam, vt ne tres quidem supra viceños confessionibus audiendis sufficerint. Multorum confessiones generales exce ptæ,

Digitized by Google

tę:duo religioni nomina dederunt. Restituerum æs alienũ, deterriti nõnulli à cædibus, pax illustris inter duos interiecta, puellæ à parente ipso veneno destinatæ in cœnobium fuga præstita: aliæ item morbo conualescentes à Xenodochiis in ædes meretricias iterum ne redirent: aliæ vt ne meritoriæ fierent, aliæ vt virorum suorum gratiam inirent, curatum est. Cæterùm audito remedio, à P.G. ad regularum perfectam obseruantiam excogitato, vt plures scilicet ad id muneris delecti Societatis domos, quæ singulis demandatæ essent visitarent, ingens lætitiæ significatio facta est.

COLLEGIVM MESSANENSE.

COLLEGIVM Messanense nostrorum capita tria & nonaginta censuit, Sacerdotes vnum & viginti, ex quibus duo Theologiæ Professores, vnum Conscientiæ casuum, tres Philosophiæ, ex ijs verò: qui Sacerdotes, Præceptores sex Rhetoricæ & Humanitatis duos, Grammaticæ quatuor, Scholasticos tricenos, Theologiæ septem, Philosophiæ octo supra viginti, reliquos Coadiutores. Vita decesserunt tres: quorum vnus Ioseph Pyrronius Calactensis Coadiutor post annos sex, quibus in nostra familia vixerat, obedientia clarus; obijt decimo Kal. Octobris, lenta tabe consumptus: sed eius patientiæ superstite memoria. Porrò grassantibus per vniuersam Vrbem grauissimis diuturnisque morbis, in nostrum Collegium patuit aditus: siquidẽ illi è Nostris circiter tricenos grauiter inuasêre, duos Panormitanos exemerunt. Alteri Ioannes Stremula nomen erat, qui sextum attigerat annum in Societate, ac

tres

Digitized by Google

tres annos Præceptoris officio functus, cum annum Methaphysicæ studuisset, absoluto Philosophiæ curriculo, vitæ quoque curriculum absoluit, quarto nonas Octobris. Hic ob morum facilitatem toti Collegio lachrymas excussit. Insignis eius fuit in sumendo viatico lætitia: illud verò admirabile, cùm in rebus ad corpus & valetudinem pertinentibus deliraret maximè, in diuinis & ad animum spectantibus ratione pollebat: quod apertissimè patuit in ardētibus ad Christum, eiusq; matrē, S. Michaelem, P. Ignatium suspiriis ac vocibus: in quibus quantum vsus consuetudoque vitutis valeat, non obscurè demonstrauit. Tres annos alter in Societate fuerat Rocchus Glorioſus, qui absolutis Humaniorum litterarum studijs, non leui febri oppressus interijt, quarto Kal. Decembris. Nunc ad externa.

CATECHVMENI octo sacro Baptismatis fonte abluti, quos inter anus grandęua paulò ante quàm extremum vitæ spiritum emitteret. Senex item octogenarius Afer ad Christianam fidem insigniter excitatus est. Oues quippe noctu custodienti monachus aspectu grauis apparens, Christianus vt fieret, suadebat; ab eóque rogatus quis esset: Vincētius sū, inquit: cui ille, Nę tu ad surripiendas oues huc aduenisti? quare fis abi hinc. Ad hæc verba S. Vincentius ab eius aspectu se sustulit. Aliquando rursus somno experrectus ad Christianam religionem ignotis vocibus excitari se audit; dumque pauidus vocis auctorem interrogando quærit, Mariæ nomen reddi sentit, quam in eo templo, quod vocant (della grotta) Mamertini venerantur. Accensam præterea facem per cubiculum circunferri intuebatur; sed cuius manu circumferretur, non videbat. His omnibus visis, diuinisque monitis, cum adhuc Afer obsisteret, aduersa fortuna iactatus, falsaque accusatione in graue discrimen adductus, ad Deum tanquam ad Patronum confugit; seque inde apud

Nostros

Noſtros recipiens illis animum aperuit, ac præſertim in audienda cœleſti voce torporem, in rogandis, arripiendiſque ad Fidem neceſſariis ardore compenſauit. Baptizatus in templo noſtro ad tibiarum ſonum & ſuauiſſimam vocum ſymphoniam. Curauimus verò (vt hoc exemplum eſſet alijs incitamentum) vt ex nobilibus duo ſuſceptores illi forent, & ad ſacrum Baptiſmatis fontem adſiſterent. Præterea vt ne aliquod in illo cohoneſtando honoris genus per illum diem deſideraretur, à viris Illuſtribus ſummâ beneuolentiæ atque humanitatis ſignificatione ſuſceptus in Rhedam per Vrbem vniuerſam vectus eſt. Cæterùm ſeptem è Noſtris conſtituti, qui Dominicis diebus diuerſa pietatis munera obirent, atque animabus quam poſſent opem ferrent. Vterque Vrbis carcer præcipuum ſenſit præſidium. Multi ad meliorem frugem ſe receperunt: nec defuit, qui multorum annorum maculas confeſſione dilueret, aut qui ſe flagris crebrò diuerberaret. Scortis facillimus, inueterato more, in carcerem aditus penitus eſt intercluſus. Praua ludendi publicè conſuetudo ſublata. Vt quotidie litaniæ recitarentur conſtitutum. Singulis diebus viri nobiles per horæ dimidium, eorum qui conduntur in carcerem cœtum cogentes, pium aliquem libellum legendum curant. Decreuerat ibidem homo omni ſpe deſtitutus in altiſſimum puteum præcipitem ſeſe agere: noſtri miſerum & à tam immani deliberatione auocarunt, & ab ingenti criminum labe, in qua annos quatuordecim delituerat, abſtraxerunt. Statuerat alius vxori ſuæ per aliquem necem inferre: ſiquidem illa à firma coniugij fide deſciuerat: noſtrorum tamen monitis cum vxorem ad ſe venire iuſſiſſet, eam induxit, vt in cœnobium ſe reciperet, ibique cælibem vitam traduceret. E Scholaſticorum Sodalitio quinque in religioſam militiam prodiere; in noſtram tres, in Capuccinorum duo. Mulier nobilis ſuſcipiendæ prolis cupida, vt

ſcilicet

Digitized by Google

scilicet cum viro partu illo tanquam arctissimo amoris vinculo connecteretur, Cōfessarium frequenter obsecrabat, vt à Deo bonorum omnium munificentissimo largitore id muneris obsecranti impetraret: à quo cum didicisset, vt Sanctorum opem imploraret, idque sedulò præstitisset: nunquam tamen res votis respondit: tulit tempus occasionem ad Ignatium parentem nostrum confugiendi: narrauerat quippe sacerdos fœminæ, quod in Collegio audiuerat de Ignatio pridem accidisse, miraculum: itaque mulier Confessarij hortatu, ab Ignatio quod diu peroptauerat, contendit precibus, pollicita partum illi dicaturam si daretur: peracto mense beneficum sentit Ignatium: eaque nocte, quam Domini Natalis illustrat, masculum parit, Ignatio dedicat, eiusque nomine appellandum curat.

COLLEGIVM PANORMITANVM.

ALVIT Panormitanum Collegium quinquaginta: Sacerdotes vndecim, quorum quatuor Professores fuerunt, Humanitatis duo, alter foris, alter domi, tertius Philosophiæ, quartus Theologiæ; reliqui Præceptores quinque; Grammaticæ quatuor, vnus illius socius, qui præfuit domesticæ Academiæ. Academicos sexdecim, Theologiæ Auditores duos, quorum alter Sacerdos; Coadiutores septemdecim. Hic annus feliciter exiit. Vir Illustris Ioannes Plutamonius aureorum vicena millia in Collegij fundationem dedit, vt operiiam inchoato tandem fastigium aliquando imponeretur. Quod erat optatum maximè, vt ingenti Panormitanorum adolescentium numero par subsidium, ad

Digitized by Google

maiorem Dei gloriam præstaretur. Pransus est fundator apud nos post aliquot dies: habita est oratio in triclinio: aula maxima peripetasmatis exornata, multis carminibus conscriptis: ipsius aulæ paries ex iisdem carminum paginis triumphalis fornicis suspicientium oculis reddebat imaginem: grati animi monumentum. Lætari senex ac gestire, Summam, inquiens, capere se voluptatem, & mirificam existimare gratiam in conuentu sedere medium virorum religiosorum, ac sapientium, quales Societas parere & nutrire solet.

VENIO nunc ad fructum, qui ex hoc agro quotannis colligitur. In Gymnasio summa quies, & tranquillitas sedem posuêre. Factum est vt singulis quibusque Dominicis vna ex Grammaticę classibus pueros ad sacras epulas pro aliquo sermone instructos ac paratos mitteret; vt omnes pueri menstruo quoque spatio, vel semel cõmunicent, non sine illorum ædificatione, qui ad ædiculam nostram ventitant.

SODALITIA duo Humanistarum, & Philosophorum, vt vocant, cum classibus: mirum quantum in emittendis fœtibus religiosis familiis concertarunt: quatuordecim circiter peperêre, nostro ordini quatuor, reliquis decem. Oratorium puerorum tum delectu, tum vbere fructu illustrius solito fuit: delectus factus ex Capitularibus. Plerique octauo quoque die communicant. Natalitiis feriis effagitarunt quadraginta horarum preces, impetrarunt, impetratas diligentissimè obiuerunt. Sed de eorum qui humanioribus literis dant operam Sodalitate præcipuè hæc dici possunt: Sacramentorum frequẽtia singulis hebdomadis insignis est in omnibus ferè Sodalibus; neque fructus vmbratilis, at solidus. Adolescens, vt ne saltem osculum ferret, pudicuam refutauit, moxque pudori suo timens magna vi ex illius conspectu se præripuit. Alius, quod maioris est fortitudinis, cum esset in cubicu

Digitized by Google

cubiculo,ne à muliercula quadam ibi reperiretur,è fenestra prosiliit.Propositũ verò Religionis commune prope est omnium:septé enim circiter ex omnibus demi possut: rem haud esse verbo tenus,mores,modestia,maturitas,exempla virtutum probant.Hoc etiam præteriri non potest, quod etsi neq; ad Congregationes neq; Gymnasium pertinet,tamen certè huius Collegij est.Iuuenis in id sceleris lapsus erat,vt culpæ grauitate perturbatus,de salute sua desperaret,& medicinã perosus Medicos fugeret:sed præter spem aliquando incidit in Nostrorum quemdam. Is (quod nostræ Societatis est munus) hominem ad confessionem hortatur,vt scilicet tanto se animæ periculo liberet:applicuit cohortationi aurem miser; decreuit sistere se ad Sacerdotem;verùm enim verò diem ob verecundiam differebat.Interea dæmon illum conflictare,exagitareque;aut Deus potius Pater misericordiarum his portentis excitare dormientem.Sæpe etenim sese fusci canes aspectui offerebant minarum ac terroris pleni, qui ne saxis quidem abigi poterant: interdum verò facilè euanescebant:quid tum?mane dum in lecto iacet, duplici consopitur somno,colaphum sibi impingi cum hac voce sentit: Quousque tandem Sacerdoti peccata non deteges? Expergiscitur terrore perculsus, eoq; animatus metu,ad sacerdotem Societatis conuolat, ac se obfirmatis diu laqueis extricat.

FINIS sit felicissimus,ac ter quater beatus vitæ terminus Io. Baptistæ Martini. Hic consumptus in breui expleuit tempora multa. Etenim florescente prima iuuenta, exacto iam biennio in Grammaticæ professione in hoc eodem Collegio, anno quarto Religionis conflictatus grauiter aliquot mensibus ptisi, ac sanguinis eiectione, sine vlla vnquam impatientis animi,aut ægri nota,sine querela,quatuor horas circiter ante solis ortum die Apostolo Andreæ sacro Apostolicus verè adolescens migra-

Digitized by Google

uit in cœlum: tranquillo abiit animo vultuque, præsentes extremùm hilariter alloquens, ac flagitantibus, vt pro se Deum in cœlis oraret, id summa synceritate pollicens. Nec aliter vitam finire non poterat, qui dum ægrotaret constanti semper animo, pacatoq; fuit, semper & ad Dei voluntatem sese paratum exhibuit, & cælestis visendæ patriæ cupiditate flagrauit: quare pridie quàm obiret rogatus à Sacerdote, qui illi assidebat, ecquid cuperet? Nihil, inquit, præter cœlestem patriam. Paulò antequam expiraret iterum interrogatus, vtrum B. Virginem agnosceret? (erat contrà S. Mariæ Maioris imaguncula, quam è cubiculo in valetudinarium prope lectum asportandam curauerat, & sub extremum spiritum ante oculos suspendi voluerat) respondit: Semper sibi B. Virginem agnoscendam sese præbuisse. Spiritum tandem exhalauit sub hæc verba: Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Ac ita suum spiritum à B. Virgine susceptum, filioque charissimo oblatum, ostendit.

COLLEGIVM CATANENSE.

IN Collegio Catanensi numerantur è Nostris duo & viginti, Sacerdotes vndecim, Grammaticæ Professores duo, Humanitatis vnus, reliqui Coadiutores: Adsciti in Societatem duo. Fuit hoc anno rerum spiritualium messis lætissima; Nostrorumque opera omnibus gratissima; nonnullis præcipuè Nobilium capitum, qui cum à nobis alieni essent, nunc & familiarissimè nobis vtuntur, & mutatis moribus toti Ciuitati exemplo sunt. Alij concubinas dimisêre quibus

Digitized by Google

bus sex, decem etiam annos adhæserant. Mulier dim in cœno turpitudinis volutata emersit, & in cœnobium pœnitentium ad abluendas vitæ maculas se recepit. Sed dum solemnes cærimoniæ, vt solet, in templo fierent, ecce tibi (tantum valet exemplum) muliercula conscientia maleficiorum suorum stimulata, erumpentibus præ cordis compunctione lachrymis ac fletibus, prodit in medium: fatetur se peccatricem, omnibus qui aderant (aderant verò permulti pleno templo) rei miraculo obstupentibus: deinde ad matronæ cuiusdam nobilis pedes procumbens, eam lachrymis obtestatur atque obsecrat, vt sibi præsto sit, ipsamque domi suæ famulatum recipiat. Res pro votis euenit: suscepta domum est à Matrona illa, à qua & alijs principibus fœminis, Nostrorum hortatu dote præstita ad centum aureos, cœnobiū idem ingressa, ibi religiosè vitam agit: quam dæmon, quòd eius militiam euirasset, acriter verberibus interdum infestans, & mulierem fortem esse, & religioso certamini aptam probauit. Et hę quidem cœnobitæ sunt. Alia meretriciam vitam detestata, corrogata ad dotem stipe, honestè cum viro nupsit. Turpis fœmina, quatuor puellarum mater, prostituta iam pudicitia sua duarumque ex filiabus, ad id facinus designauerat tertiam: res ad Nostrorum aures simul vt peruenit, virginem primùm, cui pudoris periculum imminebat, liberant; deinde quartam in Virginum cœnobio collocant: tum matrem cum reliquis singulas honestis matronis in officio continendas, ac sustentandas tradunt. Multis præterea puellis res necessaria impertita, dos ipsa à ditioribus confecta est.

DE confessionibus generalibus, pacificationibus, ære alieno restituto, ope pauperibus præstita, cæteris que pijs officijs nihil attinet dicere. Sodalitia B. V. florent. Id quod ex opificibus constat singulis diebus Dominicis certatim meridie, præsertim æstuante sole, vt omnes do-

Digitized by Google

mi reperiant, abnuente interdum patre ob valetudinem, Ciuitatis vicos circumeunt, quicquid corrogant, pauperibus distribuunt. Itum est à Nostris in auxilium, cohortationemque ijs, qui ad patibulum ducebantur. Itaque factum est, vt illi non ad mortem, sed ad epulas procedere viderentur: ac longum ipsis censeretur spatium, quo tandem permenso, per debita maleficijs, sceleribusque supplicia (vt dictitabant) suis in cœlestem patriam demigrarent.

VIR nobilis qui templum nostrum frequentat, maioribus anni ferijs sponte vicenos circiter aureos Nostris offerre consueuit, vt eos pauperibus dispertirent. Mulierum cœnobia communem vitam non adhuc amplexa erant, noster cohortationes habuit sæpissime (Rector enim efflagitantibus cœnobijs, certantibusque inter se, cui illo die Pater deberetur, negare non poterat:) dicentis verba non sine factis audientium fuerunt. Moniales certatim auro argentoque Antistitis sinum impleuêre, communem victum, vestitumque poscentes. Episcopus duos è Nostris à consilijs in rè graui decernenda voluit, adfuerunt, rem strenuè adiuuerût. Sacerdotes duo in oppidum (Aquiliam vocant) ad negotium profecti sunt, Aquilienses Nostros conueniunt, orant supplices concionem habeant: concionatus est alter tam frequenti conuentu, vt templum quamuis capax multitudini non sufficeret; ex ea verò concione tanta contritio secuta est; tamque vehemens spiritualis salutis desiderium, vt concionator eorum precibus & obtestationibus coactus sit diebus quoque profestis ad oppidanos verba facere. Confluebant plurimi, etiam ex agris, sepositis aratris ac ligonibus, per duo, interdum tria passuum millia: negotium quod erat priuatum publicum factum est ex concionibus, fructus ingens. Sacerdos alter totus erat in confessionibus: ægrotantium domus aditæ, ad audienda peccata: conscientiæ casus explicati.

plicati. Noſtris ambulantibus per oppidum gens illa honorem ac reuerentiam exhibebat maximum, pars prodire in medium ad ſalutationes; mulieres è feneſtris benè precari; pars Societatem prædicare, ac ſummis laudibus extollere: & ſanè multum de hoc oppido Societas bene merita eſt.

COLLEGIVM SYRACVSANVM, ET Calactenſe.

IN Collegio Syracuſano verſati ſunt duo ſupra viginti, Sacerdotes nouem. Humanitatis & Grammaticæ Profeſſores tres: reliqui Coadiutores. Enituit Noſtrorum opera in diſcordijs ſedandis: quo in genere duplex exemplum: è magiſtratibus duo inimicitias depoſuêre, in magnam alioqui perniciem erupturas. Inter primores item duos odia reſtincta. E prima nobilitate noſtrorum diligentia in Cappuccinorum ordinem cooptati duo, quorum alter exercitijs ſpiritualibus excultus eſt à Noſtris: nonnulli Societatē in votis habent; ſed locorum angustijs excluduntur. Sodalitia quatuor & numero & fructu creſcunt in dies magis: inter hæc opificum cœtus excellit. Feſtis diebus Vrbem circumeunt inopum gratia. Egenis conſultum eſt, vt cum maximè: nam à Rectore mandatum eſt, vt ne pauperum aliquis ſtipis omninò expers dimitteretur: in quo vis diuinæ prouidentiæ perſpecta eſt: nunquam enim eleemoſyna, partim concionatore cohortante corrogata, partim à Noſtris oſtiatim emendicata, defuit. Gymnaſium complures frequentant; præſertim verò de nobilibus, qui dant non vulgare ſpecimen ſui profectus. Extremis

Digitized by Google

bacchanalibus quadragiata horarum supplicatio instituta est, nec sine vbere fructu: plures enim ita ad pietatem sunt excitati, vt non modò preces ad Deum fuderint, verùm etiam peccata confessione expiarint. Sacerdos vnus triduo ipso ante cineralia quadraginta totius anteactæ vitæ noxas confitentibus aures dedit. Frequens fuit ad conciones concursus. Argentea statua S. Luciæ iam diu decreta, à concionatore pro suggestu commendata festinat ad exitum: cuius item sepulchrum nostrorum hortatu ornari, atque impensius coli cœptum est, factumque vt ibi res diuina quotidie fiat. Collegium trecentis aureis donatum. In templo itidem sacella duo erecta, quorum alterum pereleganti tabula ornatur. Obijt Petrus Fauilla Coadiutor ex Scylacio Calabriæ oppido, ætatis annum agens sexagesimum septimum, Societatis trigesimum quartum; qui pluribus annis ex valetudine patienter laborauit.

CALACTENSIS domus Socios habuit duos & viginti, Sacerdotes nouem, Præceptores tres, reliquos Coadiutores. Ciuitas tota, ad omnia Societatis consilio vtitur, quasi verò piaculum sit à Nostrorum sententia discedere. Sacerdotes occupationibus distentissimi. Meretrix vt ad peccandum erat diligens, ita nunc ad percipienda sacramenta diligentior est. Latro nobilis in Valetudinario ægrotans, morti propior nullum de confessione consilium admittere volebat. Accersitur Sacerdos è Nostris, vt opem ferat, si forte illius hortatibus obstinatas tandem aures applicet: adest Pater, enititur pro viribus, sed neque hortando quicquam proficit: debebatur scilicet victoria piaculari aquæ; vt enim moribundi frons à Sacerdote lustrali aqua oblita, ac sacrosanctæ crucis signo munita est, mutato consilio peccata sua ritè detegit, ac magna salutis concepta spe, die insequenti tranquillo pectoque animo moritur.

COL

COLLEGIVM MONTIS REGALIS, ET BIVONENSE.



COLLEGIVM Montis regalis numerauit Socios septemdecim, Sacerdotes septem (ex quibus vnus casuum conscientiæ Professor,) Præceptores reliquos duos: cæteros Coadiutores; quorum vnus vita cessit. Vitus Auerna, annos natus quinquaginta duos, post vicesimum quintum Religionis. Hic magnum præbuit patientiæ exemplum donec morbus (cancrum Medici vocant) oculum quem occupauerat, effodit, & in cerebrum serpens lentè, quanquam imporenti vi, vitalia capitis abrosit. Quinq; in albo Capuccinorũ adscripti sunt. Itum est à Nostris ad monasteria mulierũ, efflagitate id Archiepiscopo, magno cum Monialium fructu, qui à confessionibus captus est. Fratres germani ira inter se dissidebãt, vt alter alteri mortiferum vulnus inflixerit: tres dẽ Nostrorum opera eò deducta est, vt alterum facinoris pœnituerit, alter iniuriam condonarit. Parturienti mulieri præsto vnus è Nostris, ingemiscentis peccata accepit, appositoque collecti agno eam partus difficultate liberauit. Decreuerant duo primarium Ciuitatis, ex insidijs, tollere: ne audita Coadiutor è Nostris, illis, vt animum à tam immani proposito auocarent, ita persuasit, vt secum ipsi postea facinus reputantes, ad dissuasorem magna cum gratiarum actione redirent. Sacerdotis vnius industria septem virgines, paupercula illæ quidem, nec sine pudoris periculo in matrimonio collocatæ, duobus exercitia spiritualia Societatis tradita magno cum fœnore: alter erat Vrbis Prætor,

Digitized by Google

Antistitis alter à cubiculo. Donatum est Collegium ab Archiepiscopo rure quodam, quod singulis annis centum circiter ac viginti aureos reddere solet.

BIVONAE versati sunt è Nostris duodeuiginti, Sacerdotes sex, Præceptores duo, reliqui Coadiutores, Collegium loci commoditate frequentatur magis, magisq; (de domus mutatione dictum est annis superioribus) quare templum hoc anno ad multitudinem capiendam augere coacti sumus. Anus octogenaria Societati addictissima cum febrim quæ illi interitum minitabatur, nulla Medicorum ope posset expellere, imaginem P. N. Ignatij pectori suo admouit, atque ita cessit febris, & conualuit. Falsò inusserant duo, vni ex Nostris, nescio quam notam; atqui Deus vltionis iniuriam pati non potuit: intra paucos dies alter morbo absumptus est; in alterum à Magistratibus de quodam alio crimine grauiter inquisitum. Aucta est nostra domus à Ciuitate aureis annuis quinquaginta: semel etiam ad vitæ subsidium aureis quinquaginta super ducentos donata est. Hoc anno primùm in hoc Collegio distributio præmiorum instituta. Habitus dialogus coram Paternionis Principe, aliisque iuris primarijs, cuius sumptu res omnis peracta est. Duo è Sodalitate B. V. in Societatem transiere: in Dominicanorum ordinem tres: dialogi fama multos è finitimis oppidis adolescentes in Gymnasium nostrum euocauit. Extremis bacchanalibus in templo nostro quadraginta horæ primùm indictæ. Habitus itidem dialogus hoc tempore de Christiana doctrina, pro rudi plebe, proque impetu insanientium hominum his diebus compescendo: res feliciter exijt. Episcopus Agragantinus re audita: ô, inquit, si in cunctis oppidis tales Coadiutores haberem! Nostrosque summis laudibus cohonestans, bono animo pergere iussit.

COL

COLLEGIVM RHEGINVM.

FVERVNT in hoc Collegio Socij quatuordecim, Sacerdotes sex, Præceptores duo, cæteri Coadiutores. Incommoda quidem domus iam ab eo tempore, quo ignis hostilis Turcarum in Vrbem totam grassatus est; sed hilariter à Nostris, & quasi cum voluptate habitata: neque enim externis quicquam, quod eorum saluti foret, prætermissum est. Solet autem Rhegina gens Nostrorum de sententia, omnia prope agere: quare lites grauissimæ diremptæ inter viros Vrbis principes: paces conciliatæ, vlciscendæ iniuriæ ardor extinctus. Et hic quidem fructus inter alios ex concionibus perceptus est. Mulier qua hora tintinabulum inchoandæ sacræ lectionis signum daret, alio se recipiens, cum esset prope templum sono campanæ inuitata ingreditur; aures dat: audita lectione Lectorem accersiri ad se orat: cui cum adesset, Ego, inquit, & filius meus ob conceptam turpitudinis suspicionem filiæ meæ in insequenti nocte mortem inferre decreueramus: sed ex verbis tuis coacta mutare sententiam, volui id vt scires, & consilium dares. Pater mulierem à facinore deterruit, vt filius itidem tam immani proposito renunciaret, effecit: puellam ipsam in tuto seruandam curauit, quousque penitus, vt postea accidit, cessaret suspicio. Alius fortunarum consanguinei sui cupiditate inflammatus, eò se perduci fiuerat, vt illi mortem dies plures machinaretur; at quum diuinæ lectioni forte adesset, cupiditatis immanitatem agnouit, omnemque resumendi propositi occasionem sustulit. Alius voluptati deditus diu à Confessione abhorrens, graui cæterorum scandalo, audita semel lectione,

Digitized by Google

ctione, puriorem sibi vitæ modum constituere decreuit, factaque generali confessione, ad rectum salutis iter reuocatus est. Mulier identidem diu turpibus sceleribus obnoxia, emendationis vitæ specimen dedit. Confessiones generales plures exceptæ: itum ad eos, qui vinculis detinentur; eorumque pauperrimi cibo interdum à Nostris aduecto, quod Ciuitas magni faciebat, sustentati.

SVB aduentum Turcicæ classis trium & quinquaginta triremium duodecimo Kal. Nouembres, dum appropinquante nauali exercitu, Rhegini sese in hostem comparant, Sacerdotes aliquot è Nostris Christi de Cruce pendentis imaginem dextera gestantes, & extollentes, Rheginam pubē hortari, bono animo esse iubere, ne animis diffisi cederent, ne Vrbem de more relinquerent, obtestari. Valuit sermo: auctis enim animis rem fortiter gessere. Illud autem maximo spectaculo, piaque voluptati fuit: certatim milites cæteramque multitudinem cum lachrymis ad Christi pedes exoseulandos cōfluere, & peccatorum suorum veniam certo contritionis indicio precari. Secuta est contritionem confessio: etenim dum hostis aditum in Vrbem pertentabat, Nostri in excipiendis confessionibus defessi erant; quandoquidem antequam Rheginus cum Turca confligeret, peccatorum pondere ad Sacerdotis pedes accidens, se leuabat. Pueri, puellæque cum matribus in templum nostrum, opem imploratum concursabant, quà confessionibus, quà fusis precibus cum lachrymis cœleste numen placantes. Antistes, Nostrorum monitu, quadraginta horarum orationem indixit: à nobis etiam domi nostræ noctem ipsam, qua, certiore periculo, ne hostis Vrbem inuaderet, timebatur, Deo supplicatum est. Res ad miraculum processit: ex Rheginis vnus in prælio fortuna cecidit: ex Turcis plurimi interfecti, alij capti, & vires quidem hostis validiores erant. Cessit itaque classis spe frustrata: iam enim sibi

Digitized by Google

sibi in animum induxerat, vt quatuor ab hinc annis vrbem ferro igniqúe inuaferat, ita nunc instauratam flammis iterum absumere. Sed non eadem hominum cum superis vis est.

SODALITIA duo natu maiorum vigent maximè. Sodalis quidam non ex infima plebe grauibus contumelijs in publico acceptus, impatientem animum coërcuit, deque eo triumphauit egregiè: Vade, inquit, in animæ salutem incumbenti respondendum non est; illatam tamen iniuriam condono. Hoc patientiæ monumentum diu in ore ciuium fuit. Ex quo Sodalitia maiori honore esse cœperunt. Eam ob rem, si cuiquam aliquid litis cum sodalibus est, non ad Iudicem, sed ad Sacerdotem qui Sodalitio præest, ad litem dirimendam confugiunt. Bis hoc anno in téplo nostro per horas quadraginta meditationi vacatum est. Discipulorum numerus maior: excoluntur etiam ipsi pietate & moribus in duobus Sodalitijs, non sine fructu. Sacerdotes duo vicissim cum Archiepiscopo ad lustrandam diœcesim profecti sunt, quà concionibus, quà Christianis rudium Institutionibus Antistitis operam iuuantes; ipse verò ita nos diligit, vt vnus videri è Nostris cupiat.

DREPANITANVM, ET MENENINVM Collegium.

DREPANI commorantur octodecim, Sacerdotes septem, Præceptores duo, reliqui Coadiutores: vnus in Societatem ascitus est. Capularis anus mancipium grauiter ægrotans, quod in dubium vocaretur, vtrum baptismatis fonte abluta esset, Nostrorum opera, ex conditione, vt aiunt, eodem fonte

fonte lustrata est, quæ deinde simul vt totius anteactæ vitæ maculas confessione detersit, statim abscessit è vita. Homicidia vetita: lites compositæ magni momenti: pacificationes procuratæ. Illa fuit insignis. Inter potentiores bellum intestinum obortum erat; ita vt posita vtrimque acie, cum sclopis ardentibus periculis iniretur: at Nostrorum interuentus odij faces extinxit. Puellis aliquot ne laberentur, lapsis etiam alijs, manus porrecta: quidam ne mulierem noctu è fenestra lapsuram raperet, deterritus. Duo sceleris sorde marcuerát, alter annos decem, alter duos & quadraginta; nitori tandem pristino restituti. De vtroq; Xenodochio optimè hoc anno meruit Collegium nostrum, ægroti omni prope præsidio destituti, nec diebus sacris à re diuina solatium, nec à Sacramentis robur, nec moribundi ab assidentium cohortatione subsidium capiebát. Nostrorum industria factum est vt annua pecunia duobus Sacerdotibus alendis, qui ægrotantibus præsto essent, constitueretur.

MENIS quindecim, Sacerdotes septem, Præceptores duo, Coadiutores sex. Missus est Sacerdos in oppidum (Palatiolum nomen est) in quo mulierum cœnobium, quòd vitæ necessarijs fructus annui pates non essent, communes vitæ leges non obseruabat: noster in concione, cum de necessitate, vtilitate, excellentiaq; huius rei ad populum verba feciisset, facilè persuasit vt priuatis opibus publicum hoc negotium iuuarét, corrogati ad hoc aurei quingenti: præterea cum aliàs pro rostris eadem de re ageret, ita vt suadentis sermo præualuit, vt mulieres annulis aureis, inauribus, torquium filis, armillis, digitalibus sese exuerent, aliæ orbiculos vestiarios aureos è puerorum amictu diuellerent. Ea fuit munerum summa, vt diuinæ aræ calicem, pyxidem, sphærulam, ampullas cum patera ex argento confecerint. Cætera huius Collegij sunt communia.

COL

Digitized by Google

MELITENSE, AC MARSALENSE COLLEGIA, ET RESIDEMTIA CALATANIXETENSIN.

MELITENSIS familia duodecim consta ex Nostris, Præceptoribus duobus, Sacerdotibus quinque, totidem Coadiutoribus. Melitenses magis magisque in Societatem afficiuntur; nonnulli præcipuè quibus nomen Societatis suspectum erat, & inuisum. Equitum plerique ab Societate nostra plurimum adiumenti, ac nitoris familiam suam accepisse prædicant. Confitentium numerus maior fuit, Equitum præsertim, quibus, præter Cappellanos, vt vocant, suos, & Societatis nostræ Sacerdotes, peccata aperire licet nemini. Solemnioribus festis diebus accidit, vt non pauci sanè desiderio suo fraudati, confessionem differre coacti sint; adeo frequens concursus fuit. Illud verò commendare solent maxime, à confessarijs nostris, etiam ex infima plebe, aut fæce triremium excludi neminem. Magnus Magister, Episcopus, & Inquisitor in multis Nostrorum consilium petierunt. Nonnulli ex licentiore viuendi genere, per generalem confessionem ad æquum se recepêre. Puellę sex nostrorum opera Monasterium virginum ingressæ. Vni, quæ domo sua, ne suorum turpi exemplo contaminaretur, sponte cesserat, ex eleemosyna quæsita dos est, & coniux datus. AEris alieni restitutio, mulierum ad pudicitiam receptio, inimicorum conciliatio, communia sunt. Duobus post Catechismum baptisma impertitum est. Hoc anno Melitæ, orationis quadraginta horarum in templo nostro cum celebri symphonia, extremis bacchanalibus receptus est mos: quo tempore certis ludis

Digitized by Google

dis annuis diuino Numini quàm maximè infensis interdictum est. Gymnasium frequentatur non Insulanis modò; sed alijs qui in Equitum ordinem cooptantur: quorum non pauci, vt prædicant, idcircò domo à parentibus huc mittuntur, quod ab hominibus Societatis erudiendi instituendique sint: quæ ad literas pertinent à Nostris quærere consueuerunt: eam ob rem mense Septembri, die natali Beatissimæ Virginis (quem diem lætum ac honoratum habent, ob insignem victoriam de Turca partam: quo item die eiusdem Virginis imaginem, opus, vt traditur, ipsius Lucæ Rhodo delatam ostentant) drama à nostris haberi voluerunt, cuius argumentum de sacrarum imaginum veneratione fuit. In exequijs Philippi I I. Regis præter epigrammata, emblemata, cæteraque carminum genera, quæ dedimus, orauit è Nostris vnus, gratissimo animo auditus. Sodalitas B. Virginis nunc primùm cum primaria Romana coniuncta est. Collegij hoc anno tandem situs, qui gemina ex fronte intercoeptus erat, sumptibus Antistitis continuatus est: templum quoque Sacello auctum, eiusdem munificentia, à Sancto Damaso nomen habuit. Mulier ad coædificationem Collegij aureos centum dedit. Ad eandem Socius noster, facta sibi potestate à Nostro P. Generali aureos ducentos ex patrimonio suo attribuit. Cæterùm Melitensium omnium ac Equitum perspecta iam in nos propensio ac beneuolentia, de Collegio nostro benè sperare iubet.

MARSALENSIS ager adhuc nouellus est, maximam autem spem colonis affert: fructus præcipuus inter cæteros ex doctrinæ Christianæ explicatione capitur. Solet esse puerorum numerus confluentium ad ducentos: neque verò bona pars villicorum deest: quæ res Confessarijs illorum, erudiendi in confessionibus onere, non parũ leuat. Exercét se in hoc agro è Nostris quatuordecim, Sacerdotes sex, Præceptores duo, reliqui Coadiutores.

RESI

RESIDENTIA Calatanixetensis sex aluit Socios, Sacerdotes duos, Adiutores alios. Quadraginta dialis ieiunij, & Aduentus tempore in templo nostro concionatum est magno cum fructu: sexta quaque feria plerisque viris nobilibus; diebus verò Dominicis à prandio plebeis hominibus sermo habitus est. Sacerdos noster captiuos duos redimendos curauit. Neque præterea, in hac Residentia communes illi fructus desiderati sunt; homo damnatus capite Nostrorum ope ab resti liberatus est.

DOMVS PROBATIONIS MESSANENSIS, ET Panormitana.

MESSANENSIS Probationis domus duos supra triginta complexa est, Sacerdotes quatuor, totidem veteranos, cæteros tyrones, quorum hoc anno nouem accessêre. Res spiritualis valde benè processit, atque omnium virtus intus foriſque enituit. Emigrarunt ex hac vita duo Bartholomeus Bancherius, qui annum ipsum ægrotauit, & P. Iacobus Leuantus in Missione Pactensi, de quo vt admirabilem Dei, ac Domini nostri sapientiam, & arcanam prædestinationis legem suspiciamus, paulò altius rem exordiemur. Hic ab hinc annis duodecim post duos & viginti, quibus in Societate militauit, ab illa defecerat: verùm longo spatio quantam salutarium stipendiorum iacturam fecerat expertus, iterum de Societate cogitat, rursus admitti ac recipi efflagitat, misericordiam implorat, exposcit: & aliquando recipitur. Receperunt sane Patres pœnitentiæ nobile specimen, Societatis nostræ laudum ac virtutum egregium præconem. Admirabantur tyrones, cæteriq; in homine ardorem animi: ac religiosæ perfe-

Digitized by Google

ctionis inexhaustam sitim: ediscebant ab hoc Præceptore adolescentes illi quid esset Societas; & illum interdum illachrymantem, dum de Societate, deque omnium virtutum acquisitione, ac perfecta sensuum nostrorum abdicatione, familiarem sermonem haberet, intuentes ad religiosæ integritatis studium, & in Societatem nostram caritatem, venerationemque accendebantur. Nitebatur ille quidem sæpius, quâ verborum pondere, quâ erumpente lachrymarum imbri, exprimere quid de Societatis instituto sentiebat: sed haud quaquam abundè posse sibi videbatur. Et sane sui ipsius, ac sensuum suorum continentia admirabilis erat. Venio nunc ad Missionem.

PATTAS missus ad concionandum, id poscente Episcopo, ter concionatus est, vltimum in Philippi II. Regis obitum; quo in sermone, cum tritissimum illud vsurparet: Quis scit vtrum ad decimum quintum diem (de me ipse, inquit, primum loquar) sit peruenturus? de se verè dixisse visus est. Agebatur tertius dies ab ijs verbis, cum se febri tentari sentit: itaque lætissimo atque incredibili tolerantis animi significatione in ægrotatione se gessit. Cumque tandem ipsi à socio de salute sua Medicos desperasse nunciaretur, quare se ad cœleste viaticum appararet, ô inquit, iucundissimum nuncium: Age verò, frater charissime, bono animo esto, ecquid mihi nunciari beatius poterat? igitur vt veniat ad me Dominus meus, quem amo, quem desidero? Illud verò memoratu dignissimum est: cùm mirificam erga Patres, fratresque beneuolentiam & charitatem haberet, vt ab ijs facilè diuelli abstrahique non posset, dum ægrotaret, socium compellebat sæpissime, eumque orabat, vt ipsum alloqueretur; Incredibile enim quantum, inquiens, solatij capio ex nostrorum colloquio: videor enim mihi cum Angelis colloqui: æquissimo tamen animo procul à domo procul à nostris ægrotare, vel etiam mori pertulit. Diem obijt pridie Idus Ianuarij,

Digitized by Google

Ianuarij,non ſine Antiſtitis, & Canonicorum ſenſu doloris: eius corpus præeunte funerali pompa, in templum maximum delatum,honorificè ibi poſt rem diuinam,cantu ac ſolemnibus cœrimonijs celebrem, ſepultum eſt.

RELIQVA eſt altera miſſio in oppidum quod Monsfortis appellatur, huc Sacerdos cum Socio miſſus, quadraginta dierum ieiunio concionatus eſt. Fructus hi præcipui:tria inimicorũ paria inimicitiam eiurarunt.Primum quidem ſexennale odium aluerat, id à pleriſq; dirimi fruſtra tentatum fuerat;inſignis enim alterum diſtinebat iniuria:ſed aliquando tandem diremptum eſt,qui offenſam acceperat poſt confeſſionem offenſoré amplexus, iniuriam illi condonauit.Alterum quod in factionem ferè diuiſum erat conciliatum eſt, alter enim duorum ad Sacerdotis genua procumbés,ſe quicquid ipſe iuberet executurum pollicetur.Tertium hunc finem ſortitum eſt; alter inimicorum cum omni familia ſua, quæ eodem irarum igni exarſerat,depoſitis odijs,confeſſione ſe expiauit, & nonnihil exercitiorum ſpiritualium Societatis meditatus, morum commutatione omnes ædificauit. Sublatæ deinde vanæ quædam ſuperſtitiones, prauæque conſuetudines quibus obſtricti oppidani tenebantur. Fotum præterea, inſigniterque auctum B. V. Sodalitium.

IN Domo Probationis Panormitana numerati vnus ſupra tricenos,Sacerdotes quatuor, totidem veterani,reliqui tyrones,noſtra hæc recens familia huic nouæ Vrbis regioni,quam bona pars agreſtium hominum ac rudium habitat,in exponendis Chriſtianæ doctrinæ legibus mirum quantum affert emolumenti: eſt enim hæc regio à cætera Ciuitate prope diſcreta. Valetudinarium opem quoque mirificam ſentit,alij aperiendorum criminum inſtituti præceptis,alij Chriſtianæ rei rudimentis expoliti, alij alijs remedijs adiuti.

Digitized by Google

PROVINCIA VENETA.

PROVINCIA Veneta domicilijs 14. Socios aluit 49. ſupra trecentos: Sacerdotes 140. reliquos nouem & 200. Magiſtros dinumerauit omnino 38. Scholaſticos, ſi inferiores Magiſtros annumeres, 90. Rei domeſticæ Adminiſtros 119. Eos diſtribuit hunc ferè in modum. Venetijs ſunt Sacerdotes 18. Scholaſtici tres; quindecim Coadiutores, Patauij Sacerdotes 19. Scholaſtici 32. Coadiutores 17. Brixiæ Sacerdotes 14. Scholaſtici quindecim. Coadiutores 9. Bononiæ Sacerdotes 12. reliqui totidem: Ferrariæ Sacerdotes 9. & 10. cum duobus Magiſtris Coadiutores. Veronæ Sacerdotes 10. reliqui ſunt 9. Parmæ Sacerdotes 9. 3. Magiſtri, 7. Coadiutores. Placentiæ 6. Sacerdotes, Magiſtri tres; 7. Adiutores. Mutinæ Sacerdotes 7. Magiſtri duo, 6. Coadiutores. In foro Liuij Sacerdotes 8. Magiſtri duo, Adiutores 6. Mantuæ Sacerdotes nouem cum Magiſtris, 7. Coadiutores. Nouellariæ Sacerdotes 14. Magiſter vnus, Nouicij Scholaſtici 18. Adiutores veterani decem, Tyrones 6. In foro Cornelij 3. Sacerdotes, Coadiutores duo: In Cretenſi reſidentia Sacerdotes duo, Coadiutores duo: erepti ſunt ſeptem, Sacerdotes 4. Scholaſtici duo, vnus Coadiutor: quorum in locum ſuffecti Scholaſtici ſex, & duo Coadiutores.

DO

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VENETA.

VENETIIS luctandum fuit diu cum insana & multiformi cupiditatum Hydra, & dubio sæpe belli euentu: rerum capita decerpam præcipua. Principio ex infami libidinum gurgustio lasciuientes aliquot mulierculas extraximus, & puellas ad eosdem propemodum scopulos adhærentes seruauimus inuiolatas. Aliæ se in pudicitiæ domicilium, & Virginum Collegia, ne singulas in horas capite dimicarent suo, abdiderunt. Nescio quis alienatum ab vxore animum induxerat ad meretriculam, quam turpiter deperibat, ea re subducit se domo, repudiat vxorem, pellicis domum suam facit; diu se in ea cloaca perditum caput volutauit. Respexit Deus defixos in fæcibus suis, & se miselli tandem respexerunt à nobis increpiti: quare vir ad vxorem, pellex ad frugem se recipit adeò ex animo, vt quanquam infelix parens quà venenatis blanditijs illectam, quà minarum castigatam acrimonia in turpem corporis quæstum iterum præcipitem dare moliretur, illa verè seipsa fortior animum sibi emolliri non siuerit. Captus insano putidæ mulierculæ amore cincinnatulus adolescens, riualem se habere vbi comperit, exarsit nimirum in iras, & sensim glisscente furore ex alio in aliud scelus ruit, ex insidijs hominem adoritur, pugione transverberat totum; hic alter Diuum, hominumque fidem obtestans, vocibus intermortuis: Per, ego te, Deum Immortalem obsecro, inquit, vt si vitam eripere mortalem certum est, non inferas mortem sempiternam, liceat expiare confessione animum, tum tu me pro arbitrio confodito. Inuenit inter facinora pietas locum: semianimem reliquit. Re ad

Digitized by Google

nos perlata dedimus operam vt depositis odijs amicè se complecterentur ; ficarius præterea omnem adhibuit operam vt vulnera opportunis remedijs recrearentur, suis expensis: moribundus verò pellicem quam domi viuens habuerat,moriens vxorem sibi esse voluit,nec alium adhibuit testem nuptiarum quàm suum illum percussorem. Eadem mors stultorum magistra,dum in alterius iugulum inuolare parat,attulit salutem: affixus ille lectulo nostrorum opera tres fratris sui parricidas adesse iubet: aduolant,itur inoscula & amplexus:vtrimque officijs certatum est, ingenti cum omnium voluptate redijt paulopost in gratiam cum Deo, facta confessione , & dimissus est in pace.

DECEM VIRI non solũ patere nobis aditũ voluerunt ad abditissimos quosque recessus,quibus cęteri prohibentur : sed cum insignes quidam rei abijcerent spem omnem salutis,nos vnos maximè adhibuerunt ad eos recreandos.Nec fefellimus expectationem; vltrò ad laxiores custodias adiuimus , in quibus cum insanirent plerique,inter ludos,scelera, atq; etiam, si superis placet,inter odia infœlicem agentes vitam , fecimus vt locorum & sui memores essent. Nobiles quidam , id sibi negotij vltrò sumpserunt, vt quamplurimos è vinctis asserant in libertatem , ad eos suopte satis concitatos ingenio, frequentes verba fecimus , & calcaria currentibus admouimus : illi sanè centum circiter rei capitalis reos , è vinculis exemerunt.Tres iam morti destinatos, duos precipuè iam iam supplicio capitis plectendos à faucibus mortis extraxerunt. Iam verò minutos reos , vel ære obstrictos alieno , dici non potest quàm multos liberarint : quæ omnia vulgò referuntur Societati accepta. Adolescens Caluiniano afflatus furore , Caluinum nostris hortatibus est execratus.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM PATAVINVM.

NOSTRA isthæc solitudo fructus peperit quorum neminem pœnitere potest; si nihil aliud effectum esset, hoc quanti demùm esset æstimandum, quòd emolliti sunt animi ciuium plurimorum, qui nos antea duriusculè habebant. Cum de more priusquam votis se publicè obstringerent, vicatim irent mendicatum Socij, quàm improbæ voces iactabantur! quibus eos conuitijs onerabant! Hoc anno itum est sæpius, nulla vox paulò acerbior est audita. Dabo aliud eiusdem documentum. Propositæ erant ab aliquot Socijs, de tota Philosophia opiniones publicè ventilandæ: & quanquam sol ardore leonino torreret omnia, & constitutus concertationibus locus soli maximè peruius esset: tantus tamen omnium ordinum, & personarum concursus fuit, vt nefas sit dubitare de animo illorum erga Societatem. Nec piget eos sui amoris, cùm viderint Archiducem Ferdinandum, Cardinalem Baronium posthabito magnifico aliorum apparatu, familiariter apud nos prãdere voluisse: adhęc Cardinales Camerinũ, Cusanum, Gallũ insalutatis nobis hàc transire noluisse. B.V. Sodalitates adeo sunt florentes, & frequentes vt deducenda fuerit colonia, & tertia hoc anno erigẽda, quę adolescentulos iã numerat octoginta. Dant maximum plerique omnes pietatis specimen, quorum exnumerò aliquot se ad varios ordines religiosorum applicuerunt: sed eorum vnus præter omnium expectationem. Nunquam ad arma concurrebatur, nisi ductu & auspicio illius; neque omnes Vates, eum decennio ad pietatem animum ferreum posse inflectere, diuinassent; collegit se tamen, & nomen atto-

Digitized by Google

nitis omnibus, dedit Cappucinis. De eo cùm quis percuntaretur quid causæ esset cur se ad se recepisset? Si me noui, nihil aliud, inquit, quàm quòd à B. V. Sodalitio licet animum in armis haberem, corpore me tamen diuelli nunquam siui. Vafrè omnino Illustrem virum implicuerat odijs tartareus carnifex, iam vt diceret quindecim se diebus extricare non posse conscientiæ suæ labyrinthos: hominem ergo alia omnia mente agitantem, inuadit ægritudo, Nostros accersit; ab ijs errorem quem imbiberat dedoctus, intra horam omnes animæ nodos expediuit; cumque eum puderet suæ crudelitatis, vt suo veteratorem gladio iugularet, indixit sibi hebdomadariam confessionem, quam legem sanctè seruat.

INTER eos qui domi nostræ curis omnibus valere iussis, animos diuinis P. Ignatij commentationibus expoliuerunt, fuit Patritius quidam Venetus: quem inter, ac Parentes, cùm turbarum nescio quid esset exortum, quod sedari non tam facilè posset, tacitè ad nos consilij gratia commigrauit. Paucis diebus æstuantem primò animum, deinde familiam composuit vniuersam: postremò subnascentes procellas, magna cum suorum voluptate. Abstulit nobis Ioan. Franciscum Marcadonum Brixianum mors importuna, & è medio Theologiæ, ac vitæ cursu, id est duodetrigesimo ætatis anno, quasi iam maturum & virtute senem extinxit.

COLLEGIVM BRIXIANVM.

FELICISSIME, & cum copiosissima laboris iuxtà ac voluptatis segete circumegit se nobis hic annus: domestica res, & externa bellissimè procedit. Templum, Gymnasium, Cate

Digitized by Google

Catecheſis,Sodalitates B. V. cœtus clericorum (vt aceruatim alia ſuper alia intexantur,)planiſſimè è voto nobis ſucceſſerunt: eamus per ſingula, venient ad manum, digna quæ conſecrentur poſteritati. Vir, & vxor perditiſſimè per ſumma flagitia vitam traducebant, eorum vicem ſecum ipſa reputans lamentabatur famula,quæ præſagiens affore vindicem Dei manum, conclaue ſcelerum conſcium aqua piaculari aſpergebat:ſub mediam noctem ecce tibi de repente tres habitu militari feroces, neſcio vnde exiſtere,ad cubile truci vultu accedere:illi euigilare illicò, & ſemiſomnes ac perditi Dei hominumque opem in ſummo rerum diſcrimine implorare.Hic milites (Dæmones loqui putatote)amaro ioco excipiunt:Ecquid cœlum fruſtra fatigatis vociferando? agitedum: ſequamini nos egregiæ animæ:duci mauultis ad inferos, an obtorto collo rapi?Illi exalbeſcere, & totis artubus extremiſcentes, Dinos quàtum poterant inclamare:tum milites,Conclamatum ſanè erat: & niſi vos ancilla veſtra aſperſione aquæ opportuna muniuiſſet, iam in mortis incendijs conflagraretis.Euanuerunt Inferorum carnifices,iſti exanimati proſilientes è lectulo ad nos aduolarunt,& depoſitis apud nos animorum næuis, iam nouum vitæ genus meditantur.

HORRET animus referre in ſimili diſcrimine exitum diſſimilem alterius. Incubabat auidiſſimè opibus, vt fit,& lucri cupidine,religionem ſibi iniectam nihili ducebat: huic afflicta valetudine decumbenti dedit ſe aſpiciendum vir grauis (ex oris habitu Chriſtum eſſe iudicaſſes)qui librũ oſtentans, Faceſſe tãdem,inquit,animum in auro habere infelix,iam iam ad inferos deuolueris,neque te inde diuorum vllus vnquam auellet. Quid animi homini fuiſſe putatis, quos gemitus in ventum iactaſſe? lacerare quicquid ſe ad manum dabat, horribilem in modum ſuam vicem lamentari, mox noſtros obnixè ob-

Digitized by Google

testari, accurritur ad nos, sine cunctatione aduolat Sacerdos: machinam, vt dicitur, post bellum ferens: quippe omnes aditus desperatione septos videt, hominem cœpit erigere, versari in omnem partem: ille alto stupore defixus, ne latum quidem vnguem de mente illa dimoueri potuit: sed cognatos compellans: Vos verò, si rectè auguror, ait, idem interitus omnes manet. Iuit ille ad inferos, cognati subueriti infaustam diuinationem, de nostrorum consilio pietati se deouerunt.

NON absimile est illud, cùm Dæmon premeretur precibus, ac propemodum adigeretur, vt abs energumena excederet, per ludibrium, vt solet, Sacerdotis conatus eludens, quempiam vnum qui forte aderat nominatim appellat: Heus tu, mi homo, visne nouum hospitem domi tuæ habere? Deus meliora, inquit, abi potius in malam rem cum isto tuo Hospitio: fugam tum adornat, & curriculo se ad nos proripit, vbi graui criminum sarcina pectus exonerauit.

BLANDIVS actum est cum milite qui se pridem in B. V. clientelam contulerat, dum forte propter littus maris obãbulat, animo omisso, ex insidijs irruunt Turcici Piratę, actuariolo delati, qui stillantibus acinacibus excarnificatum, atq; vti putabant exanimatum reliquerũt. Adfuit Mater pietatis, & sibi deuotum militem diuinitùs sanauit, ille in mare se collo tenus immersit, vt latère posset: ac demum nocte sublustri in exercitum se recepit. Rem commilitonibus aperit: fidem fecit quod laceris minutatim vestibus, cicatrix nulla est inuenta; ille conscissam sceleribus conscientiam apud nos postmodum resarciuit. Captiuus alter, cum inter verberum crepitus pœnè animam daret, incidit in grauem morbum valetudine desperata: iam id consilij capiebatur vt de more in altum præcipitem agerent. Collegit se miser: &, quod vnum reliquuum erat, deouet se Virgini Lauretanæ: mutato diuinitùs

Digitized by Google

uinitùs consilio, hominem in terram abiecerunt, deportatus in Nosocomium consanuit, voto se exoluit, animi laqueos nostrorum ope exuit vniuersos.

SODALIVM B. V. Flosculus, specimen dat magnæ pietatis; quàm multi eunt in valetudinarium, purgant cellulas, ministrant delicati iuuenes vlceratis, solantur verbis oppressos mœrore, faces admouét torpescentibus, hortantur ad confessionem; cum persuaserunt tum ad nos alacres adducunt, vt manum operi extremam imponamus, & aures se accusantibus commodemus. Sex ipsis mensibus nunquam vacua fuit domus eorum qui se P. Ignatij meditationibus perpolirent: & pretium operæ constitit; nam plerique mundo suas sibi res habere iusso, se Christi in varias familias abdiderunt; Societatem alij maluerunt. Eorum vnus incredibili animi robore fallacias omnes & mundi machinas est ludificatus. Conferam in pauca rem narratione dignissimam. Adolescens externus Dei benignitate animum conuerterat à nugis puerilibus ad solidam pietatem; Hoc erat ei in delicijs quotidiè ad valetudinaria adire, omnia pietatis munera & charitatis obire, cibum in os inijcere, subligare vulnera, obsonia emere ijs qui cibos nauseante stomacho fastidirent, interdum vt puderet miselios illos mendiculos sui, quod iuuenem verè aureum sibi paterentur ministrare. Rem subodorati Parentes, cùm fortè per eos dies exercitijs se nostris formaret ad virtutem; vitæ rationem apud se reputantes, putarunt id quod erat; iuuenem id virtutis esse alium non posse, quàm Societatis nostræ candidatum: ergo dum res, animique calerent, frater citato equo Brixiam aduolat furoris plenissimus, eius in conspectum vbi venit iræ impotens: Quæ te, inquit, iuuenum leuissime, furiæ agitant, quæ tibi præstigiæ mentem eripuerunt, vt tua nunc opera cœlo terram confundere oporteat, & domum nostram turbis complere? Multa id

testari

genus effudit cum indignatione. Visum est fore operæ pretium si domum iret, vt efferatos parétum animos vel ratione mitigaret, vel patientia perdomaret: ægrè id ab eo impetrauimus, sed obsequendi studio dedit manus. Deus bone quantum turbarum concitatum est in animulę vnius ruinam? Circunfusi de repente parentes, an hostes? quisque pro se iuuenem aggreditur. Vidua parens admouere maternum amorem: soror adhibere lenocinia lachrymarum: frater anceps animi modò blandè, modò ferociter tractare: auunculus omnem mouere lapidem; modò facto agmine in eum inuolare vniuersi, modò singuli cum vno pedem conferre: lacerabant alij maledictis Societatem, alij florem ætatis talibus curis imparem obijciebant; quàm multos ferò piguisse, & ab huiusmodi vitæ instituto multo cum rubore domum turpiter rediisse. Auunculus grandis natu vir, vbi aërem verberari sensit, iubet secum iuuenem in currum conscendere, & composito ad seueritatem vultu: Quousque (malum) iuuenis senem, & alterum patrem animo ludificabere obstinato? si quid esset in te non dicam nostri, sed humani sanguinis, matri morituræ oportuerat obsequentem esse. Ecquid sentis bellè te inescatum esse à Iesuitis; qui profecto, si quid eos noui, spe iam atque animo facultates tuas deuorarunt, nisi fortè cœlum solis illis apertum esse arbitrere, cæteros in Auernum amandandos: At pungit animum dies, nocteque vocatio diuina: fabulæ: Angelum, vt opinor, ad te allegauit Deus, qui [illegible] hæc denunciaret: scilicet hæc superis cura est mea sic[illegible] religio: satin' habes? scrupulo te omninò exoluo. Cùm ille cõtrà modestè, non obscuris se vocibus dixisset vocari ad Societatem, & bona cum eius venia Dei potius, quàm parentum habendam esse ratione. Quid ergo prohibet me, excipit senex, quominus ego te, scelus, in hoc flumen ingurgitem, priusquàm eas perditum famam familiæ nostræ? Aegrè sibi

tempe

Digitized by Google

temperauit: dati sunt duo menses istis tragœdijs. Vna reliqua erat machina qua expugnarent victorem: edicunt clarè nisi sapiat, facultatem abeundi non prius impetraturum, quàm se bonis omnibus abdicaret: scripsit ea de re ad nostros, quis esset mos Societatis: rescriptum est quod oportuit: abdicauit se, victor inde erupit: ad Tyrocinium commigrauit. Tot inter procellas tantis se interdum perfusum lætitijs narrauit, quantas angustiæ humani pectoris capere vix posse viderentur: adeo vt redundante cœlestibus delicijs pectore exclamaret, Satis est Domine, satis est: Xauerjolum aliquem dixisses. Aestuante curis animo vnicum solamen erat procumbere in genua, in sinum B. V. confugere, sollicitare suspirijs P. Ignatium, quos sibi videbatur audire in hunc fermè modum: Macte virtute fili, altè infixus es cordibus nostris, aude tantum virum te prębere: rumpatur licet mundus, noster eris. Recreabatur ille supra quàm cuique credibile est.

ELATI sunt hoc anno è nostris tres: Primus est P. Angelus Mazzinus Brixiensis, quinto & sexagesimo ætatis anno extinctus, trium votorum professus, ciuitati apprimè carus ob egregias animi dotes. Alter Pater Sebastianus Cambius quintum & septuagesimum annum agens, vir antiquæ simplicitatis. Tertius Bartholomeus Mariana Brixiensis, in quo nescias quid potissimum mirêre, adeo illi arriserat cœlum, patientia incredibili, castitate singulari, amore crucis vehementissimo flagrabat supra ætatem: secundum enim & vigesimum dumtaxat agebat annum. Computruerat alterius pedis maximus articulus eam ob causam, vt autumant, quòd domi suæ genibus flexis, multas horas orando continuaret, vlcere in dies ingrauescente chirurgi seuerè pronunciant resecandum maturè articulum: Quo tam horribili nuncio nihil ille perterritus, Equidem nihil vos moror, inquit. Leniendi tamen acerbissimi doloris causa, quem sectio erat allatura,

Digitized by Google

ra,per aliquot dies vulnus puluere aſperſerunt,qui ſenſim circumrodens carnem,os denudabat:qua in carnificina vt ſectione cum vehementiſſimi doloris morſibus lancinaretur,Medicis,alijſque ſtupore defixis,nullum aliud argumentum dedit, niſi vt quaſi alienato ab ſenſu animo leniter ſuſpirans ſuſpiceret cœlum, fraterculum Ignatij putares. Summa votorum eius erat hæc, vt veluti putidum aliquod cadauer haberetur:caſtitate vſque eò delectabatur,vt nunquam ſuo nomine oppoſitum illi vitium, ſed circuitione verborum appellaret,ne vel ſolo nomine labra conſceleraret.Ex his facietis de cæteris coniecturam. Profectò ita vixit,ita ſuauiter animam efflauit, religione tyro,ętate adoleſcens:vt periculum ſit ne multis palmam præripiat veteranis.

COLLEGIVM BONONIENSE.

IVGVLAVERAT clãculò hoſtis hoſtem, qui morſus conſcientiæ conferens,ad nos conſilij cauſa accurrit:patratum expuit ſcelus, & hortatu noſtrorum ſolitudinem viduæ, grandi mercede recreauit,ſed tectè,vt par erat. Alteri huiuſmodi facinus nefariè anhelanti frænos iniecimus diuini timoris:alios in gratiam redire compulimus. Blandiores fecimus debitoribus creditores:quorum alij diem laxiorem dare, & mollius premere: alij magnam partem remittere didicerunt.Infauſta conſanguineorum matrimonia,fauſta vt eſſent ac legitima, Noſtrorum factum eſt induſtria.Vnus eiurauit hæreſim: alter, cuius res ad reſtim redierant,perſuaderi ſibi à Noſtris paſſus eſt, vt viuere vellet. Iniecerunt collo laqueum verius quàm amuletum miſelli

Digitized by Google

miſelli neſcio qui, mirum, ſi non infatuati anicularum præſtigijs, à quibus putidas pelliculas aureis 25. coëmerant: ſed ſapuerunt moniti, & illam peſtem igni maluerunt quàm ſibi comparatam. Fluctuantes per inſanum libidinis pelagus aliquot mulierculæ fæliciter enatarunt, & quas ſuauiter iam inde ab Adoleſcentia imbiberant fæces, cum ſenſu doloris ſalubriter eructarunt. Triplex Congregatio floreſcit, vt cum maximè, tertia adoleſcentulorum tandem Romanæ eſt adnexa: in earum albo non modò auditores noſtri, ſed floſculus nobilitatis inſcribi voluit: ad perſeuerantiam etiam publici Profeſſores adeunt frequẽtes. Iter trium dierum confecit vnus è noſtris, vt Præſidiarios milites confeſſione luſtraret, paſceret manna Euangelico, verbis ad pietatem hortaretur.

COLLEGIVM FERRARIENSE.

CVM rerum nouarum ſtudio, & belli fragore omnia circumſonarent, grauius tamen animos plurimorum perculit fulmen intentatæ excommunicationis. In tantis procellis id ſolatij fuit quòd inteſtina conſcientiæ bella ſedantes quamplurimi Chriſti ſe corpore, & robore apud nos munierunt. Dum inter ſe homines digladiantur, expugnauimus noſtris armis perfidiam, & quatuor Mahumetis alumnos, quinque ſinagogę propugnatores adiunximus Eccleſiæ caſtris. Vbi primum pedem Ferrariæ fixit Pont. Max. liquidò intellectum eſt, quanti nos Clementiſſimus Pater, quanti Cardinalis Aldobrandinus, quanti Senatus ille Romanus æſtimet Societatem. Pontifex ſanè Optimus non modò tenuitatem Collegij eleemoſynis collatis perſpectam

ſpectam eſſe voluit, dum hic fuit: ſed etiam gratiæ cauſa, apud nos rem ſacram ſemel fecit. Cardinalis Aldobrandinus identidem per Quadrageſimam conciones excepit in noſtro templo, in quo pridie Paraſceues duodecim mediculis palam optimo omnium exemplo pedes abluit, quibus ipſis domi noſtræ opiparè cœnantibus miniſtrauit. Poſtremò apud nos familiariter eo ipſo die cœnauit. Eorum exemplo certatim plerique, omnes Antiſtites, ad nos confluxerunt, vt profeſtis diebus quinquaginta, feſtis ſupra centum in ęde noſtra ſacris operarentur. Nec aliò in templo, tres creati Epiſcopi, voluerunt inaugurari. Iubente Pontifice, dederunt in Scena Iuditham Auditores noſtri, & audiente, & plaudente ipſo Pontifice, Hiſpaniarum Regina, Senatu Romano, frequentiſſima nobilitate. Sed vt res humanæ nũquam liquidò fluunt, hos applauſus domeſtica clades funeſtauit: nam dum hæc aguntur, ad ſuperos euolauit P. Benedictus Palmius Parmenſis, annũ ægens 72. Ierat per omnes Societatis gradus; fuerat, vt nos loquimur, Prouincialis, Viſitator, Aſſiſteris, cætera concionator verè palmaris. Teſtis eſt Italia, quæ fulminantem dicam an lachrymantem, an lachrymando fulminantem eſt admirata, ſeque paſſa eſt per omnia pietatis opera duci. Verbis caritatis incenſis pondus addebat, ardor animi quo flagrabat, quem affecto licet in corpore nunquam paſſus eſt conſeneſcere. Ardebat zelo animorum incredibili, qui ex feruentiſſimo Dei amore dimanabat. Nihil habebat magis in delicijs, quàm cum Deo eſſe, & cœlum mente penetrare: quid ille boni è beatiſſimis cum Deo congreſſibus conſequeretur lachrymarum riuuli qui ſenſim ex oculis venerandam irrigantes canitiem, profluebant, vociferabantur. Diebus paulò celebrioribus, cùm exalbeſcente cœlo ſacris operaretur, bonus ſenex tanta vi lachrymarum & ſuauitate perfundebatur, vt quanquam comprimeret, illis tamen victus habenas laxare, & ſe Deo

Digitized by Google

e Deo permittere cogeretur, quis iam miretur sitientissimum fuisse augustissimæ liturgiæ, vt inter vehementissimos podagræ cruciatus, nihil aliud lamentaretur, quàm eripi sibi facultatem litandi Deo. Hic ergo acri lateris dolore, & diarrhææ morsibus fractus, cùm in extremum discrimen res suas adductas intelligeret, homo id ætatis, cæteris posthabitis, eò intendit animum, vt se ad nouum iter accingeret, fugientem animam Christi corpore, fractas vires sacro delibutas oleo, ad extremam cum hostibus dimicationem confirmauit: sub vitæ exitum interruptas suspirijs voces in cœlum cum magno pietatis sensu iactabat, postremò summa in pace, veluti iam delibaret illam ad quam festinabat felicitatem, placidissimè animam efflauit. Socium itineris habuit Io. Petrum Nusam Coadiutorem temporalem formatum, quem lenta febricula paulatim exhaustum confecit, annum ætatis vndequadragesimum agentem. Nescias in eo patientiam magis in morbi molestijs deuorandis, an virtutem in domesticis occupationibus alacriter obeundis, admirêre: adeo vtrobique virum se præbuit. Facta trecentorum aureorum accessio ad annuos redditus nostros, cum Matrona, pietate, quàm sanguine illustrior moriês nos hæredes ex asse nominauit, & prædij, & domesticæ suppellectilis, cuius argentea vasa in templi instrumentum voluit commutari: eam supellectilem bis mille supra quingentos aureos æstimant. Postremò laxauimus hortuli nostri angustias, effusis in hoc aureis quadringentis.

Digitized by Google

COLLEGIVM VERONENSE.

FELICISSIME procedit res Scholastica, cum ludi omnes literarij pleni sint lectissima iuuentute, & dimittendi fuerint non pauci, ne Magistri laborum mole fatiscerent: ea re, sepulta per hosce annos Academia reuixit aliquando. E discipulis duo se non vulgaris indolis in Societatem insinuarunt: quod ipsum fecerunt totidem rei domesticæ administri. Puellarum pudicitia, cui naufragium impendebat, in portu est collocata. Pax etiam dissidentibus restituta, præcipuè Sanctimonialibus, quæ in duas distractæ partes muliebri inter se odio armatæ digladiabantur.

COLLEGIVM PARMENSE.



ARDIAMVR à rebus sacris. Templi tholus affabrè concinnatus est, superinductis ad ornatum laminis ex ære; Camera præterea tectorio vestita est, liberalitate Ciuitatis, quæ sumptibus exhausta licet ingentibus: vim tamen pecuniarum, indicem suæ beneuolentiæ, satis amplam erogauit. Ad Moniales sæpiusculè itum est, nec surdis verba sunt data: nempe duæ illarum familiæ in communem vsum exposuerunt quæ sua sibi cuiusque industria fecerat singularia, vasa & argentea, & aurea, & quod mireris, distincta gemmis abs se reiecerũt, studio religiosę paupertatis. Aliæ quidpiam simile meditantur. Spes iniecta nobis est fore

Digitized by Google

fore vt quod parturiunt pariant aliquando. Nihil propius factum est, quàm vt sereniſſimus Dux in ætatis flore deponeret vitam, affixus lectulo magna dedit ſigna pietatis, ſiue cum de manu vnius è Noſtris, cui animum ſuum denudare ſolet, Sanctiſſimũ Chriſti corpus ſuſcepit: ægrè ſibi temperans à lachrymis: ſiue colloquentibus noſtris de rebus diuinis incredibili ſe perfundi voluptate ſignificabat. Id fuit cauſę cur & Noſtros ſubinde, & nominatim P. Prouincialem, qui obeundo Prouinciam fortè appulerat Parmam, ad ſe vocitaret. Arripuit Ciuitas occaſionem declarandæ erga Ducem voluntatis, cnm enim in æde ſumma, & noſtra, omnium oculis expoſita fuiſſet hoſtia ſalutaris, eo animi ardore ciues Deum precibus fatigarunt, vt breui ſalutem Duci, ſibi Ducem exorarint. Alterum ereximus B. V. Sodalitium pro ijs qui 15. annum nondum attigerunt. Quatuor adoleſcentes aditum ſibi ad Societatem parabant, eorum vnus euicit: cæteros iuſſimus macti vt eſſent virtute. Profligauimus odia ſubnaſcentia: è periculis ſubduximus fluctuantem inopiæ cauſa virginum integritatem.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

DIVINIS accenſus igniculis animum adiecerat ad Societatem adoleſcens, nec quemquam pœnitebat operę ab eo in Prefectura Parthenia nauatæ, ille tamen, vt lubrica ſunt adoleſcentium ingenia, à Congregatione B. Virginis abduci ſe paſſus, animum Societatis, atque omnem de pietate cogitationem depoſuerat. Non longè abijt miſer, quippe qui inſano mulierculæ amore ineſcatus, illam afflictim deperibat; eius dum fores obambulat, incidit in adole-

Digitized by Google

scentem sibi supparem, qui alia omnia cogitans animo, illic substiterat. Exarsit animo infelix, & riualem ratus, vt solent suspicaces esse animi id genus hominum perditorum, insanire primò apud se, mox hominem monere etiam atque etiam, aliud vt ageret, faceſſeret illinc, & se suspicione exolueret. Denique excusantem se alium stricto gladio impulit vt se in pedes saltuatim daret: inter fugiendum tamen vt potuit memor sui gladium distringit: sed cum leuis à tergo cliuus esset pede fallēte corruit, suo casu fælicior quàm pugnā: hostis enim diuino planè iudicio excœcatus in iacentis gladium, quem prætendebat, se induit: nec multò post expiato prius confessione animo, expirauit. Felicius duo se in Cappucinorum familiam, alter in S. Benedicti abdiderunt: Felicius mulieres duæ è cœno peccatorum erutæ Christo se manciparunt: quæ cum concionantem prius vnum è Nostris audissent de mundi contemptu, vbi primùm peroranit, in viam se dederunt hac specie rerum, vt passis crinibus, spinis coronatæ, nudis pedibus crucem humeris gestantes inter duas matronas per vrbem ingrederentur: eas de mundo triumphare illa pompa dixisses, præsertim plaudente tota Ciuitate. Restituimus collapsam virorum Congregationem, & ducentos ac mille aureos in ædificanda Collegij parte impendimus, cuius rei magnam partem sibi vendicat perillustris Custos arcis, Societatis si quis alius amantissimus.

COLLEGIVM MVTINENSE.

MVTINAE nescio quid accidit quod operæ pretium est hic enarrare. Dabo rem paucis. Pagus quidam flagitiosè palam cum suo Parocho inimicitias gerebat, neque interposita multo-

Digitized by Google

multorum auctoritate deflagrauerant graues iræ. Iam eò ventum erat, vt conuicia vtrinque, alia super alia iactarentur: intruderentur in vincula plerique: nullis sumptibus parceretur. Ad extinguendum tantum incendium illuc aduolant duo è Nostris: datur signum concionis, accurritur vndique: tum Noster pauca præfatus, tam valde pupugit & permouit animos Auditorum, nemo vt ex Patribus familias abeundum sibi domũ fas esse putarit, nisi prius in amplexus rueret sui Curionis: ergo gratulabundi alij alios complexi prolixè sibi mutuo, quicquid peccatum erat vtrinque, condonarunt. Bellissimè porrò habiti sunt Nostri, neq; ægrè ab oppidanis impetrarunt, vt crebrius sacramenta vsurparent, & dilapsam puerilis institutionis curam resumerent. In Vrbe eadem opera propemodum nauata est. Obfirmauerat animum domus quædam religiosa, & quanquam sacris interdiceret illam Episcopus, se tamen illi vt permitteret nulla ratione poterat adduci, neque illi audiens esse volebat, ea in re quam statuerant Cardinales quibus demandata est hæc prouincia: iamque literas minarum plenissimas, & pœnarum dederant illi ipsi Cardinales: cum præcipuâ nostrorum industriâ factum est, vt sponte in viam rediret. Anno occidente, occidit etiam P. Ludouicus Lambonius Brixiensis, cuius ductu & auspicio Socij regebantur. Dolendum est eam virtutem, in ætatis flore, id est, anno eius sexto & trigesimo, defloruisse. Redierat è Polonia cum Cardinale Caietano, cui ea in legatione dabat aures semet cuiminanti: sed illi propemodum medias inter gratulationes erepto, fuit parentandum.

Digitized by Google

COLLEGIVM FOROLIVIENSE.



VAM valde nos amet Ciuitas illustribus declarauit argumentis. Omnia belli Ferrarienſis fragore concrepabant, redundabant omnia militum copijs, ex religioſis tamen virorum familijs nulla præter noſtram militum inanis fuit. Templi aditus gradibus magnificis eſt illuſtratus, vt minus mirum ſit quòd imaginem B.V. miraculis illuſtrem plerique omnes ſigillarijs argenteis exornauerint: quidam obtulerint par candelabrorum nihilo minus pretij quàm aureorum 75. Studia litterarum & pietatis fructus faciunt non pœnitendos, atque vt ſolennia ſilentio inuoluam. Muliercula tam proiectæ pudicitiæ, quàm inſignis formæ, eſca erat perditorum adoleſcentium: eam nobiles matronæ (quæ noſtrum in templum ventitant) ſeriò adoriuntur, reſpiciat ſe miſella, emergat aliquando è ſinu voluptatum ne perditum eat famam, ætatem, & quod caput eſt, animam ſuam: parumne duceret præcipitem ſe agere, niſi ſecum florem nobilitatis peſſumdet? Eò loci res adducta, vt ad dictum diem reciperet ſe conſcientiæ ſordes vniuerſas ad pedes Sacerdotis depoſituram: ſenſit hanc iacturam Lucifer, affuitque nocte illa, quæ diem confeſſioni dictum præceſſit, inuolat in gulam alumnæ ſuæ, fauces præſtringit, & ſuo more vanis præſtigiarum terriculamentis, vel conſilium extorquere, vel vitam conabatur: Eluſit puella inanes vmbras, & arrepta reliquiaria theca multa minantem ludificata eſt. Ergo facta frugi parentem famæ nihilo caſtioris è libidinum gurguſtio feliciter eduxit. Hæc de mulieribus. E numero diſcipulorum duo

ſe

Digitized by Google

se nobis deuo uerunt, sed alteri dimicandum diu fuit cum vtroque parente: tamen patientia fregit importunum amorem vtriusque, qui vbi in omnem partem animum eius frustra versarunt; tandem, Nil te moramur, inquiunt, auola faustis ominibus quò voles. Ille nihil cunctatus ad tyrocinium Societatis commigrauit.

COLLEGIVM MANTVANVM.

MANTVANA res, siue domestica spectes, siue externa, vt nunc tempus est, maximè floreſcit. Iam omnium primum Duces experimur, ac Principes beneuolentissimos. A Duce nihil petimus quod non impetremus. Paulò antequam cum morte luctaretur, iusserat Eleonora Sereniſſima suum cadauer efferri sine magna funebri pompa, illudq; sub vulgari lapide nostro in templo humari. Elatum est, atque vt mos ei gereretur, simpliciter conditum: sed certauit filij magnificentia, cum parentis demissione summa: nam & honorificentissimè ei parentatum est, atque nunc opere pulcherrimo, & picturis insignibus conuestit illam templi partem in qua parens eius conquiescit. Iam mille aurei absumpti, & vix ad medium perducta, nec parcitur sumptibus, vt respondeant postrema primis. Ducem imitatus pro suo modulo vir pietate illustrissimus B. V. Sacellū nobis locupletauit figuris affabrè factis, & antiquo artificio elaboratis: quæ dum seriò vrgeri animaduertit, is qui olim minore apparatu Christo cruci suffixo altare illustrauerat, cœpit eum pudere suæ, vt loquitur, frugalitatis; nunc sanè magna omnia molitur, præstabitque vt Sacellum illud non minus quàm cætera templi sustineant

Digitized by Google

dignitatem. Ducis vxor & soror, quę post Ferrariæ Ducis viri sui obitū nuper huc appulit honorificè de nobis sentiunt: Filij Principes alter Dux designatus, alter Ecclesiæ deuotus, nullū finem faciunt benè de nobis merēdi. Vterque octauo quoque die sordes animorum purgat, audiente vno è Nostris, quo ministrante sub diem Christi Natalem, cælesti pane sunt recreati, quum prius leuiter, quantum fert illa ætatula, P. Ignatij exercitia delibassent: ad nos quęcunque se dederit occasio adeunt, & quantiuis pretij æstimant imagunculas sibi à Nostris oblatas. Cæterùm si quis aulicorum dicterijs, vt fit, lacerauerit nos ludibrij causa, id enimuerò animo fert vterque iracundo, & ori maledico iniiciunt frenos, loquendi licentiam acriter castigando. Archidux Ferdinandus domum repetens humanissimè templum & domum lustrauit, ad quam ipsam Camerinus Cardinalis diuertit, cum Ferraria huc animi gratia excurrit, Duce licet multum reclamante, quòd angustissimam domum aula augustissima priorem habuisset.

NVNC domestica si placet videamus: Octo se discipuli varias in familias, vnus in Societatem insinuauit vno comite Coadiutore. Illud singulare quòd vir & vxor cum pro concione S. Ioannem Euangelistam Ecclesiastes noster deprædicasset, vterque sibi eam legem indixerunt, vt liceret illibatam seruare castitatem, & propediem voto rem firmabunt experti, solidiores esse castitatis delicias, carnis voluptates sordidiores. Sanctimonialis quædam septa religionis effugerat, & Christo valere iusso per summum scelus, Mimæ se perfricta fronte adiunxerat: sed piguit illam ac puduit impudentiæ, & in pietatis sinum se recepit. Altera Nostrorum labore, hæresim est palam detestata. Actos in extremum supplicium consilio iuuimus, & fortiter ac piè vt morerentur præstitimus. Adhæc euicimus illud, vt vir, & vxor, fratresque, aliique obli

Digitized by Google

obliuiſcerentur iniuriarum. Poſtremò ne quid deſiderari poſſit exoluimus nos grandi ære alieno, reſcriptis 1500. aureis nummis: auximus annuos redditus, quingentis.

DOMVS PROBATIONIS NOVELLARIÆ.

IMPETRAVERAT Veronenſis adoleſcēs vt ſe Societati applicaret: ſed inter agendum Pater ſubodoratus id quod erat, iuuenem primò in ſuburbium ablegat, vt cœli mollities, & loci emolliret animum, pietatem extorqueret: mox fluitantem in legum ſtudium amandat: quid multa? ardor omnis his artibus vel extinctus eſt, vel, vt euentus docuit, ſopitus: quanquam enim ſcrupulum ſibi eximere conniteretur vniuerſum, quoties tamen ſe ad ſe reuocaret grauiſſimis conſcientiæ aculeis pungebatur, quos retundere ludis, & interpoſitis ſociorum tripudijs, vt multum conaretur, nihil tamen conſequebatur. Itum eſt per hæc diuerticula annos ipſos tredecim, & id genus ludibrijs auſa eſt diuinam voluntatem humana obſtinatio ludificari. Tandem iniectus eſt homini ſcrupulus, quem concoquere nunquam potuit: Tum ille dans manus; quouſque, malum, contra ſtimulum calcitrabo? Hæccine bona fugacia, & vitam momentaneam priorem habebo æterna? quin tu, ſi quid in te viri eſt, Deum ſequeris vocantem? Nec cunctandum ratus Patrem aggreditur, ac expugnat, qui quem adoleſcentem Chriſti ſubſtraxerat complexibus, eum doctorem, eum publicum Veronæ profeſſorem, eum maximè florentem dimittere eſt coactus: Ille bona cum venia Nugularam aduolauit. Domi pro ſe quiſque animum virtutibus illuſtrat. Neſcio quem

Digitized by Google

odio Vatiniano efferatum, mitigauit vnus Tyronum hac industria; Potes ne, inquit, dare hoc mihi, vt quoties animum pupugerit memoria inimicorum, semel percurras Dominicalem, & Angelicam Orationem pro hostibus? Possum enimuerò excipit alter: periculum fecit, auxilium sensit. Vxor cum viro in gratiam redijt, vnde pessimo exemplo deciderat. Mirandulanus Princeps Patrem vnum, qui est ei ab auribus, euocauit grauibus de causis Patauio vsque, qui cum alia bellè tum illud effecit, vt Principem familiæ cuidam Religiosæ, quam ille auersabatur, fecerit blandiorem, quo nomine Patres illi se Patri, atque adeo Societati plurimum debere affirmarunt.

RESIDENTIA FORO-CORNELIENSIS.

NVNQVAM antea frequentiores sacramenta vsurpasse, vel ex eo intelligas abundè, quod antelucanum tempus cum nocte coniunximus in Christi natalitijs, aures confitentibus commodando. Sacerdos vnus centum propemodum audiuit in totam vitam inquirentes. Sublatæ simultates quibus scatebant familiæ complures, & extincta quæ vtrinque parabantur incendia. Pleniſſimum illud voluptatis fuit spectaculum, cum equites duo, qui affines illi quidem cùm essent, sed inteſtino, id est, crudeli & obstinato, vt fit, odio distracti, animum obfirmauerant, adeò vt lusurus esse operam putaretur, qui inueteratas vellet inimicitias extirpare; eorum alter lectulo affigitur, vnde postmodum elatus est. Arripuit Pater articulum hunc commoditatis; versat strenuè animum in omnem partem, nec ante destitit premere, quàm exprimeret quod vnum maximè

maximè cupiebat: vno euicto, mox iuit ferociam alterius expugnatum; sudandum fuit; sed hominem mitigauit tandem; quare humanissimis verbis sibi inuicem sunt reconciliati; atque alter, Ego verò, inquit, nunc demum æquissimo animo è viuis excedo: Alter contrà ingenium suum, & à morientis latere distrahi se non est passus, & vita functo illachrymauit. Transeuntem vnum è nostris Ecclesiastem priuati plerique, mox Canonici compluſculi (quæ vrbis huius est de nobis existimatio) detinere voluerunt. Denique vbi animaduerterunt se laterem lauare, Episcopus ipse exorauit vt verba faceret ad populum. Habuit ille profesto die concionem: nobilitas vniuersa, & relictis tabernis ad eum audiendum maxima confluxit plebis multitudo.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

SVPRA ducentos & nonaginta Socij fuerunt in Prouincia Mediolanensi, partim in nouem domicilia distributi, partim in Missionibus versati. Sacerdotes (quorum exdecim Præceptores) 113. Scholares approbati (inter quos refero quatuordecim Magistros) 64. Coadiutores temporales 84. Nouitij 32. Quinque ex hac vita decesserunt, quatuordecim in eorum locum recepti sunt. Domus Professorum Mediolani aluit ex eo numero Socios 37. Collegium Mediolanense 82. Taurinense 22. Genuense 41. Comense 13. Vercellense 16. Montisregalis 15. Domus probationis Aronensis 30. Genuensis 20. Missio Cremonensis quinque. Alexandrina duos. Nicena totidem. Subalpinæ octo.

DOMVS PROFESSORVM MEDIOLANI.

MARGARITA Caroli Archiducis Austriæ filia, Regina Hispaniarum, bimestri apud nos commoratione, cum Ciuitati vniuersæ, tum nobis in primis hunc annum memorabilem fecit:

Digitized by Google

fecit. Hæc veniens è Germania, cum Maria Bauarica, Matre, lectissima Matrona, præterueĉta Ferrariam, vbi à Clemente VIII. Pontifice Maximo iuncta est matrimonio Philippo III. Regi Hispaniarum per Procuratorem Albertum Archiducem Austriæ, consanguineum vtriusque & itineris comitem, attigit Mediolanum ipso S. Andreæ festo die. Quacunque transibat inter honores, atque apparatus regios, quibus ab Italiæ Dynastis passim excipiebatur, Christianæ pietatis, atque humilitatis relinquebat impressa vestigia. Verùm Mediolani, dum idoneam ad nauigandum tempestatem expectabat, non vnius vestigia impressit, sed omnium virtutum monumenta locauit. Beneficia vtriusque matris & filiæ collata in nos, & verò etiam promerita gentis vtriusque Bauaricæ & Austriacæ in Societatem singularia nos cogunt, nisi ingrati volumus haberi, vt posterorum memoriæ tradamus hisce literis adeo præclara virtutum exempla: quæ quia vel multis occulta, vel non animaduersa, nostri æui scriptores intenti magis arcubus, ludis, apparatibus describendis, quàm animorum ornamentis Principum commemorandis, præterituri putantur. Præsertim cùm ad Societatem hæc decora non parum pertineant, eamque illustrent, qua magistra in Germania hæ religiosissimæ Principes, ab ætate prima ad omnem virtutem institutæ sunt. In Margarita igitur virtus cum dignitate creuisse visa est: nam etsi iam facta Regina Matrem anteibat dignitate, Matri tamen deferre primas cupiebat in incessu, consessu, & reliquis omnibus: quod quia publicè non licebat, priuatim tribuebat quantum poterat. Quotidiana vitæ ratio hæc fermè erat. Antelucano tempore tres missas audiebat, primam de festo occurrente: secundam votiuam de Spiritu sancto, vel de B. Virgine: tertiam pro defunctis. Priuatas hasce missas concio Germanica non rarò sequebatur. Tum nisi Principes excipiendi essent, aut Principum, Rerúmve publica

Digitized by Google

blicarum oratorès audiendi, egrediebatur foras simplicissimo habitu & cultu, sine fuco, gemma, auro, margaritis, se tantum suisque virtutibus ornata, atque compta: adibatque religionis causa sanctiora Ciuitatis templa, vbi orando, Missam symphoniacorum cantu solemnem audiendo, sanctorum reliquias inspiciendo, venerandoque, reliquum antemeridianum tempus consumebat: pomeridianum verò in aliquo sacrarum Virginum Monasterio transigebat, pauculis ancillis comitata, eas ad vitæ religiosæ perfectionem verbo & exemplo cohortans. Quo vitæ genere admirationi erat omnibus: exemplo multis, fatigationi suis familiaribus. Tanta porrò erga Sanctorum reliquias afficiebatur religione, vt accepta potestate per diploma Summi Pontificis insigniores Sanctorum reliquias omnes delibaret: nec eas imperio exigebat à Custodibus, sed precariò impetrabat. Cum autem ludi, certamina, choreæ, comœdię, & alia eius generis oblectamenta ingenti sumptu apparata essent eius gratiâ; nullis precibus, nullis adhortationibus adduci potuit, ijs vt interesset: modò afferens ad excusationem, sacrum aduentus Domini tempus: modò recentem tum Philippi soceri, tum Sororis Reginæ Polonorum mortem: modò patriam consuetudinem prætendens, quæ non permittit sponsas absente sponso aut choreas ducere, aut saltationibus interesse. Potissima causa erat, quòd pudica virgo abhorrens ex virtute ab illis oblectamentis, vbi aut gestus, aut verba minus honesta solent interdum immiscerì, verebatur ne quid alienum à sua pudicitia cogeretur, aut spectare, aut audire. Cæterùm ne respuere omnino hospitis sui Contestabilis Castellæ beneuolentiam, ac sensum humanitatis exuisse penitus videretur, iussit dari tragicomœdiam latinam ab adolescentibus auditoribus Societatis nostræ, qua superbi cuiusdam Regis tumor (vt est apud S. Antoninum) ab Angelo iucundissima quadam

ratione

ratione deprimitur, eamque elegantissimè recitatam summa cum voluptate spectauit. Porrò impetrandæ à Deo secundæ nauigationis causa in summa hyeme, mirum dictu est, quàm multa ex religione præstiterit candelabra argentea magni ponderis in diuorum aris collocari. Lychnos item ex argento perpetuò lucentes in aliquo B. Mariæ templo ex voto suspendi iussit. Pecuniarum vim ingentem in egenos nobiles, puellas, sacratas Deo Virgines, nostros religiosos amore Dei mendicos, quàm occultissimè distribuere: preces precibus à pijs viris ac mulieribus comparare, vt quisque intelligere posset eam non nisi à Deo felicitatem nauigationis in tam alieno tempore expectare. Nec illud est prætereundum prudentiæ ac magnæ moderationis inditium, quòd abiens edidit ante fores templi illius pulcherrimi, ac toto orbe celeberrimi monachorum Carthusianorum ad Ticinum. Vbi cum constitisset intrandi, ac visendi cupida, necdum Cursor Roma redijsset (qui post biduum aduenit) perferens summi Pontificis ingrediendi facultatem: cumque permulti viri etiam docti affirmarent ei licere ingredi templum, tum quod similibus legibus non nisi nominatim Reginæ comprehenderentur, tum quod esset verissimillimum, ea ipsa hora factam à Pontifice potestatem: ipsa nunquam persuaderi potuit, vt id faceret, verita ne cuiquam, exemplo suo, esset offensioni; ac proinde maluit honestissima voluptate quam perceptura erat ex inspectione templi ornatissimi carere, quàm contra conscientiam quidquam agere, & mortalium vllum offendere.

COETERVM quæ sequuntur nos, resque nostras magis attingunt. In publica illa populi vniuersi gratulantis lætitia, ne nos nihil omnino agere videremur, in eius quæ adeo Societatem amarer, aduentu; exposuimus postero die Sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum populo adorandum in templo nostro, quod extraordinarius

pretio

pretiosorum peristromatum apparatus, & candelabrorum argenteorum lucentium ordo multiplex visendum reddiderat. Hic nostri per quadraginta horas (quo tempore festis recentes succedebant) à Deo precabantur felices faustasque nuptias Reginæ, secundamque nauigationem & Reginæ, & Matri: necnon populum Mediolanensem exposita pro foribus inscripta tabella grandibus literis ad iungendas preces & vota nobiscum inuitauimus. Adeo gratum fuit hoc gratulationis genus Reginæ, vt affirmarit sibi plus quàm omnem Ciuitatis pompam placuisse: nec tempus orationi præscriptum prę terire voluit, quin & ipsa cum Matre accederet: quod & fecit Alberto Archiduce comite: nobilitateque vniuersa præeunte, cunctisque mirantibus, quòd quo die primum è Regia pedem extulit, in Societatis templum venisset; vbi tempus antemeridianum solito more religiosè consumpsit. Mitto illa beneuolentiæ signa non vulgaria; Principibus viris sua sponte Societatem commendare; laudare omnibus; benignius excipere mulieres illas quas nosset Societatis templum frequentare: catalogum precum, Missarum, piarumque actionum, quas nostri illi obtulerant, exposcere. Vnum addo singulare. Quo die quartumdecimum annum expleuit: (is fuit Christi Domini Natalis dies) pro more gentis in Missa obtulit Deo auctori vitæ, in gratiarum actionem quatuordecim aureos nummos hungaricos, in pauperes erogandos. Iussit hos ad Domum nostram deferri, tum in beneuolentiæ signum; tum in pignus largioris eleemosynæ, qua nostrã paupertatem subleuauit; cuius summam, quod occultam ipsa esse voluit, prodere fas non est. Kalendis denique Ianuarijs (qui dies in Societate celeberrimus est, multas ob causas) piam suorum retinens consuetudinem, iterum in nostrum templum venit, ibique Sacrosanctam Eucharistiam publicè sumpsit in priuata Missa à Præposito Domus celebrata, præsen

Digitized by Google

præsentibus ac laudantibus pietatem eius, Alberto Archiduce, & Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce, qui per eos dies huc eam salutaturus aduenerat.

VIR nobilis, qui acerbissimè fratrem germanum oderat, nostrorum opera non modò inueteratum deposuit odium: sed etiam moriens filijs suis & tutorem reliquit, & substituit hęredem. Puella item nobilis, cuius pudicitia à matre erat ob paupertatem iam iam prostituenda, per Nostros conquisitis omnibus vitæ subsidijs, à periculo liberata, & in tuto collocata est. Alia fœmina claritudine generis illustris, virum æquè nobilem perosa, insano alieni tori amore deperiens, salutaribus nostrorum meritis persanata est. Excursio facta est à duobus Socijs in oppidum frequens, vbi virtus eorum maximè enituit in conciliandis animis dissidentium. In quo mira res accidit. Tres armati hostili animo virum nobilem à concione nostri Sacerdotis discedentem opperiebantur. Denunciantur insidiæ: significatur periculum imminens: dum pendens animi, & consilij inops hæret in templo, diuinitùs hæc cogitatio illi immittitur, vt se, vitamque suam Deo, ac Virgini Deiparæ commendet ac tradat. Nec mora: commendatione hac quasi clypeo tectus è templo pedem effert: egressum inimici mucronibus infestis aggrediuntur, in eundemque sclopum explodunt. Ille tamen nec vulneratur, nec tangitur: sed sanus atque integer euadit ex inimicorum manibus: quæ res effecit vt faciliores ad pacem inuenirentur à Nostris.

Digitized by Google

COLLEGIVM MEDIOLANENSE.

TRES hoc anno è Collegio Mediolanensi ad cœlestium, vti speramus, Collegium immigrarũt. Horum primus Tranquillius Carlus, fuit Coadiutor temporalis, natione Brixianus, qui triginta annos in Societate consumpsit laudabiliter, magnamque eorum partem in colendis agris, & prædiorum cura posuit; coniungens cum patientia laborum, & solitudine rusticana, desiderium Collegiorum; & quod optauerat semper, paulo ante mortem obtinuit, vt inter sodales suos spiritum redderet creatori. Hunc secutisunt duo scholares adolescentes, quorum alter (Ioannes Baptista Caualerius vocabatur patria Taurinensis) ad mortis nuncium exsilire visus est gaudio: affirmans se nocte media, singulari quadam ratione præsensisse obitum suum fore quo die S. Augustinus fidem Catholicam susceperit; optare tamen vt id eueniret ea hora, qua posset Sacrificiorum matutinorum fructum percipere. Nec eum fefellit euentus: nam die, quem præsensit, & hora quam optauit, excessit è vita, inter oscula Crucifixi, & significationes internæ voluptatis, quam ex patriæ cœlestis desiderio & expectatione capiebat.

FORIS & nostrorum labor versatus est cum fructu. Inter Sacerdotes dissidentes acerbissimo odio, pax desperata à viris prudentibus composita est. Honestissimi viri filia, spe nuptiarum decepta ac deserta, ei qui violarat in matrimonium data; quod nisi Nostrorum opera factum fuisset, mutuis cædibus se familiæ integræ honoris causa fœdassent. Adolescens è Nostris auditoribus omni

Digitized by Google

omni blanditiarum genere à formosissima muliere quadragies ad flagitium prouocatus, Beatissimæ Virginis patrocinio munitus, semper perstitit in amore castitatis constantissimus. Alius qui contemptis salutaribus magistrorum monitis, à via Virtutis deflexerat, admirabili quadam ratione ad meliorem frugem reuocatus est; Incidit in grauem ac periculosum morbum, & dum in eum Medicorum industria conuersa est, sibi per visum sisti se visus est ante Tribunal Christi Iudicis, qui anteactæ vitæ rationem omnem exigeret. Hæret hic adolescens, timet, tremit, consilij expers: obijcitur illi vno aspectu præteritorum flagitiorum vniuersa colluuies: cumque ad eos Sacerdotes, qui aures confitenti benignè antea præbere solerent, tamquam ad patronos confugeret, scelerum suorum præteritorum testes atque accusatores offendebat. Ab his repulsus ad cœlites se conuertens, beatorum quemque inuocabat, ac deposcebat in patronum. At diu orans neminem mortalium, neminemque immortalium exorauit. Quare se miserrimum omnium hominum existimabat. Cæterum hanc suam calamitatem intimis sensibus versanti ac formidanti vehementius, terra de repente hiscere, atque in duas partes abire visa est; tum aselli è fouea erumpentis calcibus peti se frequentibus sensit, & magno impetu in apertam illam, vastamque voraginem deturbari. Iamque de se actum existimabat, cùm illi affuit clementissima Dei mater, insperatam misero ferens opem. Nam vt corpori reddatur à Christo filio impetrat, vt saluti suæ consulat diligentius: monetque vt matri suæ beneficium hoc referat acceptum: quæ, vt postea cognouit adolescens, eodem tempore pro filij incolumitate vota Beatæ Mariæ Montisregalis nuncupauerat. Eo viso (siue res verè gesta est, siue adumbrata cogitatione) ita permotus est adolescentis animus ac mutatus, vt sese ad seueriſſimam illam S. Francisci familiam, quæ Capuc-

Digitized by Google

cinorum dicitur, ſpe & cogitatione conuerterit.

IAM verò ingenium atque induſtria tum domeſticorum Scholarium, tum externorum, prodiderunt ſeſe in Principum virorum aduentu clariſſimè: qui beneuolentiæ ergò Collegium noſtrum inuiſerunt. Primus omnium fuit Auguſtinus Cuſanus S. R. E. Cardinalis, qui non multò antequam excederet è vita, venit ante meridiem in templum, vbi miſſam primùm fecit magna cum religionis ſignificatione: deinde ſubiens ædes, oratiuncula accommodata tempori, ab vno è Noſtris conſalutatus eſt nomine omnium. Tum parietes carminibus conueſtiti excipiebant progredientem: à prandio parthenij adoleſcentes eundem in Academiam eloquentiæ inuitarunt, vbi ſymphoniacorum vocibus primùm ſalutatus eſt, deinde oratione compta, atque erudita oblectatus, qua vnus ex Academicis interpretatus eſt inſigne, ſeu argumẽtum in Academiæ clypeo depictum: id autem eſt ceruorum grex fluuium tranans, cum Epigrammate: dant animos vices. Auguſtinum Cardinalem ſecutus eſt magno interuallo Carolus Borgia Gandiæ Dux, Patris Noſtri Franciſci pronepos, qui eo carminum apparatu cohoneſtatus eſt, qui trium dierum anguſtijs confici potuit. Hic ſponte ſua inuitauit ſeſe, in eum diem, qui B. Virgini conceptæ ſacer eſt, quo die non minora nobis Chriſtianæ pietatis, quàm in nos humanitatis ac beneuolentiæ præbuit argumenta. Voluit enim cum iiſdem ſodalibus noſtris Euchariſtiam ſumere in templo, quibuſcum cibum erat ſumpturus in cœnatione. Qua in re modeſti animi ſignum dedit egregium, cum nec ſibi prius Euchariſtiam porrigi à Sacerdote, quàm fratribus noſtris: nec ab iiſdem præ ſe faces ardentes præferri honoris cauſa, nec venienti occurrere vniuerſos paſſus eſt.

TERTIVS aduenit Sereniſſimus Carolus Emmanuel Dux Allobrogum, honorificentiſſimè exceptus: Extern-

Digitized by Google

ternorum quippe Scholarium industria cum nostrorum, adeo certauit, in apparatus magnificentia, vt omnes superiores ornatus superauerit. Tota porticus & claustra Collegij vestita peristromatis tegebantur fœtibus ingeniorum, hoc est, cultis ex omni genere carminibus, quæ emblematis egregiè pictis, & intimorum sensuum argumentis artificiosè excogitatis distinguebantur. Erant & fictæ penicillo portæ, præclarisque ornatæ ingeniorum inuentis: quibus rebus vel vetustissima præclarissimæ gentis insignia explicabantur: vel laudes, res gestæ, virtutesque Principis aut innuebantur, aut commemorabantur. Exacuerat enim industriam nostrorum, & in primis Subalpinorum (quorum est in Collegio numerus ingens) meritorum in nos collatorum recordatio: suffecerat vires ingenijs rerum gestarum gloria. Addita & laudatio ab vno è Sacerdotibus nostris dicta: quam non minus auidis auribus, quàm modestia singulari excepit. Ea perfecta, obambulans porticum, & claustra lustrauit humanissimè: singula ornamenta intuens modò laudabat ingenium artificis: modò gratias agebat auctoribus: modò interpretationem rogabat: dolebatque interdum quòd per tempus non liceret accuratiùs singillatim perùidere vniuersa: cuius rei gratia P. Præpositus Prouincialis iussit omnia colligi, & in iustum volumen colligata benigno Principi postero die repræsentari. Oblectatus igitur & rerum, & Sodalium nostrorum omnium aspectu, antequam efferret ex ædibus pedem, petijt ad se conuocari eos omnes qui sub ditione sua nati essent: quos conuocatos, dum illi honorem debitum tanto Principi exhibent, singulatim amantissimè complectitur: cohortaturque vniuersos ad retinendã in suscepta vita religiosa constantiam: asserens nihil sibi potuisse gratius in vita contingere, quàm tot adolescentes, sibi olim subditos, cernere Deo mancipatos, in ea religione, quam ipse mirificè coleret.

Digitized by Google

POSTREMVS fuit atque omnium iucundissimus aduentus Margaritæ Reginæ Hispaniarum, quæ & Collegij templum inuisere voluit, Maria Matre, Archiduce Alberto, & cæteris Principibus comitata; vbi post Missas more solito auditas, inuisit accuratissimè venerabunda Sanctorum reliquias, quarum & fragmenta sibi dari religiosè petijt; & quando Collegij ædes intrare non licebat, iussit Socios vniuersos læua dextraque dispositos adstare ante ianuam, qua è templo itur in Collegium: vt & singulos videre, & omnium precibus se commendare posset. Quod & fecit magnam capiens ex eo prospectu voluptatem: & vt adolescentibus studiosis gratificaretur, vacationem illis à P. Rectore impetrauit.

COLLEGIVM GENVENSE.

GENVAE hoc anno institutum est veluti seminarium nostrorum Adolescentum, qui è Tyrocinio egressi literis humanioribus dant operam: eisque præpositus dicendi magister valde idoneus. Qua re sperамus fore, vt breui Prouincia bonos sit habitura præceptores: & illi ipsi qui hic educantur, diutiùs retenturi sint pietatis illa semina, quæ ex Domo probationis secum afferunt. Nobilem adolescentem, qui ante triennium vocatus à Deo ad Societatem nostram, & à P. Prouinciali verbo receptus, mutauerat voluntatem parentum æstibus & oblectamentis: hoc anno magnum vitæ discrimen ad Societatem reuocauit. Ex quo cum Dei munere euasisset, non amplius cunctandum ratus, constantissimo animo tum matris blanditias, tum patris seueritatem superauit. Ex fructibus, quos Nostri in traden

tradenda Christiana doctrina pueris ac puellis colligunt (huius enim puerilis doctrinæ studium in hac Ciuitate per Nostros excitatum & fotum maximè viget) hûc profero singularem. Cùm formosa ac famosa meretrix dialogo pio interesset, qui à puellis recitabatur: nescio quid ex eo tam altè eius animo insedit, vt vel inuita de eo cogitare noctes diesque cogeretur. Rata sibi id diuinitùs accidisse, vt scilicet aliquando tandem è flagitiorum suorum sordibus ac cœno emergeret, se ipsa colligit: respicit anteactam vitam attenta cogitatione: horret fœditatem suam: amatores odisse incipit: ac mutandæ in melius vitæ desiderio inflammata, prosternit sese ad pedes eius Sacerdotis, qui doctrinę præerat: perfusaque lachrymis ea præstitit, quæ Spiritu Sancto Doctore faciunt corda mortalium intrinsecus tacta dolore: vt quæ fuerat Ciuitati magistra turpitudinis, facta est norma pudicitiæ. Virgini dæmon simulato B. Mariæ Virginis habitu atque forma per summam fraudem sese ostentabat: imprudens illa specie pietatis decipiebatur: eoque res adducta erat, vt à compluribus è plebe tanquam Sancta honoraretur. Nostri subodorati insidias, consuluunt vt Dæmonem tam speciosa persona coopertum detestetur: sputisque à se per ignominiam repellat: fore vt ea ratione spretus contemptusque desinat apparere sub aliena forma: & sese prodat veteratorem. Secuta est Nostrorum consilium: dæmõ redire non est ausus: ac denique à maximo salutis suæ periculo liberata est. Addam vnum vnde intelligas quantum possit Sanctitatis opinio, famaque virtutis. Vixerat quidam multos annos suorum peccatorum funibus irretitus à confessione alieniſſimus: hic data occasione ad purgandum animum inuitabatur ab vno è nostris Sacerdotibus: cumque ad eam rem, vt fieri solet à peritis, complura afferret argumenta, & exempla Sacerdos, attigit etiam ea

Digitized by Google

quæ vulgò de pietate Margaritæ Reginæ Hispaniarum in Italia tunc versantis, ferebantur, quæ in admirationem suarum virtutum cunctos Italiæ populos rapiebat. Mirum dictu: eius rei commemoratio hominem obstinatum adeò commouit, vt fluentibus lachrymis de repente accideret ad pedes Sacerdotis, salutaremque totius vitæ confessionem maximo doloris sensu faceret, nouam vitam melioremque victurus.

IN damnatis ad triremes erudiendis (vbi Nostrorum verè desudat industria) illud accidit insigne. Turca captiuus, nescio qua desperatione ductus, in mare se deiecerat, & quasi manu sublatus super vndas ita fluitabat, vt submergi non posse videretur. Ereptus à fluctibus, narrat sibi præsto fuisse pulcherrimam mulierem, cuius laudes à nostro Sacerdote sæpe audierat, quæ manum capiti supposuerat, dicens, Si Christianus esse velis, nequaquam morière: cui voci quum assensisset, afferebat se liberatum à periculo. Narranti hæc, baptismaque petenti fides habebatur nulla: timebatur fraus in homine desperato: cæterum cùm in petitione baptismatis integrum annum perseueraſſet, atque adeo constanter, vt neque contumelijs, neque flagris Turcarum, qui in eadem triremi captiui erant de sententia moueri posset, in Christianorum numerũ receptus est. Hunc secutus est puer item Turca; secutæ tres fœminæ Hebrææ in templo nostro ablutæ baptismo, atque à Nostris eruditæ ad baptismum.

EXTREMO illo triduo quo debacchari solet licentius in Italia quotannis multorum effrænata libido, instituta est in templo à Nostris oratio quadraginta horarum, exposito sacrosancto Eucharistiæ Sacramento ad adorandum: tum ad piorum hominum solatium, tum ad reuocandos ciues à tumultu intemperantium adolescentium. Et quoniam tunc primum ea res in Ciuitate tentanda erat, placuit fieri quàm maximo & quam magnificentissimo

Digitized by Google

centissimo apparatu: proinde pulcherrimis peristromatis templum omne conuestitum est; disposita candelabra argentea infra supraque permultas, candelas cereas ardentes sustinentia, quæ lychnis item collucentibus distincta in cœlo stellas referebant. Additi & odores incensi, & flores ficti atq; veri; & vasa argentea ad ornatum: additæ & Sanctorum reliquiæ ad religionem augendam: & quod præcipuum erat, sermones pij, atque concinnulæ identidem de rebus tempori accomodatis habebantur, non ab vno concionatore, vt satietas occurreretur. Inter conciones autem, symphoniacorum ac musicorum instrumentorum concentus interponebantur. Fama reciuitatem vniuersam exciuit; aspectus apparitissimi templi ingredientibus cœlestium domicilium, vt ipsi dicti tabant, repræsentabat. Interfuit singulis diebus Archiepiscopus: affuêre venerabundi Patritij, ac populus certatim viri ac fœminæ. Nec modò amici nostri laudare factum, mirari concursum, gratulari: sed etiam alieniores à nobis, quasi reconciliati nobiscum probare omnia: fateri ingenuè nostros veræ pietatis cultores esse, Christianorumque amantissimos. At pietas venientium ciuium nos mirificè recreabat, cùm videremus eos qui alijs diebus colloquia miscere inter se, minus pudicè fœminas inspicere, nutibus oculorum loqui consueuerant, tunc flexis genibus orare, conciones attentè audire, & magna religionis significatione in eodem gradu diutissimè perstare: nam piæ nonnullæ matronæ nobilitate insignes, oblitæ sui suorumque, ieiunæ totum diem in templo transegerunt. Quibus ex rebus intelleximus votis euentum abundè respondisse.

COL

COLLEGIVM TAVRINENSE.



BITVS Gaſparis de Georgijs Societatis noſtræ Sacerdotis initium faciet Taurinenſis narrationis. Hic Taurini honeſto loco natus ad quadrageſimum ferè peruenit ætatis ſuæ annum, Societatis verò vigeſimum, in qua Coadiutor ſpiritualis formatus factus eſt; in eadem Societate docuit aliquot annos humaniores literas: obijt Miniſtri munus in hoc Collegio annos circiter decem. Vixit verò cum Socijs, quamdiu vixit, eximia vitæ ſimplicitate atque integritate, religioſæ paupertatis & obedientiæ amantiſſimus, patientiæ autem longè magis, vt egregiè teſtantur haud obſcura, quæ referam argumenta. Sex ferè menſes lectulo affixus iacuit ecthica febri laborãs, vt præter oſſa cutemq; nihil ſupereſſe diceres; quin & quantũ quantum ſupererat, id totum Medicorum iudicio affectum erat dolore non modico: doloris tamen ac pœnarum pariens adeò viſus eſt, vt neque querimoniæ, neque moleſtiæ ſignum dederit aliquando. Triduo verò ante obitum, cum poſt Sacrum oleum ritè ſuſceptum, P. Rectori, Socijſque verba feciſſet plena pietatis, ac boni exempli, hæc priuatim ex noſtris familiariſſimo ſibi Sacerdoti ſignificauit: Mi Pater, nunquam credidiſſem, virum religioſum ante ſuum obitum tanta frui animi tranquillitate ac voluptate, quantam vix ego capere poſſum, vt mihi iam videar, minimè quidem dignus, ſed Dei mei clementia cœleſti fœlicitati deſtinatæ viris religioſis, appropinquare. Poſtremò id enixè petijt à P. Rectore, Socijſque, vt ſtatim atque exhalaſſet animam, ter Chriſti Domini ad Deum Patrem, & Gabrielis Archangeli ad Mariam Virginem

oratiun

Digitized by Google

oratiunculam recitarent in venerationem Sanctissimæ Trinitatis; præsertim verò in gratiarum actionem pro beneficio accepto religiosæ vocationis atque perfectæ perseuerantiæ.

AGENTIS animam exemplum retuli, referam modò exemplum vitam agentis. Cum Sacerdos prouectæ ætatis iam, virtutis verò prouectioris, qui paucis ante annis in Societatem cooptatus est, ob quasdam cum fratre suo germano controuersias è re familiari recens ortas sese in villam quandam suam contulisset, ibi prandentem fratrem frater conuenit: & primum quidem verbis obscœnis & contumeliosis in eum inuectus est; tum pugnis in eundem irruit, tanto furore percitus, vt nisi qui aderant oculati testes, Sacerdotem à fraternis manibus eripuissent, malè omnino cum illo actum foret. Sacerdos verò nullam effatus est asperiorem vocem, neque aliam iniuriam rependit, quàm illi ab IESV, quem sibi ad imitandum proposuerat, veniam precando hisce iteratis verbis: Deus tibi ignoscat, frater, Deus tibi ignoscat.

VENIO iam ad externa. Auditores disciplinarum nostrarum adeo frequentes fuêre, vt non paucis sit aditus intercluſus: Sodalitium verò Sanctissimæ Matri deuotum si vnquam antea, hoc anno floruit maximè: & quanquam nullum Societati tulerit fructum: id tamen accidit, non quia floribus minimè respondérint fructus: sed quia nondum ad eam maturitatem quam postulabat Societas, peruenerunt: quod ex eo facilè conijcere licet, quod nonnulli Sodalium ad alias religiosorum virorum familias sese contulerunt. Est curæ nostrorum valde commendata Societas quædam optimorum virorum, cui nomen est à D. Paulo, cuique plurimum debet à sui exordio Taurinense Collegium. Et quoniam huius vnius Societatis diligentia ac pietate tota ferè nititur moles piorum operum vniuersæ Ciuitatis, Nostrorum opera factum est, vt

vir

viri nonnulli Senatorij ordinis atque equestris, darent huic nomina sua. Ex quo maximè auctum est bonum tum Sodalitatis, tum Ciuitatis: etenim pestilentia ineunte, ac ferè grassante horum Sodalium in primis enituit studium pietatis, non solùm in administranda Republica, quæ ijs credita est vniuersa: verùm etiam in propitiádo Numine. Hi enim statuerunt sibi certos nouem dies, speciem quandam nouem mensium referentes, quibus Dei filium continuit vterò Virgo Deipara: ijsque diebus obierunt tria præcipua vrbis templa Sodales octoginta, bini ordine incedentes, & quasi agmine facto, miro altoque silentio Numini supplicantes, præeuntibus totidem infimæ sortis viris ac pueris vno eodemque vestium colore distinctis. Quod pium spectaculum, & visendum & commendandum maximè censuit Ciuitas vniuersa. Doctrinæ Christianæ tradendæ studium, quod in Vrbe friguit diu, nostrorum industria feruere cœpit.

INSTITVTA est nuper Societas virorum atque mulierum, auctore Archiepiscopo, eo omnium ardore, vt cum ex tempore haberetur supplicatio pro auertenda peste, numerata sint in ea puerorum ac puellarum dumtaxat, duo millia. Visuntur in templo nostro atque coluntur magna religione ciuium, tria corpora Sanctorum Martyrum ex legione Thebæa; Solutoris, Aduentoris, & Octauij, quibus tanquam patronis templi, atq; totius Ciuitatis vota sæpissimè nuncupare consueuêre Taurinenses. Duo verò contigerunt hoc anno, quæ beatorum horum patrocinium indicant præsentissimũ. Princeps, vir ex Ducali Sabaudiæ familia, cùm sanctiore anni tempore de more Sacerdotem nostrum audiret concionantem populum ad colenda sacra corporum illorum pignora cohortantem ardentiùs, quorum sæpius opem in summis periculis esset expertus, illa sibi singulis diebus obeunda statuit venerabundus. Ex quo factum est, sicuti Nostris fateri

fateri sæpe consueuit, vt quoties ad altare sanctis corporibus sacrum facienti Sacerdoti interfuit, & Christi Domini sacrosancto corpore refectus est, toties acceperit nuncium bonum rei maximè optatæ. Quapropter indumenta quædam patronis suis sancta dicauit aurea, atque argentea ad faciendum maximè idonea. Præterea cum Vrbs Taurinum, atque ager vniuersus pestilentia laborasset, vrbis moderatores ac Magistratus voto ac sacramento statuêre omnes ad decennium se indicturos populo vigesimum Nouembris diem his patronis solemnem ac sacrum, quo die & magna pompa indumentorum cæterorumque ornamentorum res sacra fieret in templo nostro, & summa ciuium ac populi frequentia ibidem supplicatio haberetur. Quòd si eorum patrocinio fæliciores dies illuxerint, ornamenta ampliſſima, & lampades sancto altari decreuerunt. Huius diei festi hic annus initium fecit. Etenim indicto die Archiepiscopus Carolus Brolia nostri Ordinis amantissimus, Deo sacrum fecit in æde nostra; magistratuum, ciuiumque primariorum maxima celebritate, quo die, non sine omnium admiratione, Vrbs, quæ plures hebdomadas ob inclementiam cœli peste infecta mœrere videbatur, & quasi lugere, ita repentè conuersa est ob eiusdem cœli diuinitùs affiatam serenitatem, vt tanquam de profligata pestilentia triumphare gaudio videretur.

ET quoniam pestilentiæ mentio facta est, non est prætereunda Nostrorum charitas erga malè affectos; nam aliqui Nostrorum vltrò sese dedêre ciuibus ad quæque charitatis officia obeunda pro salute ægrotantium, siue intra mœnia, siue extra. Horum duo hucusq; destinati sunt extra Vrbem, Sacerdos alter, alter frater coadiutor. In Vrbe quanquam prohiberentur Nostri, ne ita frequentius admitterent venientes in templum ad ritè sacra celebranda, ipsi tamen vagabantur per Vrbem memores

proxi

Digitized by Google

proximorum immemores sui,& quantum in eis erat,omnium saluti consulebant, modò admotis scalis ad fenestras, vt confitentium peccata exciperent,modò inter equitandum in via publica, in medio prato, modò per foramina domorum,aliisq; rationibus, quas ingeniosa charitas exquirere solet.Pari diligentia & charitate præstita sunt reliqua officia pietatis, quorum vt aliquis appareat fructus, id tantum indicabo, quod assecutus est concionando vnus è Nostris, qui cùm aliquando de restituenda pecunia audiretur à quodam,ita commouit hominem vt quingentos detexerit aureos nummos creditori, cum quo ad quinque annos litem iniustè protraxerat, siue tegendo,siue omnino negando quod deberet.Idem assecutus est vt nobilissima fœmina, quæ odio incensa decennium cũ pari fœmina locuta non erat, & loqueretur, & pristino amicitiæ vinculo eandem complecteretur. Consultum item est virginibus, quæ in extremo pudicitiæ periculo versabantur. Huic operi locus quidem pius olim destinatus est: hoc anno domus coempta valde idonea.

QVINQVE mulieres è peccatorum cœno erutæ sunt, inter quas hæretici hominis filia inuenta est, quæ cùm puella apud parentes viueret, signo se ianuæ Crucis flexis genibus muniebat, pictam effigiem Sanctissimæ Virginis, aliorumque Beatorum adorabat, orationem Angeli ad Virginem, quam à fœmina Catholica didicerat, recitabat. Ex quo, palo alligata, flagellis à Patre ad tertium decimum vsq; ætatis annum sæpe cæsa est, illita sputis,minis territa, afflicta ieiunijs, vt à Catholico ritu ac fide filia mentem auerteret:ea verò hęc atque alia pro Christi fide patiebatur iucũdissimè.Cum autẽ verẽrentur quidam,ne pater filiam aliquando necaret,consuluerunt, vt è patria,domo,clam mutato nomine in aliud oppidum se conferret.Inde post diuturnum famulatum, quem honestè

Digitized by Google

neſtè exhibuit oppidanis quibuſdam, bellorum incertis ſubitiſque excurſionibus adoleſcentuia abrepta eſt: & biennio ferè turpiſſimorum libidinoſorumque militum captiua, Taurinum tandem deducta eſt, vbi liberiore corporis ſui vſu fruens, adeo per Noſtros, tanquam per nuncios & milites ſuos, in perfectam cum animi tum corporis libertatem vindicata, tantum ſui vitæque ſuæ tranſactæ concepit odium, vt de ſe acriter ipſa pœnas repetere cœperit, & amatorum procaciam propulſare fortiter, ſtatueritque viam ingredi earum mulierum, quibus à ſalutari conuerſione nomen eſt, atque cum ijs reliquam vitam ieiunijs, lachrymiſque tranſigere.

EXTREMVM locum habet Hæbræa fœmina annos nata viginti, quæ ſacro fonte luſtrata eſt ope Noſtrorum. Hæc ab ineunte ætate in Chriſtianam religionem propenſa domi ſuæ, quod audierat doctrinæ Chriſtianæ compendium, perdiſcebat, docebatque ſocias Hæbræas puellas: poſtea maior natu dici vix poteſt quanta orationis vi conata ſit coram Archiepiſcopo patrem fratremque ſuos ad noſtram fidem conuertere, quòd ſe ante obitum impetraturam, aſſiduis ad Dominum precibus, proteſtatur. Iam verò optima Chriſtiana mirificè afficitur erga Sacroſanctam Euchariſtiam: cœleſti contemplationi, ſupplicationique vacat noctu, vt poſſit interdiu, quibus debet, famulæ munus præſtare diligentiùs.

COL

COLLEGIVM COMENSE, AC VERCELLENSE.

EX Collegio Comensi, præter ea quæ quotidiana sunt, prodijt opus maximi momenti; siue Ciuium spectes, siue rei Christianæ bonum. Eradicatum enim est quoddam quasi pestiferum semen, quod in Vrbe cœperat pullulare: idque extra Vrbem amandatum. Et quoniam reticeri à nobis videtur id satius, quàm exponi, silétio præteribo. Bacchanalibus diebus, ad continendos in officio discipulos, omnium optima distributa sunt præmia, Episcopi Archinti liberalitate coëmpta ac donata; eodem tempore habitum est à pueris iudicium.

DE Collegio Vercellensi nihil narratur noui præter vnum, quod quia fratribus nostris quibus rei domesticæ cura committitur, exemplo esse potest, haud prætermittendum. Guilielmus Prior diem suum obijt, qui quamdiu vixit in Societate, tamdiu labori se tradidit. Supra trigesimum annum coqui munus exercuit patientissimè, & cum vix vitam ducere posset, nunquam tamen sine onere ducere voluit: qua re vel labore assiduo confectus, aut ætate, vel subita vitiati humoris gutta oppressus, paucis horis diei eiusdem, & decubuit lectulo, & occubuit tumulo, & vt arbitror, Diuino consilio: vt, qui laboris in vita adeo fuisset amans, quiete placidissima frueretur in morte.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM MONTIS REGALIS.

QVANQVAM in Vrbe salubri admodum cœlo fruantur Nostri; ij tamen qui extra Vrbem quasi custodes constituuntur ædis Beatissimæ Virgini sacræ, vix vitam agere possunt. Quatuor inde nulla interposita mora reuocati, sunt graui morbo affecti: nam dum ægrotanti succedit alter, huic & tertius valetudinis causa sufficiendus fuit, & tertiò demùm quartus, qui omnes ægrè ad tertium mensem conualuêre, imò ex ijs vnus, & Medicorum iudicio, & suo ipse sensu morti destinatus decumbit.

QVOD verò ad res in alios gestas attinet, exposita est à Nostris sacrosancta Eucharistia, & supplicatio habita ad auertendum luem circumcirca grassantem; eo animorum fructu, vt ad salutarem pœnitentiam quasi vitæ asylum plurimi sese contulerint. Reliqua pietatis officia præstiterunt Nostri ex more diligenter, quorum pauca insigniora subijcere non grauabor. Adolescens qui verberibus impiè accepit Patrem suum, in carcerem coniectus est ab eodem. Hic in rabiem actus, ac certam sibi mortem consciscere volens, tres ipsos dies cibo potuque abstinuit, neque vllis precibus, neque obiectationibus, execrationibusque à proposito dimoueri potuit, donec ad Nostros vétum est. Nam ad extremum duo Sacerdotes è nostris accessere vocati ad carcerem: qui obsequijs primùm atque blanditijs leuiter aggrediuntur adolescentis animum: tum eò deducunt grauiore oratione, vt coram Patre acciderit, suppex veniam ab eo precans, eodemque tempore & pœnitenti salutare Sacramentum, & esurienti cibus, & captiuo libertas comparata sit.

Digitized by Google

NOBILIS matrona impellente Dæmone sibi mortem inferre cogitabat: idque dum secum ipsa animo versabat, innotuit viro: hic ad Sacerdotem accurrit, narrat periculum: Sacerdos iubet ad se acciri mulierem, accedit, aperit consilium. Sacerdotis prudentia ad meliorem frugem se conuertit. Virgini insidiatur Dæmon parti calliditate ac vi; duris eam plagis interdum afficit; modò rapetit caput, modò crura adeo percutit, vt eorum vulneribus ac vlceribus sese cruentet. Ex quo & crura sibi succisa putat, & fractos lacertos, vt vsu interdum esse non possint. Vbi sacrum adit templum, se illi obuium præbet specie serpentis atque obstruit viam: interdum arripit vestem, & sistit eundem, immotamque reddit: idque vt sola experitur, ita sola intuetur: grauius multò eam angit expiantem sese, atque impedit. Domi piacularem coronam ei suffuratur, turbat lectum, è cubili conantem exurgere violenter detinet: si quod lusculum, aut poculum sibi mendicando comparauerit (sic enim victitat) versat omnia, vt ad iracundiam prouocet. Infert domum aureos nummos, vt aureo quasi ponte ad pectus virgineum sit sibi aditus facilior; at spretum aurum in carbonem vertitur: procaces adolescentes adducit, qui eam pollicitationibus, numerataque pecunia sollicitent: at verò irrita omnia cedunt, fauente Numine. Demùm à Nostris abducere sæpissimè conatus est, atque à Sacrorum vsu: sed frustra: constanter Virgo pudicitiam colit, in templo nostro versatur frequenter, pia obit munera more suo, teterrimum hostem egregiè ipsa irridet, atque verberat.

AD primos duas Sodalitates, Scholasticorum alteram, cui nomē à B. Virgine Assumpta: nobilium fœminarum alteram, quæ ab humilitate nomen accepit, & penes quam cura est Nosocomij: addita est tertia nobilium virorum, quæ paræcinio gaudet Virginis Annunciatæ, atque

que hoc eodem anno ad primariam Romanam aggregata est. Hæc Sodalitas eorum indigentium curam suscepit, quos à cogenda stipe reuocat pudor. Horum Sodalium primus, cum ægrotaret, summisque doloribus cruciaretur, visus est sibi videre Beatam Virginem, quam demissè compellans rogauit, vt quàm primùm se tot tantisque eriperet cruciatibus: cui illa, Filiuper angores multos cœlum attingendum est: tum repentè recessit. Hoc viso confirmatus æger, vt ipse narrauit, non æquo solùm, sed etiam libenti animo & morbi dolores, & mortis extremum ictum excepit.

BENEVOLENTIAE signa non obscura. Nostris præbuit Nuncius Apostolicus in aduentu suo: Nostri verò grati animi signa, vt poterãt, reddidere: datum enim est drama, parietes vndique carminibus, emblematis, atque argumentis ornari; distributa diligentioribus discipulis præmia; quo is excepereur à nobis honorificentius. Atque hæc in Vrbe maioris momenti visa sunt.

EXTRA Vrbem missio, siue residentia perpetua est ad Dominæ Virginis, quæ quia Vrbi valdè propinqua est, ab vrbanarum rerum narratione non videtur separanda. Duo hîc referam audiu, visuque fœda, quæ quamquam ciuitatis vrbanæ & Virginis clementiæ prorsus tribuenda sunt: tamen, aut quia Nostri eorum testes oculati sunt: aut quia Nostrorum opera vsi sunt ij, quibus ea contigerunt, aliena omnino à rebus nostris non videntur, præsertim cum & nostra omnia Deo potius tribuenda sint, & clementissimæ Matri quam ipsis nobis.

DOMINICVS quidam Balneus de Castri moderne (pagus is est in agro Ferrarensi) tribus ante annis, ex equo lapsus dexteram manum ita læsit, vt mouere eam in vllam partem nullo modo posset, imò eam prorsus immobilem, cum à reliquis corporis partibus humoris vim trahere non valeret. Hic B. Virginis de Monte regali nun-

cupat votum: dat se itineri: Virginis ædem aditurus in ipso itinere aliquanto melius habere cœpit, digitos explicat paululum immota manu. Cum primùm attigit limen tépli, per vnum è Nostris sordes eluit peccatorum, cui gradatim exposuit quæ sibi in itinere contigerunt, manumque arentem atque immotam offendit vno aut altero digito excepto. Postridiè eius diei à Sacerdote probè edoctus preces ad Virginem fundit ardentiùs, vt quæ sunt apud filium merita matris, mereatur ipse manum integram obtinere. Inter precandum sentire visus est sibi quemdam ad aridam manum è brachio succurrentem, illique vitam & priorem sensum reddentem: manum is explicat statim, versat, circunspicit: pristinæ sanitati restitutam sentit. Hæc omnia diligenter contemplatus est Sacerdos noster, atque adeo restatus Balthasar à petra sancta, ex vico, cui Cassinæ nomen est, quum persoluturus votum quod nuncuparat, ad eiusdem D. Mariæ Virginis veniisset. Hæc cum Sacerdote eodem communicauit, cum quo & salutarem habuit peccatorum confessionem: Domo discesseram, inquit, animi causa, quatuor tantum comitibus famulis, & sororis filio, solo ense de more succinctus: cum autem redirem, & ad medium ferè pagum peruenissem, ex insidijs duodecim vini sulopis maioribus atque minoribus armati, prosiluêre, suspicatus id quod futurum erat in cœlum conuersis oculis Virginem hanc mihi patronam nuncupaui, cui me voto etiam obstrinxi. Obfirmato animo in me irrumpunt, explodunt cominus tormenta: cecidêre repente famuli duo: sororis filius corruit, arte pedes dilaceratus: ego verò cum reliquis duobus me fugæ dedi, atque ab inimicorum oculis me ipse proripui, incertus an essem ictus, necne. Cùm in tuto essem, cœpi me ipse, vt quæ inflicta essent vulnera cognoscerem; verùm plumbeas glandes octo ad cutem vsque penetrasse comperi, cutem autem minimè

læsisse;

Digitized by Google

lassisse: tibiam verò leuiter fuisse perstrictam. Adeo certa ac præsens est tutelaris cura Virginis & Matris ad filium supplicatio.

DOMVS PROBATIONIS ARONENSIS, ET GENVENSIS.

NOVITIORVM institutioni nostrorum ita dant operam, qui in Aronensi Domo Socij commorantur, vt & aliorum saluti consulere minimè obliuiscantur. Nam in eo oppido collocata est hæc nostra domus, quod est quasi Emporium Vrbani Lacus, qui vulgò Maior dicitur. Sodalitates iampridem institutæ sunt, tum virorum tum fœminarum: hoc verò anno & auctæ, & certo ordine confirmatæ. Ex his Sodalibus vnus è medijs fluctibus ereptus est, patronæ vnius Virginis ope implorata: hic enim infimæ sortis homo, cum sub vesperam diei festi solus nauigaret, appulit ad quandam littoris partem, vnde lignorum nescio quos fasciculos rapere atque exportare nauicula constituerat. Dum autem proiecta in littore ligna ipse sustollere, eademq; in nauiculâ inferre conaretur, recessit à littore nauicula, aut ventorum, aut fluctuum vi: ligna verò quæ sustollere tentabat demersa sunt, impetuque suo ac pondere eum secum traxêre; Iamque extrema patiebatur: os, oculique & fluctibus, & obscura nocte obstruebantur, vt neque quemquam compellare, aut cernere vllo pacto posset, neque ab alijs ipse posset cerni: tum ad patronam conuersus supplices tendit manus, vt præsto sit extremo vitæ momento. Haud irritæ preces, in eamdem

Digitized by Google

partem traijcit alia nauicula: auditur ſonus intermorientis: accedunt nauigeri, dexteram porrigunt, tumentem frigida, atque adeo ſeminecem ſuſtollunt, appendunt hominem pedibus, quò facilius hauſtas euomat aquas: incolumis tandem ad eum, qui è noſtris Sodalitati præerat acceſſit, remque totam eidem ipſe narrauit. Nouitij ſingulis diebus feſtis excurrunt ex præſcripto Magiſtri per vicos, vbi non ſolùm ipſi de ſe periculum faciunt in tradenda Doctrina Chriſtiana: verùm etiam rudis populi ſaluti maximè conſulunt.

DOMVI verò Genuenſi adiunctum templum, in honorem S. Ioan. Baptiſtæ dicatum, donatum eſt ab Abbate Fliſco, quod quia antiquitate magis, quàm populi frequentia celebratur (ſitum enim eſt ſicuti & domus extra Vrbis frequentiam in Monte Papiliano) id inſtaurare aggreditur vir nobilis, & in nos valde beneficus, vt ad laudem veruſtatis accedat frequentiæ laus celebrioris. Nouitiorum verò mores ex ijs, quæ commemorabo diiudicari poſſunt. Cùm ad emendicandum aliquando egrederentur Nouitij, Patritius quidam dedita opera ipſorum modeſtiam exploraturus, verbis eos perſtringit duriuſculis, tum aureos nummos duodecim iacit in manticam. Diebus feſtis de more mittuntur in proxima vel Xenodochia, vel templa, cum intra Vrbem, tùm extra, vt rudes doceant doctrinam Chriſti: quorum ſtudio atque induſtria effectum eſt, vt complures ad Sacramentorum vſum ſeſe conuerterint, aut certè ad ſaniorem viuendi modum redacti ſint. Referam vnum, aut alterum exemplum. Aegrotantium quiſpiam ab annis aliquot nũquam, vt ipſe aiebat, ad Deum preces fundere potuerat, à malo Dæmone, ſeu deceptus, ſeu occulta quadam vi oppreſſus, quotieſcunque ſe ad orandum comparare vellet. Cùm ad id morbi genus ſpiritualia quædam remedia ac documenta præbuiſſet Nouitius, paucorum dierum interuallo

Digitized by Google

teruallo ab eo liberatus sæpe instituit, mane præsertim & vesperi, piè Deum precari: ac de tam singulari beneficio gratias deinceps agere solebat fratri ex animo. In eodem valetudinario alius grauiter laborabat ex oculo, quam ob causam ad Christianæ fidei rudimenta discenda vocatus non accedebat, cum alijs de morbo suo magnopere conquerens: hunc Nouitius hortatus est, vt summa fide ac Dei benignitate concepta, signum crucis sæpe imprimeret oculo, & aqua benedicta ablueret. Id fideliter ille præstitit, ac tridui spacio, nullum aliud adhibens remedium, plane conualuit. Alij præbebat se noctu conspiciendum cacodæmon, vrgebatque miserum ne illum fidei articulum verum esse crederet, quo Christum ex Virgine natum confitemur; à fratre admonitus, vt benedictam iaceret aquam, crucemque effingeret, adeò graui tentatione atque molestia liberatus est.

MISSIO CREMONENSIS, ALEXANDRINA, ET NICENA.

PRAETER quotidianos labores, qui pares sunt laboribus Collegiorum atque Domorum, etsi impar est numerus Sociorum, Cremonæ instituta est schola Doctrinæ Christianæ ex pueris, puellisque nobilium virorum. In priuatum Sacellum conueniunt multi sexta quaque feria, qui & Christianam perfectionem, & internam Deum precandi rationem edocentur. Nostrorum oratione perfectum est, vt grauissimis propositis pœnis prohiberetur publico decreto, ne à præceptoribus explicarentur libri obscœni, neque diebus festis doceretur magno rerum sacrarum

Digitized by Google

detrimento, quemadmodum centum ante annis perpetuam consueuêre ludi magistri, Concilio Lateranensi repugnante. Beneuolentiæ indicia maxima præbuit in nos Cæsar Spetianus, Epiſcopus huius Vrbis. In ſummo templo præter Noſtros audiri ferè non libet alios concionatores: atque in admittenda in Vrbem Societate noſtra ita illius deſudat induſtria, ac ſi in vna Societate ſtatueret Ciuitatis ſuæ propugnaculum. Maximè verò beneuolus, idemque beneficus in nos fuit Chriſtophorus Fondulus, qui ſibi extremam animam agenti aſſiſtere neminem voluit præter noſtros interdiu noctuque, ac Societati noſtræ è vita decedens rerum ſuarum partem dono dedit piè æquè ac liberaliter, vt ad iacienda Collegij fundamenta ſymbolum ferret.

ALEXANDRIAE hoc anno perpetua non fuit Noſtrorum cuſtodia, cum Præpoſiti Generalis iuſſu reuocata ſit. Verùm quamdiu ſtatio habita eſt, tandiu ſtrenuè laboratum. Spiritualibus exercitijs B. P. N. Ignatij egregiè conſultum eſt non paucis, inter quos vnus excelluit militari præditus dignitate. Etenim hic propoſitis ſibi ad eligendam vitæ viam regulis ijs, quæ accuratè præſcribuntur in libello exercitiorum, impelli ſe ſentit ad militarem, quam quidem ingreſſus fuerat, profequendam. Et quidem tanto eſt exemplo cæteris militibus, vt à Deo videatur per exercitia noſtra quaſi ad intuendum propoſitum omnibus exemplar diſciplinæ militaris. Alius vir nobilis ijſdem mentis exercitationibus imbutus confeſſus eſt, ſe poſtquam prima illa horroris, terroriſque plena exercitia peregiſſet, tanta, tamque vehementi perfuſum eſſe voluptate, vt neque animo vnquam, neque corpore parem deguſtauerit, etiamſi deguſtauerit omnes: erat enim in optimo matrimonio collocatus. Diſſidentes familiæ concordia iunctæ ſunt. Ex multis vnum commemorabo, quod hominum expectationem ſupera-

re

Digitized by Google

re videtur. Cogitabatur de pace inter duas familias, inter quas non de re tantum, sed etiam de capite dissertatum erat. Rem tamen audebat aggredi nemo, propterea quod ita propagabantur in ciues ambæ familiæ, vt nullus esset, qui earum alteram aliqua consanguinitatis, vel affinitatis ratione non attingeret: Id autem aggreditur numine fretus Sacerdos noster, qui post diuturnam vtriusq; partis controuersiam, (quæ quidem tanta fuit, vt deploratam aliquando censeret causam) ex tempore singulos cernit ex vtraque parte Principes viros sponte ad se venire: ingredi Dei templum, ibique coram Sacerdote, populo diu optatam inter se pacem iungere, quæ vt firmior haberetur publicis tabulis testatam posteris relinquere. Tum vna voce fœminę puellęque ad id conuocatæ immortales gratias Deo cecinerunt Immortali, concrepantes in hæc verba: Te Deum laudamus, & quæ sequuntur.

IN Nicena missione strenuè admodum laboratum est à duobus Socijs, quorum prudentia & charitate, quæ pro animarum salute elucet maximè in assiduis vigilijs, concionibus, confessionibus, cohortationibus publicis, priuatisque in conciliandis animis, in docenda doctrina Christiana, in explicandis casibus conscientiæ, alijsque muneribus Societatis nostræ. Spes magna nobis parta est futuri Collegij Nicęni; etenim Ciues in summam Sociorum admirationem adducti, Societatem suspiciunt nostram, eamque in Vrbem admitti expetunt, atque exoptant; quin & religiosorum virorum familiæ vniuersæ quasi è somno excitatæ ad aspectum obortæ lucis, ita mirantur molem diuinorum operum, vt rei nouitate perciti ea iactent inter se: quî fieri possit vt par nouorum hominum stimulos inijciat tam multis religiosorum antiquorum phalangibus? Nostris verò id omninò statutum est, ac fixum animo, vt vnius integræ vitæ, virtutisque exemplo

Digitized by Google

iaciantur optati Collegij fundamenta: non autem vel hominum ambitu, vel ingenij callidi artificio. Res hîc singulares non prosequor, quia eædem sunt, quæ reliquorum Sociorum: quamquam si spectes quanta omnium approbatione, & quanta cum laude viri duo sustineant onus impar multorum viribus Sociorum, id profectò videbitur maximè singulare.

MISSIONES SVBALPINÆ.

VOS modò paucis recensebo labores, eorum Sociorum sunt, qui ex Collegio Taurinensi tanquam ex vmbra prodeunt in Solem ac puluerem, quorum ego laborum tanti facio fructum, vt etiamsi ex eo Collegio alius non existeret, optimè tamen collocatos eos existimarem. Prima igitur missio est eorum qui Salussios, vulgò Salutias, peragrant, pari studio atque superioribus annis: neque impar est laboris ac studij fructus, quia & auctus maximè ab aduentu Nuncij Apostolici, qui præsentia sua vehementius excitauit currentes, confirmati nutantes in fide Catholica nonnulli, labantes erecti, ad eandem conuersi plerique. Scholæ doctrinæ Christianæ instauratæ sunt atque auctę: Sodalitates Sacrosancto Christi corpori, eiusdemque matri deuotæ constitutæ: supplicationes agmine facto virorum ac fœminarum habitæ frequentissimæ: Clericorum conuersa facies: ad bonam frugem omnes redière; morum magna mutatio: Religiosorum disciplina ad pristinam formam redacta. Monialibus maximè consultum. Sacrosanctum Christi corpus, quod ad ægrotos decumbentes sine comite ferè à Sacerdote ferebatur, à frequenti

Digitized by Google

ti nobilium virorum manu, toties cohonestatur, quoties circumfertur. Festis diebus exceptis, qui rei sacræ interesset, vix reperiebatur: modò conuiunt singulis diebus in templum, nec prius abscedunt, quàm ritè res sacra peracta sit: qui inuenti sunt hæretici homines in oppidis Catholicorum, aut ad sanam doctrinam conuersi sunt, aut amandati, ne quemquam peruerterent suis dogmatibus. Demùm rei Christianæ orbis ita conuersus est Salutijs ab eo tempore, quo summi Pontificis Nuncius conatus nostros præsentiæ suæ robore fulsit, vt ex aula vitiorum Schola, virtutis erecta sit, atque honestatis.

ALTERA missio nostrorum est in Demontem, vicinósque pagos, quæ quanti momenti fuerit ex ijs conijce, quæ scribo. Eorum ardor, qui proximè ad fidem Catholicam redière, deferbuit ita, vt Missæ pauci admodum interessent. Rem deferunt nostri ad oppidi arcisque Gubernatorem, qui statim atque perfidiam cognouit, statuit perfidis certam, aureorum pœnam. Ad Nostros confugiunt egentes, atque adeo lugentes: inopiam exponunt, & precantur veniam. Hîc Nostri partim hortando, partim exprobando, eò deduxêre reos, vt pollicerentur in posterum sese obturos piè quasque Catholicorum virorum partes, modò condonaretur pœna. Adeunt nostri Gubernatorem: pro eis rogant ea conditione, vt si posthac frequentes sese cum vxoribus ac filijs Missæ interfuturos spondeant, eos statuta pœna liberare minimè grauetur. Hac enim in re maximè excolendi sunt pueri, qui quà primum imbuuntur disciplina, eam præseferunt in reliqua vita. Probat consilium Gubernator: conuocari iubet vicinos populos; conuenêre: adest Gubernator, atque ad eum modum verba fecit: Ducis mei mens est, vt quicunque sub ditione sua continentur, Catholicam Fidem, vitamque profiteantur. Quapropter aut Catholicè viuite, aut abite. Quamquam verò quia & sæpe alias, & modò a

Fide

fide defeciſtis, iuſtam vobis irrogaui pœnam, eamdemque iuſtè exigere ſtatui: Patrum tamen precibus indulgebo, ea lege, vt quam maxima deinceps frequentia ad rem ſacram conueniatis viri, vxores, pueri, puellæque. Aſſurrexêre omnes: probauêre legem tanta cum indulgentia latam, ſacramentoque ſe obſtrinxêre ſinguli. Stant modò promiſſis magna religione, vt diebus feſtis, vel imbrium maxima copia, vel niuium decidente, Miſſæ frequentiores multò interſint noui, quàm veterani Catholici: quin ſi quis eſt, qui mane rei familiaris neceſſitate coactus ſacro intereſſe non poſſit; à prandio veſpertinis precibus conatur pro viribus adeſſe. Ne verò fraus vlla vel dolus latere poſſit, ea cautio ſancita eſt, contra ignauos & ſubdolos, vt cuſtodes pro templi foribus ſedulò vigilent, qui ſingulos ingredientes diebus ſingulis notent nominatim. Quam cautionem maximi fuiſſe momenti probauit euentus. Inſtitutæ ſupplicationes frequentes: ritus Catholici, qui obſoleuerût diu, ad vſum priſtinum reuocati. Exempli cauſa, cùm eorum aliquis è vita deſcederet, noctu in luculentam foſſam demortui cadauer crate ſuperpoſitum efferebatur trahentibus bobus, in eamque pecudis inſtar deijciebatur, nullo funere, nullo munere pietatis. In præſentia verò ritè omnia procurant more Catholicorum. Magna propinquorum pars proſequitur funus, comitaturque Sacerdotem vſque ad templum facienti interſunt: in medio ſacro incenſa lumina offerunt, vt moſ eſt Curiæ, ſiue Parœciæ: noui denique ac veteres Catholici nullo diſcrimine vtrorumque funera mutua pietate atque doloris ſenſu perſequuntur. Audiuit Socius noſter aſſerentem quemdam videri ſibi, dum in Caluiniana eſſet hæreſi, vitam vixiſſe belluinam, in qua præter ea, quæ ad corporis voluptatem pertinent, agitabat, cogitabátque nihil: nunc verò vitam videri ſibi humanam agere, ac verè Chriſtianam, atque adeò vehementer dolere, ac veniam

niam à Deo demissè precari, quòd tamdiu in eo errore vixerit amens: neque modò satis sibi factum putat, ni & antemeridiano sacro interfit, & pomeridianis vacet precibus.

AVDIVIT alius concionantem Sacerdotem è Nostris, eoque oratione castigantem, qui cùm cibo corpus reficerent, nullas Deo gratias agerent pro accepto munere, tantumque dicendo valuit concionator apud hominem, vt nunquam vel accumbat mensæ, vel ab ea surgat sine gratiarum actione. Hic cum in prato aliquando post longam messem cum sociis refecturus consedere vellet, genu primum flexo beneficentissimum Deum adorauit supplex; egitque gratias pro accepto cibo: tum defessum metendo corpus modicè recreauit, summâ omnium eorum qui aderant admiratione, atque approbatione.

ADOLESCENTES octo Catholicam fidem professi sunt, quorum vnus sponte sua Nostros adijt, vt de fide Catholica instrueretur; instructus verò id probauit maximè quod à Nostris accepit, viros beatos, beatorumque pictas imagines esse quidem pie colendas, adorandas verò nequaquam eo adorationis cultu, qui vni Deo debetur. Alij præterea nostram Fidem amplexati sunt summo studio, quorum singulos recensere, necessarium esse non arbitror, etsi non iniucunda esset commemoratio.

TERTIA Nostrorum Subalpina missio habetur Vallisgraue: huic proximi sunt alij pagi, ex quo fit, vt Nostri versentur in perpetua quadam excursione. Nam vno eodemque die plures circumire pagos singuli Socij consueuêre, modò concionando, modò docendo Christi sanctam salutaremque doctrinam. Eo die, qui dies Diuo Matthiæ sacer est, ad sanam mentem rediit vir primarius, atque insignis harum valium. Hic à sacra Eucharistia atque confessione diuum abstinuerat, non mediocri reliquorum omnium offensione, ac vulgi præsertim; ta-

metsi minas intentasset Archiepiscopus, atque nostrorum plerique aliàs idem contendissent: Tandem concionantem cum audiret Sacerdotem, ita affectus est illius oratione, vt statuerit cœlestem adire mensam ritè expiatus: verùm statutum animo propositum diutiùs, quàm par erat, prorogabat. Quamobrem sic Deus maturat opus, acerbissimis doloribus perstringit illius corpus, affigit lectulo, & hominem exercet mirificè: hinc ansam arripit noster: accedit ad ægrotum, hortatur ad eluendas animi sordes: probat ille consilium, assentitur, omnia se præstiturum spondet, statim atque dolorum vis aliquantulum remitteatur. Re ipsa confirmauit dictum: etenim quàm primùm potuit, quàm celerrimè socium acciri iussit, cui magno doloris sensu peccata sua confessus est, præter omnium spem atque expectationem.

ALIAE Confessiones exceptæ complures multorum annorum, habitæ supplicationes: ritus, qui iamdudum obsoleuêre, ter diebus singulis salutandi Beatam Virginem concepta formula iterum promulgatus est atque confirmatus. Catholicus præceptor destinatus est pueris, qui publicè fidem professus id sibi assumat oneris, vt ad sacrum quotidiè ducat discipulos, doceatque Christianam Doctrinam, atque sacras cantiones. Promulgatum est per nostros Concilium Tridentinum, annuente Archiepiscopi Vicario, qui in eas partes ad coercendos rebelles diuertit. Sodalitas B. Virginis rosarij instituta. Denique ad certam Catholicæ sanctimoniæ formam redacti sunt vallium incolę, per quas affluente cœlitùs numine Socij nostri Apostolico ritu circumferuntur. Atque hæc pauca Societatis nostræ memoriæ commendata volui ex Prouincia Mediolanensi: plura quoque commemorassem, ni bella & lues mortalium quæ in Subalpinis iusto, etsi occulto Dei consilio ferè grassatur, Nostrorum pios conatus retardassent.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA LVSITANIÆ.

HABVIT hoc anno Socios Prouincia Lusitana duos supra sexcentos, domicilijs duodecim hoc pacto distributos: Olysippone in professa D. Rochi domo, septem & quinquaginta. In Collegio D. Antonij Archimandritæ totidem, vno ex illo numero excepto: in nouo tyrocinio (cui ab Assumpta in cœlum Virgine magna Matre nomen inditum) quinque & viginti. Conimbricę verò decem ducentique vixerunt. Centum Eboræ & quadraginta tres. Bracaræ duo & triginta. In Portu Vrbe, sedecim. Viginti Brigantiæ. In Insulis Materia, Tertia, & à D. Michaele appellata sex & triginta. Nouem in Angola. Vndeviginti obiere. Venerunt quandraginta in supplementum.

PROFESSA DOMVS OLYSIPPONENSIS.

PROFESSA D. Rochi Domus septem & quinquaginta complexa, Sacerdotes habuit sex & viginti. Ex Sacerdotibus vnus, ex fratribus tres à vita discesserunt: Sacerdoti Pantaleoni

Digitized by Google

leoni à Ponte nomen fuit: triginta annos in Societate vixit, animo semper ad obediendum paratissimo. Magistrum concionatorem, & in insula Materia, Rectorem egit; vitæ innocentia & morum integritate Prouinciæ non ignotus. Obijt cum à Tertia insula in Lusitaniam nauigasset, iam aliquot ante annis quatuor votorum professus. At fratres illi tres Coadiutores formati, ita sublati sunt, vt nemini immatura mors accidisse visa sit. AEtate, virtute, laboribusque confecti ad superos abierunt. In his recensetur primo loco Ludouicus Aluarus; annos triginta ardenti semper studio domestica exercuit. Hunc Franciscus Georgius consecutus est, ingenio probo ac prudenti; fuit annis quindecim ædituus: lex idem domi submisster: in cuius laudibus ea numerari potest; neminem domesticum, aut externum his muneribus obeundis verbo acerbiore aliquando lacessisse: tanta illi lenitas in agendo, tanta prudentia in loquendo. Tertius Franciscus Rodericus appellatus. Ad cæteras animi probitates studium singulare in colenda Virgine contulit, de illa agere, illam domi foriſque laudare ipsi familiare erat: & sane morituro hanc optimam voluntatem ipsa Virgo gratificata videri potest: Nam vicesimo antequam obiret die, ad exercitia se collegit: animum, totius vitæ lapsus confitendo, repurgauit: spe magna potiundæ æternæ fœlicitatis se erexit: triduo post ægrotus ita animam exhalauit, vt ea mors à Virgine impetrata videretur. Hæc de obitu.

COETERA iam narrabuntur quæ Nostri incolumes, diuino fulti præsidio effecerunt. Inuentus homo fuit, qui magnis cùm sceleribus se irretiuisset, in hæresim ex animi cæcitate præcipitauit. Et quamquam is esset, quem vita improba, & opiniones damnatæ à vero depulissent, conscientiæ tamen interdum magna vi agitabatur, & optabat aperiri sibi viam, qua in sanitatem rediret: quinquaginta annis obruto hisce malis, tandem euadendi spes affulsit:

affulsit: in Sacerdotem nostrum æger corpore incidit, cui confitendo cùm animæ vlcera aperuisset, & ille medendi peritus opem ferret, animo ad fidem, & pœnitentiam reuocato, bona spe euadendi cruciatus sempiternos, expirauit. Hoc si magnum diuinæ bonitatis argumentum; quod sequitur, videri non debet fortasse minus. Duo Nostri, vt mos est, dum vadunt peregrini, in templum oppidi cuiusdam deuenêre. Ibi Sacerdos alter concionandi peritus parabat concionem; at cum à quibusdam didicisset id negotij ab alio alterius ordinis curari, ne quà turbella oriretur, quanquam à multis retinebatur, à templo cum socio excessit. Pro foribus adcurrentem puerum ambo excipiunt, vix è lassitudine animam colligentem. Eius hæc erat cum magna trepidatione eiulatio, In proximo, inquit, homo laceratus sine confessione agit animam. Citauêre Nostri gradum, inueniunt hominem natione Belgam, qui experiundi causa, cum graue tormentum bellicum, sulfureo pulnere plus iusto oppleuisset, vi flammæ erumpentis ruptum dissilierat: quosdam nullo periculo afflauit incendio, sed magistrum grauissimè percussum propè lacerauit. Ibi & nostri hominem adhortati ad confitenda peccata; & Deus interpretem obtulit, quo Sacerdos audiuit confitentem illicò moriturum. Quid præterea fecerint, quo numero pœnitentes expiauerint, à quibus criminibus mortales plurimos auerterint, & alios deterruerint, quorum hominum atque mulierum vitas emendarint, non facilè commemorauerim; & si dicere conarer, arcanum confessionis mysterium vetuisset.

GRAVI peste sensim irrepente, cùm iam vrbis Magistratus viderent malum dissimulari vix posse, publicæ salutis studio commoti, cùm amplissimæ Ciuitati putarent consulêdum, Nostros adierunt. Significant apertè fine Societatis ope tantam Vrbem nullam esse, orant vt

Digitized by Google

ſpectatis ſemper officijs charitatis opitulentur: pecuniam offerunt non exiguam ad inopes leuandos, aliam poſtea non defuturam. Egère noſtri grates quòd erga ſe id eſſet ampliſſimi iudicium Senatus, pecuniam tamen aiunt non accipiendam. Communi verò cauſæ, etſi periculum manifeſtum adiretur, promptè ſuccurrendum: deſignandoſque cum oporteret, qui per Vrbis regiones irent, ægros inſpicerent, confeſſiones exciperent, reliqua quæ ex noſtri inſtituti ratione poſſunt debita ſedulitate præſtarent. Auxit opinionem virtutis illa pecuniæ contemptio, de reliqua ope afferenda non dubitarunt, & viderunt quo animo Societas hos ſuſcipiat labores. Certè in tanto malo, qui iudicio ſuperiorum lecti in id opus euolarunt, promptiſſimos ſe poſtea præbuerunt, & plures in ſubſidium ad idem periculum ſubeundum, ſi primos peſtilentia ſuſtuliſſet, ſe paratos oſtenderunt.

INTER hæc Mauri octo non debent præteriri, abiurato Mahomete cum ſecta ſpurciſſima, fidem receperunt. Sacro omnes luſtrati fonte ampliſſimo cum apparatu, nobis res leuis viſa non eſt, æſtimantibus in his eſſe nequitiam, morum improbitatem, & perfidiam pluſquam punicam. Fuit etiam ex eadem gente, qui cum vinculis attineretur, obteſtatus per quietem matronam ſpecie humana auguſtiorem vidiſſe, ſe adhortantem vt ſacra ſuſciperet Chriſtiana; & cùm, vt videbatur, bono animo aſſenſionem præbuiſſet, Chriſtianus factus animi & corporis eſt aſſecutus libertatem. Sed alter ex ipſa Mahometana fæce auſus capitalia, cum legibus eſſet perimendus, Chriſtianam religionem complexus, æquo ſupplicio eſt extinctus: & qui vixit Chriſto inimicus, eundem in morte raræ fælicitatis exemplo habuit ſeruatorem.

QVID de mulierum probro, ac periculis ſcribam? Puella nobilis ab adoleſcente ſuæ ſortis abducta, cum ambo pari flagitio tenerentur, agente vno de noſtris, Archie

Digitized by Google

chiepiscopo volente, clam iuncti matrimonio, in eo pellicatu versari desierunt. Pupillæ virgines duæ indotatæ, honestis ortæ parentibus, benè & securè collocatę, scopulos eius ętatis, & inopiæ vitauerunt. Alteram, quæ iam infamia cœperat laborare, alteram probri falsò insimulatam nostri vindicarunt. Et fuit quæ à parentibus domo expulsa dum præ dolore & desperatione cogitat de infantis parricidio, coërcita à nostris, à cædeque deterrita, puerum tradidit, & matri, filioque remedium est procuratum. Nec minor in altera continenda diligentia fuit. Abuti forma & ætate propter inopiam cum decreuisset, opera Nostrorum eò perducta est, vbi pudicitiam sine metu indigentiæ tueri posset. Optabant iam ante Nostri vt domicilium pararetur, quo puellæ teneriores morte parentum destitutæ reciperentur, nam eas impuræ aliæ mulieres venabantur, quas ad magnam lucri turpitudinem alebant. Res erat, quæ facilè non poterat obtineri: sed tandem, Deo benè iuuante, locum, domum, pecuniam, redditus, nostrorum inuenit industria, grauissimósque viros in quorum hoc domicilium tutela esset. Canonicus, Patritius, Senator hanc orbitatem tuendam susceperunt. Quo in triumuiratu hanc ætatem puellarem in tuto collocatam Patres D. Rochi arbitrantur.

AD triremes, carceresque profecti sæpe de more qua ope potuerunt plurimos sublenarunt, quos confecerant pœnæ, exilijque tempus. Quidam in ipsis triremibus catenis illigati retinebantur tamen magna iniuria inuiti: patre vno deprecante Trierarchum, septem eximuntur: à publica verò custodia impetratum à Prætore, vt quindecim emitterentur. At hoc genus hominum planè miserum, calamitosum, fame enectum, pædore vinculorum sordidum & informe non rarò Nostri cibo recreant, & alijs auxilijs consolantur. Hæc vtcunque carpo; nam si singula amplificando persequerer, audientem, legentemque

Digitized by Google

fatigarem. Magno sunt in numero, quos suarum rerum dubios, tranquillarunt: fluctuantes in portum inuexerunt; mœstos releuarunt, plurimis Christiana beneficétia consuluerunt: diuina, quæ nostris legibus sunt permissa, ministrarunt; animam agentibus adfuerunt: his addendæ pecuniæ restitutæ; ablata dominis reddita: dotes pupillarum: mulieres à flagitio reuocatæ: & plura alia quæ in Vrbe tam populosa ad agendum deesse nequiuerunt: præsertim cum ea sit infita animis opinio, Patres Societatis esse, qui nullam benemerendi occasionem prætermittunt. Ex qua persuasione exemplis quotidianis confirmata, nemo grauiori ferè malo agitatur qui ab D. Rochi domo opem non imploret. Neque verò ciues ingratos se esse patiuntur. Labores, vigilias, concursationes, operam Nostrorum non modò beneuolentia prosequuntur; sed rerum suarum liberalitate compensant, pecunia iuuant, alijsque subsidijs adeò promptè, & amicè, vt miraculo prope sit, hanc domum in tanta annonæ caritate, temporibusque difficillimis ali potuisse: Et præter stipem, quam fratres ex Vrbis regionibus distributis petendo colligunt, summa præbetur à ditioribus non exigua: ab hoc aureos quinquaginta, ab illo centum, ab altero plus ducentos, & mille quingentos ab alio liberaliter domus habuit.

QVID ad templi ornamenta, & donaria? In lychnum pensilem argenteum, magnitudine ponderosum, & opere elegantem pecunia est collata. Ex argento textili data sacra suppellex ea pulpitum, altaria quinque, & totidem patres sacra facturi vestiuntur. Additæ crates, & earum duo ordines perelegantes: hic humilior ad quem se conferunt Eucharistiam accepturi: assurgũt ex gradu pauimenti marmorati scapi tripedales plus palmo latiores ex iaspide cum basibus solidi, & epistylijs æquis siti interuallis, vt per spatia fulciant columellas ex ligno basilico

conco

Digitized by Google

concolore, torno elaboratas: ille alter arcet populum ab adytis, cuiusuis hominis statura procerior. Eadem ibi materia & artificium: columellæ illis alijs longiores affabrè tornatæ inter iaspidum fulcra collocatæ, insertæque ima basi, & inclusæ superiore lacunari ad diuturnam firmitatem. Existunt ad ornamentum vrceoli fine ansis, columellis tanquam capitella respondentes in rotunditatem ducti longiorem, aluo capaciores, & iterum à collo gracili orbiculati: quorum in summis oribus quadranguli ex aurichalco pellucent, pyramidum instar cuspidati. At latera totius templi à solo ad primas proiectorum lapidum eminentias, & sellæ pœnitentium receptrices, tessulis variè coloratis incrustatæ tantum dedêre splendoris, & ornamenti, vt in Vrbe Olysippone pietatis & elegantiæ æquè studiosa, vix ædes alia adeatur, quæ ipso cultu, & decenti pulchritudine cum nostra certare queat. Hoc templum non modò propter amplitudinem, sed veterem etiam amicitiam Hieronimus Teixeria delegit, in quo Pontificijs cœrimonijs Angrensis Episcopus crearetur. Conuiua eo die fuit, cæterique Antistites, qui ipsum inaugurarunt, virique alij lectissimi, qui omnes modestiam & cœnationis religiosum apparatum, & ministrandi ordinem laudauerunt: quanquam sumptu Antistitis initiati cœnam nouerant constitisse. Hæc fortasse læta tristior annus excepit, quo Lusitania mœret eneruata: Martius, Aprilis, Maius pluuiarum inopia sicciores agris calamitatem attulerunt: vnde fames atrocior regnum pertuagata fortunas Lusitanorum afflixit, & egenos miserabiliter confecit: è quo malo forte orta postea pestilentia, quæ primis neglecta principijs, ita ipsa hyeme incanduit, vt Olysipponem citissimè corripuerit, indeque in vrbes alias & oppida tanquam flamma quædam rapax peruolauerit. In remedium ficcitatis Nostris procurantibus habita est supplicatio: à D. Antonij Archimandritæ ad

Digitized by Google

D. Rochi itum est. Primæ literaturæ pueri qui legunt & scribunt in primo agmine locati, pluribus conspicui vexillis, sub quibus ad Christiana rudimenta explicanda per Vrbis regiones duci solent: hæc post principia cum facibus Sodalitates: Præceptores suis cum discipulis ordine sequebantur extremo: sequenti die effusus imber vrbem exhilarauit: & populus ab illa pompa credidit impetratum: & quid possent illæ publicæ supplicationes auidè differebat.

COLLEGIVM OLYSIPPONENSE.

IVI Antonij Collegium tres & viginti Sacerdotes, duodecim Præceptores, discipuli sex, quindecim adiutores, sex & quinquaginta omnes, interdum plures eo numero incoluerunt. Pater Carolus Spinola cùm viam in Indos tenere nequiuisset, per immensam Oceani vastitatem huc, illucque iactatus, cùm vi immanium procellarum & ventorum pœnè naufragus diutissimè oberrasset, tandem in portum sospes euasit. Hic in Collegio Antoniano votorum quatuor professionem emisit: in Societatem quatuor sunt cooptati: indoles & ingenium aptos nostro Ordini pollicentur. Octo confecit ægritudo: è quibus tres fuêre Sacerdotes. Primus spiritualis coadiutor Gaspar à Guarda nuncupatus, ætatis annum sextum & quadragesimum expleuerat: trigesimum in Societate decurrebat: assiduus in confessionibus audiendis, sæpe habebat conciones. Oppida plæraquè adiuerat, vbi sua, & Societatis secunda fama, multa egregia peregit: acclamabat dicenti sæpe populus: quòd vtilia, & necessaria feruido & accenso animo

incù

inculcaret: oppressus viscerum dolore repentino, quem mitigare remedia nulla potuerunt, exanimatus est. Omnia illi ritè præstita, & accepta, quæ morientibus nostris ministrantur. Hunc postea Franciscus Garces consecutus est, iam multùm antea imbecillus, at in ea virium imbecillitate Societatem iuuabat: obediebat promptissimè: Bracaræ Gymnasiarchus scholas est moderatus: interdum verba ad populum faciebat; moriens lætabundus, Deo gratias egit quòd in Societate vixisset, & in ea tandem animam exhalaret. Tertio loco extulit Collegium Patrem Bartholomeum Odoardum: integro curriculo Philosophiam docuerat, quæstiones de officijs diu explicarat, & cùm esset ingenio præstanti, atque doctrina, nullum in eo elationis vestigium: argumenta verò demissionis plurima apparebant; qua sane vna virtute quatuor votorum, & litterarum professione spectatior omnibus videbatur. Vixit in Societate annos quatuor & viginti, perpetua quadam animi æquabilitate. Hi Sacerdotes: fratres deinde mortui narrabuntur.

PETRVS à Costa recentissimè abierat Conimbricæ è tyrocinio, & Philosophiæ auditor inter cæteros condiscipulos magna laude curriculum absoluerat: illi vbi denuntiatum ad Indos nauigandum, quo gestu, quo vultu gaudium animi ostendit non facilè declarabo: ita quadam laudabili voluptate gestiebat: at Olyssipponem cùm veniisset, ipso nauigandi tempore appetente, repentina vi morbi paucis diebus æger sublatus est. Secundus Emmanuel Fernandus iam formatus coadiutor. Sexagesimus ætatis annus, trigesimus in Societate actus vitæ finis illi fuit. Otij semper inimicus, agendi cupidus in ipsa etiam senectute laborabat. Orandi auiditate tenebatur, adeo vt à labore corporis hæc illi requies videretur: ob hæc nostri, alijque nomen illi Sanctitatis indiderant. Tertius in hoc albo Gaspar, cui à Cuneo cognomen, etiam adiutor:

Digitized by Google

ianitor maximè placebat externis, atque domesticis, quòd lætus atque diligens fores aperiret, & amico vultu quemque complecti soleret, non temerè, non fortuitò: sed ex animi beneuolentis institutione: charitatem quam semper exercuit in extrema vitæ periodo apertè declarauit. Fouere remedijs, opitulariq́ue alteri dum studiosè curat, mortifero morbo laboranti: cum feciſſet omnia quibus æger à periculo euasit, ipse eius mali pestem in se contraxit: vnde pro salute socij mortem oppetiuit. Quartus Gonsalus à Serra formatus etiam adiutor, quatuor & triginta annos exegit Societati seruiendo. Nihil humile ad agendum in quo ipse fastidiret: nihil tam difficile quod animo prompto non superaret. Obibat domi omnia dexteritate tanta, vt ad singula natus passim laudaretur, versatili vir ingenio ad laborandum: constantia tamen grauis, laborum tolerantia semper inuictus, Collegij Antoniani molitionem vrgebat, ibi dum lapis ingens traheretur, & ipse operis hortator esset, pollés viribus, cùm onus sustineret, pondere superante vires operarum, vel alia negligentia lapis procidit, & Gonsalo manum obtriuit. Fœditate mali exhorrescere cęteri: ipse bono animo esse, & vultu composito perpeti dolorem. Iam ex eo malo vtcumque conualuerat cùm letali morbo correptus celerrimè, secundo nempe die, interijt: at tanta pietate vt suam vitam, moresq́ue interitu decorauerit. Tot funera Olysippone quis desinet mirari vbi externæ nationes cœli mirantur salubritatem? Quadraginta ęgrotarunt vnis in ædibus Antoniani Collegij, ea in Vrbe ad quam quærendæ gratia sanitatis ex alijs locis ægri mittebantur. Et ipsa Vrbs afflicta morbis, habebatur nosocomium, & funera passim vulgabantur, adeo vt sexaginta quotidie efferri dicerentur. Quid operæ, quid laboris esset in nostris cum nocte, dieq́ue ad ægros vocarentur? Et necesse erat multa dictu aspera euenire propter egestatem, quibus

nisi

nisi liberaliter opē multi viri optimi contuliſſent, quid in paratiſſima materia rapida illius flammæ vis egiſſet? pecunia opus erat, ſi non ad iſtud incendium omnino reſtinguendum, ſaltem retardandum. Impulſu ſuaſuque noſtrorum plurimi ſacri, & profani Iuris non dediſſe modò videri poſſunt, ſed largiendo copiosè profudiſſe. Nec iſta ſolum occaſio excitauit liberales: auaros etiam extimulauit: nam qui æs alienum retinebat, vndique corraſum, debebátque aureorum millia duo, ex ſua pecunia collegit, Patribuſque dedit, vt neceſſitates egentium leuarent.

Sorores quædam mutuis inimicitijs efferatæ ita exarſerant, vt pacari non poſſe viderentur, & admonitæ ab alijs ſic æſtu iracundiæ feruebant, vt inſanire putarentur. Res ad aliquem noſtrum delata eſt: ille animos ita ſedauit, vt ad omnia officia naturæ, atque iuris fœminas illas reuocauerit. In hoc genere alia quàm ſimillima fileantur. Sed quid de illis qui cum Deo ſceleratè pugnabant? Ille ferendo pœnitendi tempus benignus concedebat, illi audiendo diuina abuſi patientia, plura indignè perpetrabant. At ex his ſeptuaginta vitæ totius crimina ritè confitendo defleuerunt.

DE ſcholis pauca: diſcipulos mille octingentos habuêre, quo numero & frequentia florebant; ineunte tamen hyeme cùm peſtis graſſaretur, abiêre omnes, quò animus compulit, & facultas. Gymnaſia ſua ſolitudine mœſta tacuerunt, quæ paulo antè iucunda voluptate geſtiebant. Pontificius etenim Collector Decius Garaffa vir ampliſſimus in Collegium venit, audiuit Magiſtros humaniſſimè, illi quæ ſui erant muneris, excipiendo & docendo ab hoſpitibus laudati præſtiterunt. Et antea cum ęrumnoſo, & infelici ſolo imbres optarentur, negaret verò cœlum ſiccitate contumax, ad preces recurrendum cùm neceſſarium videretur, Supplicatio eſt decreta, in qua omnia videre licuit, quæ animos ad pietatem moue-

Digitized by Google

rent. Centum & viginti suo sanguine è verberibus cruentati fecêre pompam spectabilem. Sodalitium Parthenium accreuit: sacellum frequentia Sodalium splendet; & illi egregiè pietatem colunt; octauo quoque die cœlesti mensa recreantur, vitam optimis officijs adornant: dant operam ne temeritate nève sponte, aut negligentia peccent: obediunt Præfecto diligenter: appetitus, qui ea in ætate solent fugere imperium rationis, retinere discunt, & quibusdam habenis coercere ieiunio, cilicio, flagellis. Nec propterea in re litteraria oscitantur: sed vt moribus alijs sint exemplo, ità diligentia se suaque studia commendant. Creuit præterea Collegium officinis, & templum ornamentis.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

VI Conimbricę Nostri sunt, decem supra ducentos recensentur. Viget inter eos animorum exercitatio, quam à prima origine acceptam, nostri mores, nostri instituti rationes, & superiorum curæ languescere non patiuntur. Accenditur porrò hoc studium, & quodammodò renouatur, cùm cessatur ab scholis; quibus ferijs nec animi, nec corpora feriantur. Illi meditando expergiscuntur, hæc laborando non quiescunt. Accedunt publicæ in cœnatione castigationes; cæteraq; id genus eo tempore frequentius repetita. Sed accepit religio, & pietas incrementa post æstatem, & autumnum, cum appetente hyeme allatum, Olysipponę pestilentiæ contagione laborare. Ad cæteras clades, & miserias hæc deesse videbatur, vt vastitas Lusitaniæ, non ita pridem opibus, nobilitate, & rerum gestarum

rum gloria florentis sequeretur. Propitiando numini quid hoc Collegium accomodatum præteriisset? Domi, indicente Patre Prouinciali, intra parietes per illas pergulas ducta est supplicatio. Fundebant lachrymas nostri plerique adolescentes; præibant cum cereis Diuorum immortalium reliquias: eas ad sacellum amplum pientissimè deportarunt. Ibi collocatas loco ipso ornatissimo, quotidiè dato signo salutabant. Opem orando suppliciter, tot tantisque malis omnes precabantur. Tribus in hebdomada diebus abstinentia de more fuit, & totidem verberatio.

AVGEBATVR antea Collegium ædificijs, ædes famulis, & hospitibus minoris notæ extructæ fuerant. Et prima templi ampliſſimi aperta fundamenta. Primum lapidem notis aureis insignitum Conimbricæ Antistes Dominus Alphonsus à Castello Branco, in ipsis fundamẽtis sacro ornatus paludamento suis manibus collocauit: collocantem preces quæ dici solent comitabantur, & vocum tibiarumque lætissimus concentus. Et ne fortè nostri desiderent quibus lapis ille literis sit inscriptus; sententiam accipiant:

Anno Domini M. D. XC VIII. Clemente VIII. P. M. Philippo II. Hisp. R. Claudio Aquauiua P. G. Soc. Iesu V. D. Alphonsus de Castel Branco Episc. Col. XLII. posuit.

BENEVOLENTIA Antistitis testata multis beneficijs, & dies Collegio gratissimus exigebat, vt domi ipse pranderet, alijque suo merito Societati deuincti. Opportuna fuit noua cœnatio sua amplitudine horum hospitum capacissima: epulæ his viris non tam fuêre admirationi, etsi gratæ, quàm habitæ decem linguis

Digitized by Google

guis conciones. Hanc celebritatem carmina, & ænigmata ingeniosè excogitata auxerunt: quæ non solum opinionem litterarum confirmarunt, sed etiam amorem in Antistitem, & cæteros conuiuas declararunt. Iam bona spe futuri tandem aliquando templi, quo hactenus caruit maximum Collegium, sacer conquiritur & augetur apparatus. Etsi iam altaria, & Sacerdotes ornatissimè vestiuntur. Sacrarium reliquiarum non erat è dignitate Collegij; idcirco etsi multa desiderari fateamur, quædam pro viribus interim comparamus, quæ maximo sunt ornamento. In hanc rem effigies octo diuorum, quorum ossa apud nos habemus angustiori forma medio corpore terminatas, excellentis arte opificis, & pictoris factas habet iam Sacrarium; facietque plures, ipsis diuis bene iuuantibus. Gratum fuisset opinor omnibus Prouincijs, ad quas quodam quasi symbolo amoris & concordiæ literæ annuæ perferuntur, si Collegij mores, si virtutes, si domestica exempla me in scribendo detinerent; eiusdem namque ordinis patres, fratresque commemorando oblectarem. Sed ab his auocat status Prouinciæ luctuosus, annus Lusitaniæ funestus, tempora malis plurimis acerba, mari terraque acceptæ clades. Fuit hoc Collegium Conimbricæ, alijsque locis commune perfugium; quanquam malum facilè opem, diligentiam, & liberalitatem nostram, & potentiorum superabat.

AT charitas se vinci passa non est; Freta Deo magis, quàm humanis auxilijs prodibat; & ea quæ euenerunt segetem amplam commendandi nostri Instituti hominibus attulerunt. Redibat forte domum Sacerdos accliui itinere fatigatus: abierat ad ægri hominis confessionem excipiēdam: ad Academiæ porticum gementis pueri vocem lamentabilem audiuit; iacebat in aperto, ferè nudus; species illi quàm citissimè morituri. Pater accedit,

Digitized by Google

dit, propiùs assidet, compellat, consolatur: rogat an confirmando animum piare velit? id optare se respondit. Qua re peracta, sordidum, algentem, inedia, morboq; confectum non relinquit. Ingeniosa charitate è proximo calidam petit, vestem quærit: posito ipse pallio lauat, induit, cibo recreat, in hospitium deferre parat. Populus mirari, laudare, quædam etiam polliceri: exciuit fremitus ipse multitudinis Rectorem Academiæ in proximo agentem, è fenestra superiore despexit quid ageretur: eius operis pulcherrimi partem aliquam suam esse voluit, tecto inopem recepit & cibis aluit, professus hisce exemplis se Christianæ pietatis exercendæ didicisse rationem. At citissimè illud factum in vnum adolescentem miserum, desiit videri singulare; cùm in totam pœnè ciuitatem, & confluentes aliunde inopes illam succurrendi voluntatem ipsa extorqueret necessitas. Complebant ægri vias, porticus, vestibula cœnobiorum; & nostram ad ianuam turba lugentium excubabat. Et quoniam ea res non modò pecunia, cibo que egebat; sed etiam prouido maturoque consilio, ne ea colluuio noceret vniuersis; cum Antistitite, & Academiæ Rectore, viris primarijs, & Cœnobiarchis actum, vt nominatim certum in locum mitterentur, ibique liberalitate Christiana escas acciperent, vrbemque gratia cibi petendi peruagari desinerent. Venêre in æquissimam omnes sententiam, & quadraginta ex albo, Collegio contributi, quibus quicquid in victum opus erat, suppeditatum fuit. Hos inter puer est allatus facie tam deformata, vt vix spes vitæ illi esset. Eum fratris vnius ita charitas tutata est, vt paucis post diebus, suis reuixisse videretur. Opitulandum fuit præterea viris fœminisque priuatim, non ex ima plebe, & danda medicamenta, afferendaque cibaria vinctis. Ad custodiam publicam sedecim iuere Nostri luce conspicui meridiana, Gymnasiarchus nempe, ac Magistri, aliiq; discipuli

Digitized by Google

scipuli; inter eos ipse Collegij P. Rector; omnes sarcinulis onusti. Confluxit multitudo: ac ne sola esset cum fame decertatio P. Rector publicè concionem habuit; victos, quod ipsis expediret, edocuit, & suam partem contulit spectatoribus. Refectis animis, atque corporibus custodiæ eum diem hilares egerunt, præsertim quòd aliqui seminudi vestibus sunt induti. Vrbs tota factum prædicabat. Propter tenuissimã annonæ rationem è Nostris tredecim in varia Prouinciæ loca profecti, magna vtilitate populum diuina docuerunt. Vnus cui nulla sedes certa destinata, septẽdecim ferè oppida perlustrauit. Cóciones in numero non ponã: quadringentę totius vitæ confessiones auditæ. Vnica concione centum, & quinquaginta fuisse referuntur, qui cum inter se odijs decertarent, omnes magno motu animorum in concordiam redierunt. Vnus ingenio ferox, & contumax in inimicitia retinenda, ne cuidam offensioni veniam daret, se è templo indignabundus abripuit: at leniente Deo, animi deposuit ferocitatem, & ad concionatorem cùm vltrò reuertisset, se in potestate eius futurum lachrymans affirmauit. Fuit ea res suis popularibus lætitiæ & exemplo. Duo etiam extitêre genere opibusque pollentes, qui alijs nocuerant; at se paratos ad satisfaciendum ostendêre.

AEDES ædificatæ duæ, altera magnæ Virgini dicata: altera illi præclarè Societati, cui in regno Misericordia nomen dedit. Et cùm Nostri materiam in locum ædificij molirẽtur, cæteri omnes exemplo excitati, humeris saxa conuectarunt. Inter hæc sine culpa tacebuntur, quæ fecit tyrocinium. Viget vigebitque disciplina, educatio illa syncera, demissio animorum, appetitionum habenę, & illa morti proxima propriæ voluntatis abnegatio. Peregrinati aliqui, de Deo, de officijs Christianis, de odiorum noxa alijsque rebus ex occasione loquebantur, & penè puerilia grandioribus perfecerunt. Annosam inuenêre matronam

matronam,quæ ætati pares inimicitias quasdam videbatur in tumulum delatura, oppugnare illam quercum veterem cœperunt, sed iratior in penè pueros est stomachata: quid illi pertinaciter vrgendo, tundendo, orcum, mortem, Iudicij diem minando, sex horas circiter adeo fatigarunt,vt victa in illorum iuerit sententiam,testatâ se puerili innocentiæ dare vltrò,quod nec suis,nec alijs annis concessuram se putauit. Admissi hoc anno ad tyrocinium triginta, vndecim Conimbrica:cæteros alia dedêre loca.

QVO in statu gymnasia esse dicam? habitę orationes duæ. Altera anniuersaria,iam multis ante retrò annis collegio attributa: illi argumentum est Sanctissima Elisabetha, nupta olim Regi Dionysio, quæ sanctitate vitæ patriam Aragoniam puella, Lusitaniam Regina, cætera Hispaniæ regna mater,& socrus impleuit,nec adhuc oratores ex tanta copia virtutum sibi materiam deesse ad laudandum conqueruntur. Altera de optimis disciplinis Kalêdis Octobribus aperit Academiam,eam loco habere iam Nostri olim desierunt:nunc vt aliquid audiât accuratiùs,oratorem à nobis Academici mutuantur. Præceptorum eruditio in docendo, & virtus in iuuentute moderanda, non modò redundat in discipulos, sed in omnium religiosorum familias manat quàm latissimè; cùm multi certatim quærant hunc,vel illum ordinem complecti; & in vnum inclinati quinquaginta admitti nuperrimè flagitarunt. Millè ducentos Scholæ habuêre, non tanta multitudine, quanta alijs retrò annis: sed mirum quod temporum acerbitates tot nobis reliquerint.

QVADRAGESIMAE ieiunijs,bis singulis hebdomadis,inchoante nocte, potestas facta est ijs,qui vellent flagellis se punire, templi ingrediendi. Aderant Nostri pro foribus, quorum erat nota externis virtus,& auctoritas: venientibus locum dabant & flagella porrigebant.

Digitized by Google

bant. Cùm ea multitudo recepta esset, quæ satis esse videbatur, rara lumina primum ostendebant quem quisque locum posset occupare, & ante Christi imaginem sanguine cruentatam se paululum flexis genibus componebant. Deinde remotis luminibus aliquis è nostris intelligibiliter Psalmum Miserere mei Deus, recitabat: illi ad eam vocem agere, quæ solent pœnitentes, conscientia factorum adhortante, cùm manus ad vlciscendam improbitatem, ipsa pietas & odium noxarum flagellis armat. Audiebantur inter verbera eiulantium suspiria, & comploratus. Interea qui secundam itionem expectabant, capitibus ne agnoscerentur obuolutis, stantes magno silentio, legentem aliquid audiebant ex eo libro, cui duorum passio nomen est. Et primis recedentibus ingressi eadem inibant, quæ fecerant primi. Neque vna, aut altera vice hæc spontanea castigatio terminata, sexto ordine sæpius repetita est, tanta erat ad hoc opus multitudo. Et quanquam dabant operam ne cognoscerentur, ex ipso tamen incessu, & modestia indice grauitatis & honoris, constabat lectissimum quemque venire. Et agniti à quibusdam grauissimi doctores, & alij nobilitatis prærogatiua clari. Exploratum etiam videri debet alia studia non iacuisse: crebrò homines confiteri solitos, restituta aliena, controuersias sedatas, & pleraque remedia conquisita, quibus malè anteacta auctores rescindere voluerunt, agereque denuò sine cuiusquam fraudatione, quæ essent ex Christiano iure, & pietate.

ERAT hoc ipso tempore Ignatius Martinus Conimbricæ, vir ad promouendum, excitandumque religionis studium cum quouis antiquæ memoriæ conferendus. Is auctor publicæ illius castigationis extitit hoc illi vltimum penè operum, quæ in vita perpetrauit: quid egisset insidiator ille nequam, qui qua fraude, qua astucia potest, pœnitentiam nititur abolere? conquieuit? machinatur

imo

imo aliquid, quod postea cognitum aspergeret infamiæ nota hæc studia pietatis. Nec defuturos sperabat continuò viros graues, qui pendunt ista prudentiæ humanæ momentis, & censent huiusmodi conuentus non habendos, præsertim nocturnos, in quibus ea committuntur ab audacibus, ob quæ necesse sit illa etsi optima præterire. Hac spe rei tam bonæ prohibendæ, mentem tribus ingessit, quos ingenium, temeritas, adolescentia proiecta ad audendum ferociores effecerat. Isti ad eludendum parati cum cæteris ingrediuntur, vt cum cœpisset flagellatio, ipsi propinquos adorirentur: ingressi hac præclara rei gerendæ voluntate, vbi cruenti Christi Seruatoris imaginem conspexêre, correpti metu obstupuerunt. Procidunt in genua, obmutescunt, & tempore cogitationis sceleratæ exequendæ tacti religione in se sua arma verterũt, ac non minus quàm alij se multando meditatam improbitatem repressêrunt. Et ipsi cum postea cogitatam nequitiam patefecissent, fassi sunt adeo perhorruisse, vt capitibus suis imminere templi ruinam existimarent; ita rem tam salutarem numen ipsum Christi Seruatoris, ab obtrectatione omni liberauit. Possent aliqua etiam commemorari, quæ inter pueros contigerunt doctos Christiana rudimenta. Incidit puer ingenuus abiens à gymnasio in satellitem vociferantem & securi sua terribilem: is dum rixatur temerè peierando diuos vsurpat, memor puer disciplinæ genua flectit, & contuens armatum, Cur tu, inquit, ita iurabis? Iratus est Nominis I E S V meminisse te, & linguam à peierando coercebis. Contuitus puerum primò ferox, mox sedente ira nummum expromit, & suo gratias agit monitori. Ille pietatem, inquit, non vendo pecunia, nec tu emeris: arripe consilium non iurandi, & probè satisfeceris. Vtrumque laude dignum quis negauerit? puer certabat cum satellite armato, & armatus fasces, & securim ante benè monentis pueri pedes deponebat.

Digitized by Google

VENIO iam ad funera, quæ in anno tam calamitoso nec Conimbricæ defuerunt. Tyronem Melchiorem Amaralium, sub finem tyrocinij, lenta febris extinxit, non sine graui sensu Collegij totius. Erant illi omnia in aditu adolescentiæ, quæ fructus promittebant; sed immatura mors in eo demetendo alijs videri potuit acerba, cum florem quem videbant poma pollicentem inuidiosè sustulisset. Post hunc Emmanuel Andræas Theologus candidi ingenij cùm sanguinem sæpius reiecisset ore, tandem pulmonis vlcerati vitio occubuit. Decennium in Societate egerat, & vitã laude terminauit. Tertius Antonius Antunius, qui rem Collegij fide integerrima procurabat, lenitate animi nemini secundus, gratus externis, nostris charissimus: quinquennium noster fuit. Quartus Antonius Fernandus, quindecim annorum puer Societatem ingressus, octauum in ea non peregit, ægrotauit ex humore noxio quo pedes intumuerant, & Medicorum iudicio cùm thermarum balneis restitui posse crederetur sanitati, ad eas missus, ibi paucorum dierum curriculo occubuit. Se præbuit dum vixit obedientem, taciturnitatis silentiique amicum, in ægris inuisendis, & iuuandis diligentem. Colebat præcipuo studio è diuis cælitibus Antonium Olysipponensem; insequebatur seipsum, appetitiones coërcendo ieiunijs voluntarijs, & alacritate qua reprehensus, & multatus Superiores audiebat.

POSTREMO obiisse dixisse nollem lumen Prouinciæ vniuersæ patrem Ignatium Martinium, quem immortalitate frui credunt omnes in consortio Beatorum, & preclarè factis consecutum ne Lusitania possit aliquando ipsius obliuisci. Succumbam oneri, si quæ viuus edidit maximarum exempla virtutum spatiis harum litterarum includere contenderim: & multò magis opprimar, si pergam scribendo dicere, quæ in morbo, quę in morte, quæ in funere contigerunt. Annos egit in Societate quinqua-

ginta

Digitized by Google

ginta, professus quatuor votorum, optabat perferendo experiri, quicquid ea ampla professio contineret. Et sane quid ipsum præterierit non videmus, cùm affirmare soleret malle se omnia dura perpeti, quàm tantillum à legibus, moribusque Societatis deflectere. Quem erga nostrum ordinem amorem quis dicendo explicabit? quis describet charitatem? è suggesto Kalendis Januarijs huius, quo mortuus est anni, in celebri concione, & grauissimo confessu auditorum, septuagenarius iam senex se dixit optare, vt quod reliquum vitæ esset, genibus solo fixis ageret, manibusque sublatis gratias Deo optimo parenti persolueret; quòd sibi à puero in eum diem in Societate Filij sui vixisse, concessisset. Testes citari possunt Vrbes atque oppida, Conimbrica, Ebora, Olysippo, ipsa tota Lusitania, quæ si rogentur, affirmabunt hunc Patrem sibi fuisse maximè salutarem. Quid conciones enarrem, non modò eius temporis, quo in aula florebat, cùm Rex Sebastianus imperaret, cum Regina Catharina, Maria filia Emmanuelis, Hericus regis patruus Cardinalis, & ornatissimus regni florentissimi conuentus audiebat? & eo tempore is esset, quem cum grauitate cuiusdam alacritatis temperamento condita, omnes ordines concionantem mirabantur. Quem tono vocis sonoræ, & acriore vi dicendi aula ipsa tonantem, fulgurantemque timebat. Quem concisa breuitate, ac rerum sententiarumque pondere cæteri crediderunt, qui hoc studio concionandi tenebantur, dignum quem pro viribus æmularentur. At huius temporis fructum, etsi maximum, non in laude pono, quod ipse grauiter dicere soleret, eos annos sibi perijsse, quibus elegantiùs & curiosiùs apud Reges, amplissimosque Principes perorauit. Eius admirari tempestatis Ignatium quiuis potest, eundemque imitari, cùm altiore animi proposito, res humanas cœpit habere despicatui, Deumque vnum contueri, & proximum docere ea, quæ

Digitized by Google

ad peccata exterminanda valitura sunt. Qui volet Ignatium inuenire, hic quærat. Quod hoc dicēdi genere pleno pietatis, presso, & castigato, sine fuco, & lænocinijs perfecit, implesset paginas quamplurimas, si singulos euentus complecti his litteris oporteret: non defuturum tamen arbitror, qui scribat. Cygnea illa voce, supremum modulatus, apud Academiam, cum de corporis odio acriter disseruisset, hortatus est adolescentes, omnesque vt cædendo, & vrgendo illum inimicum animi vlciscerentur. Persuasit amplissimæ studiosorum coronæ, vnde mox nocturni illi cœtus, qui sui verberandi causa habiti superiùs recensentur. Sed pueritiæ magistrum, tutorem, atque doctorem quando Vrbes Lusitaniæ obiuiscentur? quando lixæ, calones, æthyopes, seruitia desinent suum commemorare Patrem; quo docente non solùm vitæ Christianæ rudimenta, sed moribus viuere Christianis didicerunt? Quo genere dicendi infinitum esset recensere quas populo Lusitano vtilitates comparauit. Ibat ab Domo ille vir in Academia Eborensi coram Sebastiano rege, & patruo Henrico Doctor Theologus creatus, ibat ille, inquam, vir, doctor puerorum. Cogebat in foro, in præsidijs, in triremibus multitudinem: ibi suo sceptro, id est, arundine venerandus incipiebat maximè canorus docere. Et principio cogitabat dedecori fuisse Christo seruatori inter acerbissimas contumelias, sibi ad vincendam quoque eruhescentiam arundinem illam esse argumento. Sed vertit ipse Deus in laudem & honorem, cum ipsi, Societatique plus illa canna, quàm regijs in suggestis conciones peperissent: & plane æstimanti euenta rerum secundissima, rectè ille quicunque fuit videbitur dixisse piscatorem eum elusisse cæteros, qui retibus piscarentur, quando plus arundine piscando, quàm cæteri verrendo maria retibus concionum profecisent.

IVVABAT etiam numen ipsum Ignatium in hac Orche

Orchestra quibusdam quasi miraculis. Initio cum hæc docendi ratio non esset tam illustris, aliquando in foro interrogauit ecquis esset, qui velit nota oratione Virginem salutare? Conticuisse omnes ex inepta verecundia certum. Hic infantulus semestris pendens è materno sinu infantili gestu, sed non sono, Aue, inquit, Maria gratia plena. Quid fecisset multitudo excitata, re, quæ audita, vix fidem esset habitura; Mariam gratia plenam vociferari cœpit. Item in triremi cum puer parum cautè versaretur periculoso casu decidit in sentinam: clamare milites, & mortuum profiteri, at sine vulnere, alióve malo extractum fuisse constat. Pendebat in delubro quodam lychnus, capitibus plurimorum imminebat, rupto funiculo impetu suo ferebatur, solum non attigit, quo pacto non aiunt nisi diuinitùs. Ibat aliquando illa pompa puerorum: venit in vicum quem tenebat eques: is ne retrò verteret calcaribus vrgebat, at sonitu puerorum canentium terrefactus equus, impatiens sessoris, & fræni se effudit: puerum septennem quadrupes intra pedes collegit; glomeratumq; attriuisse videbatur. Vidit ipse Ignatius; Diuum Antonium Olysipponensem implorauit; emersit è periculo saluus, quem mortuum putabant omnes: in fronte tantú parua notula apparuit, miraculi testis ad posteritatem.

SED incidit tandem in morbum Ignatius Conimbricæ, ex quo erat moriturus, suam secum detulit arundinem, & suæ militiæ signum militare. Cumque sentiret se è vita discessurum, obnixè precatus est, vt cum corpore cannam illam sepelirent. Et patres parendum censuerunt: cum dextra tenentem arundinem extulêre: quam commendatam esse nostris adeo viuus optabat, propter doctrinæ docendę, quam semper sanctam appellabat, vtilitatem; vt nihil magis in votis habere videretur, & hoc primum illi gaudio fuit, quòd videret eam ab optimo quoque expetitam. Illud alterum secundo loco morien-

Digitized by Google

rem delectauit, in quo ipse laborarat, arceri scilicet à finibus Lusitaniæ homines externos, qui fabulis impurissimis iuuentutem & alios allectabant, eáque oculis agendo exhibebant, quæ mores improbissimos Lusitanis attulerunt. Ergo cum in lecto resciuisset his pantomimis edicto regio, locum in Lusitania non esse, gratias egit Deo, quòd se vere compotem fecisset rem arduam consequutum. Mirabantur omnes, si sciant quibus opibus hi comœdi sint defensi, quibusq; patronis; etiam frigidè obsistentibus, qui expellere illam pestem magno conatu debuerant.

AVGVSTISSIMVM Eucharistiæ mysterium quo habitu corporis atque animi coluerit, enarrabo? Supplex cæli occupatissimus cum domi erat sæpius inuisebat, & sacrario inclusum adorabat. Et Olyssippone omnium Scholarum pueros docuit, vt quoties per suam regionem ex signo agnoscerent ad ægrotos deferri, comitarentur ipsi, anteirentque canendo litanias. At suprema in ægritudine qua abijt in cælum, vehementius flagitauit, vt quotidie communicare liceret, & quamdiu fieri potuit optanti satisfactum. Quæ illius colloquia, quæ voces, quæ animi sensa atque suspiria? inter quæ ipso Christo teste dicebat sæpius se, rationes omnes conscientiæ, tanquam in parata mensa cognoscendas Superioribus semper exhibuisse. Id sibi solatio & spei ad immortalitatem consequendam, præsertim cùm nunquam meminisset egisse se ambiendo, vt ad suam voluntatem flecteret iudicium Superiorum. Iam detecti morbi sæuitia se aperuerat, quæ nulla principio videbatur, & graui somno iacentem consopierat. Quid viderit, quid senserit eo in veterno, ignotum. Sed cum corpus repente vertisset, quod antea ob debilitatem non faciebat, in lectoque resideret expergefactus, & minaci vultu, atque grauiori contuitu oculorum, tanquam vellet aliquem ferire pugno, brachium

contor

Digitized by Google

contorsisset, & lustrali aqua locum cubiculi aspergi mandasset (certamen aliquod diuinauimus, fugam hostis, decertantisque victoriam) conquieuit paululum, & sequenti die tranquillissimus expirauit. Vir omnium iudicio inter Societatis heroas sanctissimos recensendus. Obtemperauit maioribus summa fide, nunquam de præsidio, & statione decessit, in qua obedientia ipsum collocauit. Inueterata illi durities ad inediam, & vapulationem. Corpus notatum assuetudine cilicij, & flagellorum occalluisse. Quotidie clam se nudabat, & cædebat. Diebus singulis atque noctibus obseruatum horas quinque ad meditandum habuisse Conimbricæ flexis genibus, immobili corporis firmitate. Pridie igitur Kalendas Martias, hora à meridie prima, sui contemptor Ignatius Martinius in piorum sedes euolauit. Qui fuit in Nostris animorum sensus, ostendit amor & opinio: cùm mox ad vngues manuum, ac pedum scindendos irruerint, & capillum barbæ, capitisque tondendum. Fleuit vnicè mortuum Ciuitas, & Academia, & rarò ab antiqua memoria alius recensèri potest, cuius in funere tot lachrymæ ex oculis deciderint: tot fuerint publicæ significationes doloris, tot de mortuo ampla testimonia. A cubiculo delatus in sacellum, ibique in feretro collocatus, habitu sacrificantis ditiore, vultu grauior, & venustior quàm fuisset viuus eo die quo obiit & sequenti, concursu Ciuitatis, Academiæque inuisitur. Nullus ordo, nulla ætas se continuit; importunis precibus in Collegium irrupit. Veniebant viri lectissimi, ipse Academiæ Rector, & Doctores ante feretrum procidentes, manus pedesque cum eiulatu osculabantur. Pernoctarunt Nostri corpori assidedo. At ad efferendum, & prosequendum funus multo ante templum & vestibulum impleuit hominum multitudo, atque mulierum. Sacellum domi erat refertum religiosorum familijs: ibi ante quàm humeris tolleretur, ipsi ordines varij succedendo funebria

Digitized by Google

cecinerunt. Quà putabant Noſtri efferri poſſe, viderunt turba iter impeditiſſimum: alia via deportarunt: & vectabant onus Noſtri cum patribus Gratianis, Dominicaniſque ab eo officio abeſſe noluerunt. Ibat Ignatius dormienti quàm ſimillimus, nequaquam facie mortuum referente, ſuo ſceptro, id eſt, arundine inſignis, habebat amoris erga ſe grauiſſimi comitatus lachrymas inter funerales voces. At in templo cùm pium ſedit onus, & vix comploratio ſedaretur, iuſta ſoluere de more cœperunt Noſtri, cęteræque familiæ. Interea non conquieſcebat populus, erigere ſe in pedes primi, poſteriores vrgere, crates ſaltu ſuperare; id agebant, vt tangere exanimum liceret. Dabant omnia Noſtris quæ habebant, vt tactu ſanctiora redderentur, roſaria, ſudariola, libellos. Et cum mandandi humo tępus eſſet, impetu connitentium ex quadam pietate ruptæ crates, occupata pars penitior, & quoquo modo poterant, omnia rapere ſcindereque ferro, quibus pro reliquiis vterentur. Itaque cùm Noſtri eo tumultu non poſſent parentare, viderentque vim augeri, contendere cœperunt viribus: & ſublatum humeris in Collegium intulerunt, atque eo tempore affirmarunt non eſſe funerandum. Cæterùm ne ſi in ſequentem diem ſuſtuliſſet, eadem eſſet populi irruentis concurſatio, nocte ſepelierunt.

COMMOVIT Olyſipponem nuntiata mors, & viri Principes ac Dynaſtæ cùm reſciuiſſent Ignatium in humanis non eſſe, quoniam ſibi perſuaſerant è vita atque moribus, ipſum cum Deo & cœlitibus beatum agere æuum, ſe quidem eius conſpectu priuatos deplorarunt, & per litteras ſuum ſenſum P. Prouinciali ſignificarunt, precantes obnixè vt dono daret aliquid ex exuuiis, quas ſibi ad morbos depellendos, & alia exiſtimabant profuturas. In his fuêre duces longè clariſſimi, Brigantinus & Auerinus. Nos etſi deſiderio tanti Patris merito tenemur, lætamur tamen ſuo honore virtutem reſplenduiſſe, quam

teſti

testibus amplissimis ita habemus decoratam, vt obliuio nulla possit aliquando huius viri auferre iucundam recordationem. Testis est in primis Alexander Brigantini Ducis frater, regis Emmanuelis pronepos, filius Ioannis Ducis & Catharinæ, qui funeri interfuit, & publica auctoritate confectas tabellas dedit, quibus testatus est sibi, matri, fratribus, aulæ Brigantinæ vniuersæ semper Ignatium visum esse sanctissimum. Testis clarissimus Antistes Alphonsus, qui virum multis annis nouit, funeríque interfuit, qui sponte retulit in litteras ad fidem faciendam suo nomine consignatas, quibus præclarè sensit de Ignatij sanctitate. Testis Academiæ rector Alphonsus Furtado de Mendoza, qui amicissimè in obitu collacrhymauit, & sæpe manus & pedes mortui osculatus, dedit operam, vt suo publico testimonio constaret, quid ipse, quid Academia de hoc viro iudicaret. Testes Academiæ grauissimi quique Patres & Doctores: quorum omnium nominibus inscriptæ tabellæ iudicia de hoc viro complectuntur. Testis denique Hieronimus Teixerius eorum censor, qui violatæ fidei nomine puniuntur, idemque Angrensis Episcopus designatus, qui testimonium dixit, & nomine suo munitum inter cæteras tabellas in Collegio reliquit. Fruatur ergo Ignatius operum suorum præmio apud diuos, inde suam tuebitur Lusitaniam, & nos tanto pignore obligati, eum tanquam Ducem sequi enitemur, ne videamur indigni eius corporis possessores, quod animi fortissimi imperio nihil perpeti pro Deo, & Societatis bono recusauit.

Digitized by Google

EBORENSE COLLEGIVM.

VALVIT hoc anno Collegium Eborense, idque inter cætera beneficia à superis accepta referendum. Vnus Sebastianus Barretus lenta febri extinctus est. Sextum agebat in Societate annum, ætatis primum & vigesimum, studio precandi laudabilis, & modestiæ ornamento prædicandus. Id Archiepiscopus Theotonius animaduertit: nam cum prandere apud nos, & oculos per cœnationem circumferret, ministro patellam porrexit, atque hanc, inquit, defer ad illum fratrem modestissimum. Cupiebat ad Indos proficisci atque Iaponem: & eo solo sibi affirmabat acerbam videri mortem, quòd eò nauigare nequiret: & voluerat antea cùm valebat, pro viribus adiuuari, vt ad eos populos obedientia mandante mitteretur. Ardebat Dei videndi incredibili quodam desiderio, eamque rem iam morituros crebris sermonibus vsurpabat. Fluxit illi Aprilis dies quartus & vigesimus vitæ vltimus. Ad eum remeandum carmen de cœlesti felicitate fratres quidam cecinêre: tibi animus ergastulo corporis solutus emigrauit. Postridie Non. Septembris P. Nicolaus Gracida sexagenarius peruenit ad metam quatuor & quadraginta in Societate egit annos. Docuit primùm Olyssippone artem oratoriam: deinde philosophiam Conimbricæ vniuersam, magna Academiæ approbatione. Ad concionandum postea destinatus, optimus in eo genere est habitus, erat illi in dicendo lepos, & perspicuitas: quas ob res aulæ Lusitanæ gratus, & cæteris hominum ordinibus. Hæ occupationes duos & triginta annos abstulerunt: septem & vigin

Digitized by Google

& viginti extremos, etsi à concionando non vacaret, tanquam esset in solitudinem mandatus, vixit ita, vt neminem inuiseret, & à nemine externo visebatur. Nihil litterarum dedit, nihil accepit. Delectabat illum paupertas, cùm nihil haberet in cubiculo quod alicuius pretij esse videretur: ægros sepè inuisebat, & alloquio blandus recreabat, notatumque nunquam verbum protulisse quo alium nec leuiter quidem offenderet. Hic est ille qui propter ætatem nondum socius, Sociolus appellabatur; tanta in ea pueritia suauitate, facilitateque dicendi, vt eius audiendi gratia quamplurimi etiam externi allicerentur. Pro his duobus septem & viginti Societatem ingressi numerum amplificarunt, qui tios esse Academiæ Eborensis videbantur. Omnes præterea ferè exercitiorum commentationibus in cubicula abditi animos refecerunt, ad eamque exercitationem aliqui externi accesserunt.

NIHIL de cæteris quæ ad religionis, pietatis, & vitæ excolendæ rationem pertinent, remissum: ardebat Collegium auiditate quadam in Indiam profisciscendi magna copia competitorum pro se quisque Patrem Prouincialem exorabant. Qui declarati sunt gaudio efferri, cæteri mœrere, & tristi vultu significare repulsam sibi molestissimam, ea maximè de causa, quòd nihil tam obstitisse dicerent, quàm rectæ vitæ factis rem tantam non meruisse. Neque verò pauca ea fuêre, quæ in proximi vtilitatem redundarunt. Collegium ipsum sua ope & impensa miseros homines sublenauit; fecêre etiam Nostri ne meditatæ cædes patrarentur. Impetrarunt veniam homini, quem facta vitæ perditæ ad supplicium præcipitabant. Accidit non sine admiratione vt quidam æger cùm deploratæ esset valetudinis, & ad confitenda peccata à suis moneretur, diceret neminem alium velle se nisi ex nostro ordine Sacerdotem: Venit, confitetur æger; absolutus, corporis sanitatem cum animi salute statim remit-

tente

Digitized by Google

tente vi morbi consecutus est. Et in repentinis casibus valuit etiam authoritas Nostrorum, ne scelera committerentur. Stricto ferro quidam in alium irruebat, haud dubiè necem illaturus: oportunum se obtulit vnus è Nostris, continuit irruentem, & agendo ac monendo ferrum extorsit: neque hoc solùm, sed ambos amicos effecit. Tres milites cum de Societate audissent, & ipsi benè loquerentur, militiam profanam pro sacra reliquerunt.

QVADRAGESIMAE & Aduentus tempore in oppida, agrosque finitimos decem abiêre, multa confecêre, quæ in hominum salutem redundarunt. Ipsi præsentia Nostrorum fatebantur tenebris depulsis ceptam lucem oculis suis oboriri. Mores, pietatem, religionem excitarunt: vitia cõtraria sustulerunt. Eo in oppido, cui ab amœnitate cognomen, sede scilicet Ducis Brigantini etsi iam veteri Nostrorum consuetudine, & Principis longè optimi virtute nihil discordiarum sit; tamen concionibus Nostrorum frequentissimè cultum splendescit virtutum ornamento: neque mirum, cùm ad Societatis doctrinam accedat illius aulæ religio nullis laudibus pro merito efferenda. At alijs in oppidis erant quæ eradicare oporteret, præsertim in vetere Tudertania, Algarbium modò appellata, in quam Nostri penetrarunt: triginta populares qui inimicitia ab alijs discesserant pacificati: quatuor celebrioris notæ Sacerdotes concordia nexi. Et barbarus ex Africana colluuie ad fidem ductus, atque Christianis legibus institutus iniuria missus in carcerem, inde demissus. Plebs Christianis rudimentis publicè informata. Pauperes subsidijs leuati: at propter insolentiam mirari visi sunt Tuderani Nostros euntes in custodiam ea deportantes, è quibus erant escas deprompturi, ollas, amphoras, cocleariaque. Lætus è fenestra spectabat Nobilissimus Antistes Fernandus Martinius Mascarena, & operam quoque suam promittebat. Fecisset haud dubiè: nam is est quem propensio

Digitized by Google

penſio in pauperes, & optima voluntas ad hæc officia propulſſent: at Noſtri opem præſtitam ſatis eſſe dixerunt, operam ſibi non de[illegible]e. Primis menſium Kalendis ſortitionem more noſtro docuerunt, qua nomina Diuorum ex ſorte vocati deprompſêre. Aderat Antiſtes ipſe, & tota clientela, ciuitatiſque nobilitas: præibant litaniæ concentu egregio decantatæ; & tibiæ ſuis internallis cecinerunt, quæ omnia cum hilaritate ſtudium pietatis attulerunt.

AT qui iuêre Beneuentum, ſic occuparunt animos authoritate, vt qui ad colloquendum, & ſalutandum veniebant, capita coram operire non auderent: neque verò hoc officio mediocres, & infimi honorabant, ſed qui opibus & genere potentiores habebantur. Cum tamen alacres, & expeditos ſe præberent ad afferenda ſigna, quæ geſtari ſolent, cum pompa doctrinæ Chriſtianæ ducitur: & reſpondere minimè puderet patri percontanti aliquid, quod ad fidei inſtitutionem pertineret. Hic inſtituta Sodalitas, quæ precando & alia curando, auxilio ſit animis, qui poſt mortem purgante igne cruciantur. Præterea inſtituta memoria Chriſti patientis, deſcripta via per illa millia paſſuum, quæ Chriſtus à Pilati domo crucem geſtans humeris, ad locum Caluariæ [illegible]onfecit. Et vt obeant hoc iter multi tanta frequentia conueniunt, vt hominum ſex millia confluxiſſe ſæpius dicantur. Hîc mulierem ex animi cogitantis dolore vehementius affectam, planctuque laſſatam, aiunt paulò poſt interijſſe: hominemque qui opem, atque operam in ea re perficienda contulerat, miraculo ſeruatum. Nam cum domi nocte cubaret, expergefactus ſentit neſcio quem extra cubiculum obambulantem: terrefactus interrogat quis eſſet? reſpondit quiſquis ille fuit; euola, & domum relinque quàm primùm ruituram. Excitata familia cum diffugiſſet, ruina ſecuta eſt; & oppreſſiſſet haud dubiè, ſi cunctando, dicto non

paruiſ

Digitized by Google

paruisset: Vulgata res est per Beneuentum, & oculis conspecta domus, quæ corruerat: credidêre Angelum populares, qui hominem mônuisset propterea quòd illi operi perficiendo studuisset.

VENIO iam ad Scholas Eborenses: cum fructu non pœnitendo magistri docuerunt. Celeberrimum habet Academia diem illum quo aduentus Spiritus Sancti celebratur, cuius Numini nominique Templum, Academia, Collegium est consecratum. Et primis deinde ferijs ornant amplissimum impluuium, vt spectaculo sit in secundis multiplici & vario ornamento. Splendent illæ pergulæ, fornices, columnæ vestitæ peristromatis, auleis, imaginibus. Adduntur ingenij argumenta, epigrammata Græca, ac Latina, ænigmata, emblemata: euenerunt omnia è sententia, & diem totum literarium dialogus terminauit. Domi eo ipso loco vbi voluerat Rex Henricus, fons è marmore candido atque pellucido ante Nosocomij domestici fores in impluuio exædificatus, ex quo per tubos aqua ducta defluere. Egebat etiam templum æde qua apparatus vestium sacrarum, & suppellex altarium seruaretur. Nam quæ erat in hos vsus non angusta modò, sed incommoda habebatur. AEdificatur altera spatijs capacior, ornatur picturis, in quibus Societatis parens Ignatius est expressus, eaque quæ ex eius vita sanctissima pingi potuerunt parietes tectorio candido poliuntur, & tessulis affabrè incrustantur, ea elegantia quæ Collegio amplissimo, & Academiæ celebritati respondet.

COL

COLLEGIVM BRACARENSE, BRIGANTINum, & Portuense.



TRIBVS in Collegijs Bracarensi, Portuensi, Brigantino, octo & sexaginta fuêre Nostri. Bracaræ nil accidit, quod propter nouitatem literis mandare oporteat. Antiquos mores & studia retinet diligenter. Ibi consilio Nostrorum inuentus qui cêtum aureos in dotem pupillæ numerauit. Tranquilliores Bracaræ res esse solent, quòd in potestate amplissimi Antistitis sita, & tota sacræ ditionis sit. Sed Brigantiam tumultuari mirari desinent, qui eam sciuerint asylum eorum esse, qui vim legum pertimescunt. Quidam audacter os nobilis adolescentis ferro deformarat: expectauit tempus veniæ petêdæ oportunum feria quinta hebdomadæ sanctioris, adijt ipso in Collegio eum quem ex facto sciebat inimicum, cùm occasio locum daret sibi non defuturum, vlturumque iniuriam: in genua prouolutus veniam dari ob memoriam Christi patientis postulauit: obtinuit, quanquam illum alium dolor fædi vulneris, ne ignosceret retardabat. Opera Nostrorum & importunæ delationes finem habuêre, paxque reddita ijs omnibus, qui magis etiam odijs, quàm iure decertabant. Audacior alterius faciem manu verberauit (habetur ea iniuria grauis, & cæde opinantur tantummodò expiari) is qui fecerat, vleiscente Deo, sequenti die ægritudine laborauit, ex qua videbatur moriturus. Accersit Sacerdotem, confitetur, orat vt ipse pacis obtinêndæ sit sequester: adeat violatum, quoquomodo velit veniam paciscatur. Si pœna placeat, accedat, & se iacentem mille colaphis pertun

pertundat. Si pecunia, ipse sit æstimator. Permouerunt ista, & ad morientem delata sunt à Sacerdote responsa, quæ tam supplex deprecatio potuit sperare. Quidam præterea cum propinquo malè vellet, eum tollere veneno decreuit. Bis facinus tentauit, bis fraude deprehensa irritum fuit veneficium. Tertiò cum propinare parasset, ipse author per imprudentiam hausit: cœpit æstuare; recurrit ad opem diuinam, confitetur vitæ crimina, & se ex veneno emori cùm putaret, diuinitùs magis, quàm humano medicamento periculum euasit. Nocturni grassatores arcam in qua pecunia pupillorum erat inclusa, effregerant: quod argenti, quod auri habuit expilarant. Quibusdam vestigijs ad Nostros eius improbi peculatus autores sunt delati: ita rem egerunt, vt ablatam pecuniam recuperauerint. Expugnauerant item alij nocte domum mercatoris, inde abstulerant volumina panni duo. Qui fecerant furtum, indicium metuentes & pœnam, nocturnis tenebris in septum nostrum coniecêre, inde domino restituta. Hæc verò etsi improba, benè tamen moratam Brigantiam ostendunt.

COLLEGII consuetudine & doctrina adiutâ multum de pristinâ deposuit ferocitate. Et nunc illa perpetrata dicuntur quæ fames & acerba annonæ æstimatio videtur excusare, cùm alia non dicantur extitisse latrocinia. Quis enim non miretur ibi nec centum assibus ignobilis frumenti modium potuisse inueniri, vbi quaternis sestercijs vœnire nó soleret? Propterea necesse fuit Collegium hoc tempore, è suo horreo contulisse, opulentiorelque orasse, vt quantum possent, darent operam ne morbi, ne pestis, ne aliæ calamitates ex ea annonæ caritate orirentur, qua latè eam partem Lusitaniæ populata deuastabat. Nec defuêre qui succurrerent: inter quos vir locuples, & copiosus sexcentos modios cocti frumenti toto eo tempore dedit liberaliter, & pecuniam non exi-

guam

guam viritim distribuendam. Nos custodiæ habebamus rationem : quos potuimus,à vinculis eximimus; alios cibis aluimus. Oppressos ære alieno, creditoribus ad misericordiam perductis,excoluimus. In hoc communi malo atrociùs vexabantur,qui genere clariores,domi fame vrgebantur. His clam non minimo labore, & impendio consuluimus. Et cum Nostri non cessarent, inuenta tamen matrona est, ad quam cum nescio quid deferrent, testata fuit eo quatriduo neminem suum, panem comedisse. Hæc charitas in proximum Deo remunerante copiam nobis auxit. Nam tantum frumenti agri attulêre, qui Collegio sunt vectigales,& fructuosi, vt accomodata dederit millia modium quatuor aratoribus. Et ea fuit spes arandi, terræque colendæ : nam exhaustis frugibus facere sementem nullo modo potuissent,

AT Collegium Portuense etsi tenue quo potuit modo ab egestate multos defendit, qui ingenuè ope Nostrorum se seruatos confitentur. Valuit enim authoritas qua moniti Magistratus, alijque viri procurarunt ne copiosa ciuitas, neve finitima oppida fame grassante opprimerentur. Viginti ferè Collegium ex sua tenuitate sustétauit:& obtinuit vt vir quidam facultatibus & nobilitate potentior miseris auxilio esset, in quam rem quadringentos aureos donauit. Cætera munera Societatis accuratè obierunt concionando, consulendo, confitentes audiendo, ægros adeundo, vinctis opem ferendo, & eosdem liberando, perfecerunt,vt in hisce malis putarent sine patribus non potuisse quemquam cum tanta inopia & morborum lue viuum colluctari.

Digitized by Google

COLLEGIVM ANGRENSE.

ANGRA oppidum est iure, & nomine Ciuitatis in Insula Tertia situm. In ea Collegium, & Nostri septemdecim habitarunt, Sacerdotes sex, fratres vndecim, è quibus duo latina docent. Theologiæ quæstiones quæ sunt de moribus vno docente Sacerdote, quatuor addiscunt. Reliqui sunt adiutores. Tentati omnes morbo tamen leui referuntur. AEgritudo & fames mala huius anni in eam insulam à Lusitania peruaserunt: & Nostri quantum viribus animi & corporis potuerunt, aduersus omnia se armarunt. Neque obstitit cum externis occupatio quominus singuli se colligerent, res diuinas secundum exercitiorum formulam commentati. Inde in insulam aliam transfretarunt, quinquaginta millia ribus distantem: ad quam perlustrandam trium mensium spatium habuêre. Accolæ inculti inopia eorum qui diuina tractant, multum ad agendum materiæ præbuerunt. Adducti ad confitenda peccata ferè omnes: pars maxima totius vitæ crimina repetiuit. Si qua malè possessa sunt inuenta, ea reddita legitimè fuerunt: & paci, amicitiæque datum, quidquid discordiæ, lites, odia, videbantur abstulisse: connubijs etiam consultum, nam quædam deprehensa, quæ matrimonij iura violarunt, atque ea ex parte consuetudines peccandi amputatę. Mores verò spectantes ad pietatem ostensi, quibus semper sterit, stabitque vita Christiana. Est exposita insula Tertia, si non periculo terrestri, quòd natura sit munitissima, & propugnaculis excitatis, atque arce vim externam contemnat, præsertim valido præsidio defensa: tamen

Digitized by Google

men maritimos prædones reformidat, qui classibus impunè euagantur. Et hoc anno centum viginti nauium classis in conspectum se dedit. Volitabat toto mari impudenter, & arte piratica eludebat ipsam etiam vim ventorum. Cum citissimè ab aperto ventis littore in pacatum se proriperet. Sperabat classem peruiam sibi fore, eamque spe ipsa deuorabat, quæ auro & argento onusta ex America veniebat in Hispaniam. Et sanè non effugisset Anglos, nisi mirabiliter in portum inuecta, anchoras iecisset eo loco in quem non poterat hostis penetrare. Arx enim instructa bellicis tormentis procella horribili pilarum auertebat inimicum, qui etsi audacissimè prædandi auri gratia congredi volebat, tamen repulsus & spe deiectus statuit re infecta abire.

A B alijs insulis & Angola allatum nihil credibile, capta nauigia à prædonibus, quibus literæ deportabantur. Nam rarò contigit per hosce annos esse nauem aliquam, quæ sine periculo cursum tenere potuerit, cùm quotidie dicantur capta expugnataque nauigia, & miserè multati qui in Lusitaniam ab Insulis Brasilia, Angola, Viridique promontorio nauigabant. Hæc tui liberi, Pater admodum colende, è Lusitania tua mittunt. Tristia fortasse plæraque videbuntur: sed lætis animis excipienda, quòd inter morbos, famem, & Prouinciæ lassitudinem perpetrata sint, quæ sine labore & constantia perfici non potuerunt.

Digitized by Google

PROVINCIA FRANCIÆ.

DVOBVS domicilijs socij à postremo illo cæterorum in varias prouincias dispersu, reliqui centum circiter & viginti. Virduni quidem etsi non idem perpetuus constitit numerus, is tamen si pauculos nouitios adijcias, tricenos ferè expleuit; Sacerdotes quindecim, in his docendi munus obeunt 3. & item duo Nostri Sacerdotes. Rei familiaris adiutores 6: tyrones 7. Mussiponti autem 90. numerantur. Hos inter, Sacerdotes 40. è quibus Præceptores 9. humaniorum verò literarum cæteri Magistri 4. Scholastici 18. opere domesticæ coadiutores 28. Vita functus vnus.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

SCHOLARVM dignitatem auditorum frequentia, vt tempora fuêre, commendauit. Cæterùm in longinquis infestissimi belli molestijs solatio non mediocri fuit, iampridem peropta

peroptatæ omnibus, inter potentissimos Reges pacis conciliatio; qua viæ Nostris hominibus ad dominicæ vineæ cultionem iamdiu intercluſæ patuerunt: sic ardentioribus longa intermissione animis vſitatæ excursiones in pagos & agrum circumiacentem factæ, pueriſque ac rudibus tradita fidei rudimenta; tanto cum incolarum lætitiæ ſenſu, & erga Nostros obſeruantia, vt antea nunquam illis hominibus viſos, quaſique diuinitùs ad eos miſſos crederet. Catechiſtes noſter pagos interdum duodecim tredecimve è puerili virilique ætate collectis ordinibus, longo examine modulatè ſupplicantes, ductu Curionum præeunte cruce traduxit, eoviſque ſunt Chriſtianæ inſtitutionis, diuinique ſermonis appetentes. Vir nobili familia in oppido quod duodena millia paſſuum Virduno abeſt, morbi grauitate ita conflictabatur, vt dubium exitum reformidaret. Potiorem tamen morborum animæ curationem eſſe ratus, noſtrûm quempiam ad ſe, eodemque negotio ad ſuos ciues mitti rogat. Cumque ob infeſtum etiam latrocinijs iter, impetrare potuiſſet neminem, nullis viæ periculis aut difficultatibus ſe deterreri paſſus eſt, quominus ad nos deportandum ſe curaret. Mira auditu res! Pœnitentiæ Sacramentum ſubita ſanitas eſt conſequuta. Porrò qui apud nos totius vitæ ſordes confeſſionis beneficio abſterſerunt, fuêre amplius centum: qui ſacroſancta Euchariſtia vires animę aut confirmarunt, aut refecerunt ad quindecim millia peruenêre. Nam cõcionum ardor, & ſolito inſtructior dicendi vis, ædem noſtrã frequentiore omnium ordinum concurſu celebrauit. Nauarunt Noſtri noſocomio, vinctis, animam agentibus, vſitatam operam. Hæreticis duobus Catholicæ fidei veritas affulſit. Nobiles totidem viri affinitatis iuncti vinculo à grauibus inimicitijs ad pacis & beneuolentiæ recõciliationem noſtris arbitris reducti ſunt. Non abſimilis opera in par coniugum capitali inter ſe odio

Digitized by Google

dissidentium, vt mutua pestis alteri ab altero metueretur, secundo exitu deriuata. Mulier diuturnis iam propè exanimata parturiendi doloribus, cùm rerum humanarum nihil quicquam medicinam periclitanti faceret, ecce cuiusdam è nostris animum subijt cœlestis amuleti, adiumentique cogitatio: Thecam reliquiariam ceruicibus exemptam adhiberi curat, qua mulier accepta, de repente præter hominum expectationem fœtum ingenti cunctorum gaudio atque applausu incolumis edidit.

SCHOLAE lætum nouo apparatu anni principium habuêre. Siquidem Illustrissimus Princeps Henricus se primum à sexennali apud nostros Mussipontanos disciplinarum tractatione, institutioneque, atque à Romanæ peregrinationis reditu ad Episcopij sui sedem deinceps incolendam Virdunum receperat, exceptusque communi ciuilium ordinum gratulatione & magnificentia fuerat. Nostræ itaque propriæ quoque partes erant, & pro tanti viri loco ac dignitate, & pro perpetua illius in Societatem intimaque beneuolentia, solemnem eiusdem ad Collegium nostrum aditum quàm honorificentissimo rei litterariæ ornatu atque apparatu concelebrare. Quapropter omnis ingenij vis ad eam celebritatem ab Auditoribus, omnis cura vigilantiaque ab Scholarum moderatoribus adhibita est. Nec verò vana eius in nos amoris abundantia, aut externa specie contenta; prolixa insuper apud nos suæ liberalitatis documenta extare voluit. Aedes Collegio vicinas, vsuique nostro peraccomodas mille nummis aureis coemptas nobis attribuit. Sacrum ędis instrumentum si nonnullam quoque aliorum beneficentiam adiunxeris, coronatis plus minus ducentis locupletauit. Adhæc nihilo minus de Societatis commodis, deque Sociorum fouendo, vel agendo numero, quàm de suis proprijs rebus negotijsque cogitare eum solitum esse perspeximus. Quocirca est profecto quòd diuinæ prouidentiæ in tanto

Prouin

Prouinciæ naufragio ingentes habeamus,& agamus gratias,quæ grauissimum Societatis casum, quam & Socijs, & Sociorum subsidiaria propagatione adeo accisam cernimus,hac aliqua leuatione molliorem facit, pariterque inopiam huiusce domus, piorum virorum benignitate recreat. Quemadmodum nuper Abbatis cuiusdam Galli,qui Collegio tantum tritici annui sponte assignauit, quantum senis fere socijs alendis satis esse queat.

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

SACERDOS vnus diem clausit extremum P. Claudius Ceuogeonius, Aruernus Billomensis,annos quatuor & triginta natus. Ex his in Societate sedecim vixit. Auditores externi nongentos excessere. At florentem gymnasij statum pestifera lues in aliquot adolescentium contubernia varijs oppidi regionibus,sub medium Iulium, vno tempore de repentè inuadens,ita disturbauit, vt pauculis diebus manifesto periculo trepidi omnes penè Scholastici aliò atque aliò diffugerint, nonnullos in ipso itinere equis excussos vis morbi oppresserit. E nostris magistri & auditores,& quos ætatis aut naturæ causa, vel officium vrgebat, à vicinæ nostris ædibus contagionis afflatu statim salubriora in loca dimissi. Celeritatem fugæ maturauit repentinus eius quem modò dixi Patris morbus, non leuia luis indicia ostendens. Quanquam is seiunctas in ædes,adiuncto ad subsidium alio Patre, deductus, tandem longioris ægrotationis genere post tertium ferè mensem ablumptus est, & vsitato funere Nostris iam domum

Digitized by Google

quasi omnibus reuersis elatus. Communis hæc calamitas solitam studiorum instaurationem non distulit modò, sed celebritatem etiam publici dramatis præmiorumque distributionis planè sustulit.

DEIPARAE Sodalitium duos ad religiosam Cappuccinorum familiam emisit. Societatis institutum aliquot etiam expetunt. Solennis expiationis, velut Iobilæi, promulgatio animorum religionem ad indulgentiam peccatorum procurandam, magna frequentia in templum nostrum exciuit. Totius ætatis exceptæ ita multæ hoc anno confessiones, vt multorum annorum laborem numerumque superent. Diuinorum propterea mysteriorum perceptio, & sacrarum concionum auditio apud nos his paucis annis adeò frequens esse cœpit, cuiusmodi nunquam hic conspecta fuerat. Prudenter verò ante ipsum periculi à lue discrimen prouisum erat, ne quid forte in æde sacra contagij à ciuibus in nostros homines, dum sacrosancta Synaxis communi mensa obitur, afflaretur; vt clathris proprijs alij ab alijs discretim abessent. Quod autem solum templi externorum mensæ ad æqualitatem domesticæ statuendæ gratia comportatis ruderibus paulò altiùs eleuari oportuerit, euenit vt aræ duæ minores attollendæ quoque fuerint: quibus denuo sacrandis euocatus Antistes, eadem opera conuocatos à Nostris toto oppido ciues, & Scholasticos, quos Confirmationis expertes iam longinquum eius beneficij interuallum ætasque prouexerat, sacro Christianæ militiæ charactere, pœnitentia ante expiatos, consignauit. Ad sacræ vestis instrumentum Sacerdotis sacrificantis amictus accessit, aureæ tęle contextu, & opere phrygio magnificè elaboratus, aureis 50. æstimatur. Ea liberalitas fuit Abbatis Benedictini cœnobij paucis milliaribus hinc dissiti, qui vir & antiqua nobilitate & singulari prudentia præditus, anno superiore spiritualibus exercitijs apud nos excultus,

adea

Digitized by Google

ad eadem hoc anno iterum se perpoliendum retulit. Vnde illa prorsus noua vniuersis monasterij facies, ac veteris disciplinæ restitutio profecta est, quæ non sine hominum prudentium admiratione cernitur. Ad hæc rursum domesticam in tanto Nostrorum numero indigentiam diuina prouidétia amplius ducentis coronatis eleemosinę nomine per homines varios donatis, nónulla ex parte subleuauit. Quæ pecunia peropportuna alédis ruri Nostris, & sanè necessaria fuit. In egentes quoq; auditores (quorum ingens est hic multitudo) vir quidam probus ac pius dissimulato nomine per concionatorem nostrum aureos quinquagenos misit, Nostrorũ fide ac manib⁹ diuidédos.

HAEC Academia, facultatis medicinæ noua Schola illustrari cœpta est, superiore anno Nostrorum impulsu decretâ: idque magna studiosorum opportunitate, & ægrotantium Nostrum adiumento ac solatio, qui ad hoc tempus vrbano medico carueramus. In aula Serenissimi Lotharingiæ ducis hoc quadriennio nostrorum concionatorum opera eiusdem accitu versata est, præsertim Aduentus & Quadragesimæ temporibus. Liuerduni (oppidum est imperatorij nominis, antiqua Episcoporum Tullensium sedes) cùm hebdomadæ sacræ, Paschalibusque ferijs in Dominicæ vineæ solerti cultura occuparetur Sacerdos noster, vna ea vox Canonicorum, & oppidi Præfectorum fuit, ab vnis hominibus Societatis salutis esse rationes ac vias perdiscendas: hos deinceps omissis iis, qui antiquo vsu ascisebantur, euocandos esse. Quod in nos studium iidem postea non vulgari munere (quod à Collegio, quo missum fuit, constanter repudiatum est) non obscurè testati sunt.

PERGIT Illustrissima Princeps Vademontana Reuerendissimi Virdunensis mater pietatis exemplo, & assueto Nostrorum labore celebrioribus festis subditorum variis pagis distinctorum salutem procurare. Hi iam

Digitized by Google

ad diuini verbi sementem animis excipiendam frequentes, & ad Sacramentorum participationem feruentes conueniunt. Alio loco cùm Sodalitas quædam certam pecuniam fœnebrem exerceret, neque id Parochus longa iam consuetudine roboratum posset abolere, aduocatus Sacerdos noster dicendo effecit, vt abdicato omni fœnore sors legitimo potius censu crederetur, vsuræ exploratis dominis restituerentur: quæ verò incerti dominij forent, ex Episcopi arbitrio pios in vsus abirent. Ad priuatas meditandi exercitationes iterum accessit Illustrissimus Princeps Episcopus Virdunensis, cuius erga Societatis homines ea est necessitudo, vt & singulos fratris nomine amplexuq;: & ordinem ipsum gratia & ope quaqua potest prosequi nunquam desinat. Clarissimus quoque vir D. Malhianus, Episcopatus Metensis Prætor, doctrina & vsu rerum inter paucos eximius, humillimo spiritualium commentationum genere rursum voluit exerceri. Eodemque tempore vnà etiam alter nobilis, illi ipsi sanguinis propinquitate iunctus, itidemque viri primarij Ecclesiastici Tullenses non pauci, adducti quorundam aliorum iam exercitorum inusitata vitæ ac morum mutatione. Neque vnquam à fundato Collegio tanta his locis, harum rerum vel assiduitas, vel emolumenti spiritualis magnitudo, quanta his paucis annis fuit, exstitisse memoratur. Eiusdem Reuerendissimi Virdunensis rogatu Pater vnus ex hoc Collegio in lustranda diœceseos parte comes adiunctus est Vicario maximo, & Archidiacono, quæ 42. fere annis visitata non fuerat. Qui Pater negotium illud bimestre, prudentia & feruore suo haud mediocriter promouit. Catechismum rudibus explanauit, conciones aliquando quaternas in die, quinas nonnunquam habuit. Ad Dei cultum augendum, ad ædium sacrarum instaurationem, ornatumque multa eius consilio constituta fuerunt, quæ prius neglecta iacuerant.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA AQVITANIÆ.

SVNT in hac Prouincia sex Collegia, Tolosanum, Burdegalense, Rhutenense, Auscitanum, Petragoricense, Agennense: Præterea Domus Probationis Tolosana, residentia Sancti Macarij, & residentia Lemouicensis. In his degunt de Societate ferè ducenti; obiêre hoc anno septem, admissi sunt in Societatem tredecim.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

ALVIT hoc anno Collegium Tolosanum socios ferè 60. in magna rerum omnium penuria, multorum liberalitate diues. Accepti nomine eleemosynæ aurei septinginti viginti nouem, & templo in vsum cereorum ducenti. Duo diem vltimum clauserunt, eorum alter Pater Sebastianus Molineus, natus Montibus Hannoniæ, diœcesis Cameracensis, annos natus sexaginta quatuor; quadraginta & vnum à Sacerdotio susceptο, triginta nouem ab ingressu in Societatem,

Digitized by Google

cietatem, à promotione ad gradum formatorum coadiutorum viginti duos. Vir spiritus & Instituti Societatis amantissimus æquè ac obseruantissimus: multæ mortificationis & pœnitentiæ, vt auditus sit non semel per integros septem psalmos, quos pœnitentiales vocant, flagris acriter se cædere, quo, inter alia, remedio vtebatur ad iuuandos & corrigendos pœnitentes, & promerendam ipsis à Domino emendationem. Et verò semel quòd Sanctimonialem, Deo planè, suoque instituto rebellem ad ingenium reducere non posset, mille flagri ictibus à Deo meliorem illi mentem impetrauit, quod ipse postea socio suo dixit: priùs tamen contestatus, ne cuiquam ante suum obitum id diceret; ita plenus erat zeli & magnitudinis animi in laboribus defungendis. Cùm olim discendæ Philosophiæ destinatus esset à superioribus, & per ingruentes occupationes, multamque Nostrorum paucitatem, non modò non licuisset, sed funditùs etiam illi perijssent studia, neque indignè tulit, neque propterea ignorationem prætexens, quantumuis magnum opus ab obedientia impositum, vel leuiter detrectauit, seu perpetes noctes, quod sæpe contingebat, vigilare deberet; siue multa simul & quodammodo repugnantia sibi munia obire. Sæpe pridiè tantum monitus, aliquando etiam pauculis ante horis, dixit de eo suggestu, de quo paulò ante eodemque die celeberrimus concionator dixerat, ea literatorum hominum frequentia, quæ posset peritum magis, sed non magis obedientem, magisque fortem terrere. Id verò vt seriò non perfunctorie agere videretur, quantum temporis ex immensis penè occupationibus vacuum habere poterat, totum Patribus euoluendis magna mentis puritate dabat, nusquam ferè feriatus à confessionibus audiendis, adhortationibus, missionibus, in quibus excelluit, vt vrbes integras ad Dei gloriam susdeque moueret, mirantibus, & laudantibus omnibus. Paupertatis interea &

odij,

Digitized by Google

odij, quo ſæpe in ſe ſęuiebat, religioſæ humilitatis, & aliarum virtutum tenaciſſimus, ſpirabat in omnibus mirum feruorem, miramque charitatem. In adoleſcentibus, & idoneis hominibus, ad noſtrum inſtitutum adducendis, iuuandis, retinendis, ſingulari fuit zelo & induſtria quam experti permulti magna grati animi ſignificatione poſt Deum, beneficium ab eo memorant acceptum. In tractandis hominum animis, & ad id quod illis in Domino optimum iudicaſſet promouendis mirificus: nihil quamuis arduum intentatum prætermittens quod magna animi voluntate, læta frontis ſignificatione, ſerenaque totius vultus alacritate ſi qua poſſet, ad maiorem Dei gloriam non conficeret. Multa egregia præſtitit, quæ ſuis temporibus in annuis literis annotata fuerunt, exemplo ſuo planè docens in omnibus quàm multò plura poſſit virtus & animi magnitudo, quàm ſcientia, & alia id genus externa præſidia. Excelluit in reducendis ad meliorem frugem hæreticis, maximè damnatis ad ſupplicium, vt ſolus plures lucri fecerit, quàm multi ſimul. Vix aliquem aggreſſus pertinacem licet, quem ex animi ſententia non fregerit, victumque ad Chriſti caſtra non perduxerit. Atque vt id faciliùs aſſequeretur, poſt feruentes & diutinas orationes; amplexibus, precibus, geniculationibus, officijs, mira vultus alacritate, ſermonibus tandem planè diuinis rem aggrediebatur & conficiebat. Tandem quàm parui faceret iſtud ſæculum clariſſimè ſub mortem oſtendit: nam negotioſus alioquin, eo tempore, quo in morbum breuiſſimum (neque enim exceſſit viginti quatuor horas) incidit, aliquot horas ante obitum de imminente ad Deum profectione monitus, mira voluptate, mentiſque tranquillitate ita ſe totum ad eam comparare cœpit, vt non fuerit deprehenſus alterius cuiuſcunque rei quàm Dei memor.

SOCIORVM fructus domi & foris non pœnitendus,

Digitized by Google

tendus, princeps à restitutis hæreticis, redierunt enim ad fidem Catholicam vnus supra triginta. In iis puella quædam parentibus quidem orta Catholicis, sed iam vita functis; cùm ab omnibus consanguineis hæreticis importunè, cum minis etiam quotidie ad defectionem sollicitaretur, restiterat, quo erat animo, multo tempore. Tandem cùm nec patientia vinceret, nec alia quauis ratione muscas illas importunas à se posset abigere, pertæsa longioris moræ, vbi à Deo sensit id animi sibi dari, aufugit clanculum, Tolosam venit, vbi ab ijs matronis excepta, & ad nos religionis causa ducta, confirmata post octodecim annos, quos egerat cum hæreticis, tum demùm reuixisse sibi est visa. Alius quidam parentibus quidem Catholicis ortus, sed ad hæreticorum castra pellectus, cùm totos vigintiquatuor annos extra ouile Christi egisset, graui tandem vexatione intellectum dante, resipuit; confessus ergo de totius vitæ peccatis non sine intimo doloris sensu & lachrymis, post tres dies extinctus est. Puella quædam viginti annos circiter nata, & inter hæreticos educata, cùm ad nos causa professionis fidei esset adducta, non solùm hæretica, sed ne quidem baptizata pro certo inuenta est, attestantibus id præter matrem puellæ, qui oculati, quique auriti testes fide digni adducti sunt. Nec mirum multi hæreticorum hîc negant baptismum ad salutem esse necessarium. Quare ab vno nostrorum Catechismo imbuta in maiori æde solemni ritu est baptizata. Neophitus in fide sæpe testatus est mira se consolatione perfundi, quoties, quod sæpius faciebat, se signo crucis muniret: multi vacillantes in fide Catholica confirmati, multi Catechismo imbuti priuatim, eapropter ad nos missi, vt edocti corâ ijs quorum intererat, se Christianos & Catholicos profiterentur: hæretici libri cõbusti, & multi qui cõtra bonos mores erant scripti.

AVDITAE generales confessiones trecentæ: communicarunt

municarunt in nostro templo hominum vigintiquinque millia septinginti decem: factæ restitutiones: ab vsuris reuocati viginti: multi à dæmonis illusionibus vindicati, in ijs vnus qui secunda licet fortuna vteretur propediem tamen in extremam miseriam se conijciebat, nisi nostrorum opera sanæ menti restitutus, cum pudore pedem retulisset. Triginta ab incantationibus & veneficijs liberati: à desperatione impediti viginti: à turpi vita sexaginta sex absterriti: quinq; familiæ in extrema miseria Nostrorum opera adiutæ: istaq; omnia ea Nostrorum prudentia, eoq; in Domino odore, vt è nobilitate permulti ex vicinis locis, vt expiarent se cũ multo fructu, ad nos conuolarint: reconciliati qui capitales agebant inimicitias. Vrbs vna in duas partes scissa coaluit: multi consilijs adiuti: omnibus ferè quæ ad animum pertinent alioqui paulo difficiliores quæstiones ad nos deferentibus, ipsisque Sacerdotibus vltrò suos ad nos pœnitentes amandantibus. Instructi exercitationibus spiritualibus aliquot, in quibus Præpositus Prouincialis religiosæ alicuius familiæ: vndè maximus fructus & clarum diuinæ prouidentiæ beneficium. Septem varias religiones capessiuerunt. Vir primarius de animæ immoralitate dubius, vnius è nostris alloquutione certior est factus. Idem concionum fructus, in quo experientia compertum eum fuisse maiorem qui ex sermone de vsuris originem traxit, vt vir quidam nobilis, qui nullis rationibus antea à turpi lucro dimoueri potuerat, vnius è nostris auditione animum in melius mutarit. Alius audita concione: Iam verò, ait, summas ago Deo gratias, qui non est passus vltra in eo me esse errore (is verò erat grauissimus) in quo multos annos me fuisse cognosco.

SCHOLAE florent numero, virtute: supra mille Scholasticos numeramus, e quibus graues à suprema Parisinorum Curia fuerint illis præpositæ pœnę, qui nostro studio

in

Digitized by Google

in noſtris Scholis, vtraque litteratura informarentur. Aliquot etiam hæretici ſuos hîc ad nos natos ſtudiorum causâ mittunt. Et verò celebris fuit præmiorum diſtributio, munificentia Clariſſimi Ducis Ioyoſei, cui adfuit ipſe cum aliquot Epiſcopis: Scholarum pietas & mirifica, etiam in parentibus ex ijs quæ apud nos audiuerunt, ad meliorem frugem hortandis. Cerearum iconum virtus eluxit in multis. Exarſerat repentino incendio collegij caminus, nec ſine periculo totius domus, cùm quod præſentaneum oblatum eſt remedium, ab vno è noſtris religioſè in ignem, ſiſtendo ardori coniectus agnus cereus, momento ferè ignem extinxit: vtque diuinitùs factum intelligeres, poſtera die ille ipſe agnus integer & illæſus in ſummo camini margine eſt inuentus.

FLORENTISSIMA maior Congregatio, quæ ſub Virgine Concepta militat, nondum tamen magnificè eiuſdem Deiparæ feſta coluerat; nunc ergo incœpit magno clariſſimorum hominum concurſu, Præſidum, Senatorum, & aliorum id genus virorum in hac Toloſana Republica Principum. Auctior enim congregatio, nouoque in dies fœtu fertilis, numerat Epiſcopos, Senatores, Patronos, Scholares, ciues, mercatores, ſupra trecentos, quos cùm non caperet anguſtum nimis & vetus ſacellum, laxius & commodius quadringentorum aureorum expenſis cœperunt ædificare. Reſtituta duorum amicitia totos ſeptem annos planè deſperata; atque hi cùm primò renuerent, nec poſſent humanis remedijs perſuaderi, recurrerunt Sodales ad opem Virginis per litanias implorandam: mirum dictu! dum eæ recitarentur, miteſcunt illi, ac tandem in reconciliationem proni magna omnium gratulatione: (& verò res erat magni momenti, Senatores duos quibus hinc inde magna clientela tam ſibi infeſtos conciliare) mutuis amplexibus antiquum amorem redintegrarunt. Senator item alius vxori à qua ſex annos

integros

Digitized by Google

integros diffidebat, cœpit ope Virginis per congregationem implorata, bene velle. Tres in vineam Domini, tempore sacri ieiunij, ad conciones egressi, læti redierunt portantes manipulos suos: multæ confessiones generales ab omnibus auditæ: restitutiones, & alia id genus curata.

VAVRI Sodalitas pœnitentium arborum, quæ inter tumultus præteritos latuerat, nostra opera magno totius Vrbis gaudio prodijt denuò ipso natali die, plures quàm vnquam antea cõfessi cõmunicarunt, vel eo animo, vt earum indulgentiarum fierent participes, quas summus Põtifex, Nostris, qui sunt in missionibus, cõcesserat. Ad impetrandam à Deo serenitatem indictæ stationes, propositum altaris sacramentum; monitus populus ad pœnitentiam, nec sine fructu: multi emendati serenitate restituta: compositæ lites inter primarios viros: doctrinæ Christianæ capita magnò cum fructu exposita, non pueris modò, sed principibus viris, qui tandem soli & frequentes adfuerunt: quare partiti sunt Pater & socius, vt hic plebi, & pueris; ille illis panem vltrò petẽtibus frangeret.

LVMBARII excomunicationes quæ leuissima qualibet de causa promulgari solebant, quamuis non sine difficultate, rescissæ tamen. Persuasum multis vt quod vix norant de nomine Breuiarium, singulis diebus, Deo dedicati recitarent. Ingens hominum & externorum nobilium ad audiendas conciones affluxus. Cœperunt multi, qui iamdudum desierant, colere solemne ieiunium Quadragesimæ, multique aqua & pane victitantes. Recreati Sodales Diui Hyeronimi frequentibus adhortationibus: eorum pietas in libera carnis afflictione claruit. Docti pueri doctrinam Christianam. Duo Sacerdotes, nostri suasu, genibus flexis cum lachrymis in gratiam redierunt. Persuasum omnibus clericis vt coronã in capite gestarẽt. Præstigiator erat in ea Vrbe, qui vt nullo negotio cæ-

Digitized by Google

naret vnctius, iactabat se carminibus multos iam annos auertisse ab vrbis agro tempestates, non tulit noster hominem tam nihili, tam religiosè ab omnibus coli, & tã fatuè populo nimis credulo imponi. Quare pro concione in eas artes inuectus effecit vt illi circulatori vita & manus redirét ad aratrum, omnibus hominem detestantibus, & sortilegiis nunquam se fidem habituros spondentibus. A vita perdita reuocatae aliquot mulierculae. Auxit Illustrissimus Cardinalis Ioyosæus seminarium suum. Itaque præter quatuor è Nostris, quadraginta nunc in eo aluntur, optimæ spei adolescentes, qui instituto suo, quod religiosæ disciplinæ, & humilitatis officia, & partes bene multas continet, vna omnes animorum conspiratione satisfaciunt.

COLLEGIVM BVRDEGALENSE.

BVRDEGALAM colũt è Nostris quatuor & viginti. Pater Clemens Puteanus grata & diuturna sui memoria in omnium animis relicta, sub Quadragesimæ finem excessit è vita. Eius vt viuentis conciones, vtilitatis, ac facundiæ plenissimas cohonestauit frequens Senatus ac populus; sic mortui funus non sine magno dolore, & lachrymis prosequutus est. Familiare semper habuit cum faceret, ac nominatim cum sacratissimum Christi corpus eleuaret, tria hæc feruenti voto à Deo petere, vt perseueraret in Societate, vt quam illibatam seruauit, perpetuam seruaret Virginitatem; duo concessa: non ita hoc tertium, vt sanguinem in Christi causa posset profundere: nisi commutatum quis dicat votum in acerba permulta, & grauissimos labores, quibus

quibus pro Deo in Societate est perfunctus, increbili animi constantia. Munitus ergo sacramentis omnibus ex proprio voto & petitione mentis compos ad extremum ferè spiritum, suauissimam sui memoriam obdormitione, vt multi querebantur festinata, amicis æquè ac inimicis ex multiplici virtutum omnium exercitio ac fulgore reliquit.

EX hac domo nonnullæ factæ missiones non sine fructu. Nam è Nostris vnus Tutelæ, quod oppidum est in Lemouicibus per Aduentum & Quadragesimam concionatus, grauem ac diutinam litem inter Canonicos & ciues exortam planè diremit, cùm tota res ad eius arbitrium reiecta esset. Idem Bazeum missus suis concionibus sic auditorum animos permouit, vt ibi nunquam alias visa sit tanta confitentium multitudo. Plures etiam recens ad fidem conuersos in ea confirmauit. Vnus è Nostris in quatuor diœcesibus vltimum Iobileum promulgauit: aut iam promulgato interfuit, dum pœnitentiæ sacramentum eâ de causâ administraretur. Hæresim & in æde nostra, & alijs in locis abiurarunt opera Nostrorum non pauci. In his nobilis adolescens eâ de causa parentum odium nihil veritus. Alius oblatas ab hæreticis conditiones honorificas neglexit, maluitque procul à patria difficilem viuendi rationem sequi inter Catholicos, quàm commodè in tabernaculis peccatorum habitare. Quidam hæreticus in morbum inciderat, per domesticos, eo inscio, vnus è Nostris vocatur: agit rationibus cum illo: reijcit iterum atque iterum nostrum Sacerdotem, & ne eum audiret se in lectum abdit, aures occludit, perseuerat tamen noster, & non inde pedem effert, priusquam hæresim execretur, & peccatorum sordes eluat confessione. Alij nonnulli qui hæresi laborabant, ad extremum vitæ finem adducti Nostrorum operam expetiuerunt. Quidam in rebus fidei anceps,

Digitized by Google

& dubius erat: & hæreticorum argutijs penè victus, apostasiam meditabatur: is à nostro Sacerdote confirmatus, & sacra confessione expiatus est. Alius ad remedia magorum aduolare cogitabat, iamque omnia necessaria comparauerat: sed tota nocte quasi furijs & spectris infestatus, ad Nostrum properat, qui omnia igni mandat. Sacerdos & Curio, qui apud Iudices forenses beneficio & causa exciderat, ad hæreticos aduolauit: mox tota Gallia vagatus nullam partem quietis cepit, donec maximis itineribus ad nos contendit, & publicè fidem iterum cum lachrymis est professus. Rogatus à viro nobili quidam è Nostris, vt clarissimæ familiæ Castellum peteret, quo etiam pelliceretur insignis Aquitaniæ & primarius minister Caluinianus, iturum se recepit; sed venturum se negauit ille, filiæ nuptias & alias occupationes causatus sibi impedimento esse; nonnullis etiam missis capitulis quibus Caluini errores arguebantur, cum non nisi frigidè admodum respondisset, satis visus est iniquitatem causæ fateri, quàm aliter tueri non posset. Anglus quidam militiæ ductor Dauid nomine, iam à viginti sex annis sequutus arma cùm piraticam exerceret, captus est & supplicio adiudicatus: Is cum morte esset plectendus, nostri Sacerdotis cohortatione inductus peccata sua se confessurum ea lege promisit, si Papæ mentio non fieret in absolutionis formula, quam cum noster recitasset, declarassetque quanta esset Summi Pótificis authoritas ac potestas, ille Papæ salutem ac felicitatem precatus, se fidem Catholicam complecti professus est, & totius vitæ crimina Sacerdoti aperuit, quæ nunquam antea per confessionem expiauerat, & ex naui sua curauit reddi fraudata bona, quæ aureorum ferè quatuor millium summam conficerent. Illius exemplum sequutus est quidam eius commilito, qui nec semel tota vita confessionis sacramentum obierat. Quatuor è Nostris in præcipuis templis concio-

nes

Digitized by Google

nes maximo fructu habuerunt. Effectum vt capite damnati inimicis condonarent, culpaſque confeſſi, actione inſontes liberarent. Confeſſionum & Communionum in noſtro templo vſus admodum frequens. Opera Noſtrorum in ægrotis viſitandis, iuuandiſque in extrema vitæ periodo, & à plurimis expetita, & à noſtris Sacerdotibus egregiè nauata. Hac tempeſtate exorta eſt in nos grauis procella, quibuſdam id agentibus vt Societas ex vrbe pelleretur in exilium: hanc procellam auertit Deus à capite noſtro: nam frequens Senatus ea mente coactus vti ſtatueret quid in hoc negotio facto opus eſſet: communi omnium ſuffragio, cùm ſuper ea re multum diuque deliberaſſet, cenſuit retinendam Societatem, ne vulnus Reip. infligeretur. Itaque dedit literas ad Regem perhonorificas de Societatis modeſtia, innocentia, opera in permouendis animis ad pietatem, & excitandis ciuium ſtudijs ad obſecrandũ pro Regis ſalute, & incolumitate. AEmulus iſtius pietatis clerus idem teſtatus eſt. Idem multæ ciuitates cum magna amoris erga nos ſignificatione, & doloris teſtificatione præſtiterunt.

COLLEGIVM RVTHENENSE.

ALVIT hoc Collegium aliquot menſes viginti & vnum, reliquo anno duodeuiginti: in his numerati ſunt ſex Sacerdotes, ac totidem Præceptores, duo Scholaſtici, totidem Coadiutores. Nec pauca, nec exigua diuinæ prouidentiæ argumenta nobis defuerunt, cùm & hoſtes nomen Societatis, & morbi multiplices omnium penè Sociorum valetudinem impeterent. Neutrum eget exemplorum copia;

Digitized by Google

vnum tamen aut alterum de singulis commemorabimus. Excitata est in hac Ciuitate grauis seditio desinentibus natalitijs, ventúq; ad manus cùm esset, coacti fuerunt tandè cedere qui numero pauciores & viribus erant inferiores, alij aliò: hinc illos pars victrix ad pœnam requirere, sedulò latentes vestigare, apud quos latuissent proditionem arguere. Valde ijs suspecta fuit nostra fides, cum præsertim nonnulli, tametsi falsò contenderent, adhibito etiam iureiurando circa medium noctis nostras fores quibusdam excipiendis patuisse. Verùm Dei bonitas irritam fecit, vti & aliorum, contumeliam: neque mali quidpiam inde nos est consequutum, licet armatus magistratus cubicula, & alia Collegij loca omnia peruestigarit. Dein postea lateque æstiuis caloribus, ac tota regione grassata est febris flagrantissima, eaque recidiua, & è nostris non sine vitæ discrimine inuasit quamplurimos. Nemo tamen domi desideratus, licet ex promiscua vrbanorum & paganorum turba bene multi. Emicuit etiam in tyronibus nostris, eorumque classibus paterna sollicitudo. Ex his enim nemo non ferè eodem morbo tentatus, attamen vnus tantum letho datus est. Eadem porrò febris ita nostras classes subitò dissiparat, vt à Iunio ad vsque desinentem annum, septingentorum discipulorum numerus ad denos centenos minuerit. Anno tamen consequenti, ita sunt præter omnium opinionem restauratæ, vt neque numero, neq;, quod magis optandum, diligentia cedant anno elapso. Deniq; illa ipsa febris nostrorum Sacerdotum charitatem dies noctesque exercuit, cum vrbanis æstuantibus & moribundis sedulam dederint operam, eamque ita probarunt ciuibus, vt, cæteroqui à nobis simultate, nescio qua, abalienati, eam expetierint, & exorarint. Neque fuit inutile, etiam præ febrium ardore furentibus, quos sola Nostrorum præsentia compescebat. Aegrotãs in hac vrbe mulier Sacerdoti externo

peccata

peccata sua iam aperuerat, cùm illam repente Dæmon circumuenit, & vt deserto Christi vexillo ad sua castra transfugiat, sibiq́ue manus violentas inferat, inducit: obsequitur nefarijs consilijs misera, arreptoq́ue gladio immaniter profundum sibi vulnus infligit ad alteram imi iugulj partem. Quid hic faceret misera tam nefarij criminis iam sibi conscia, & acerbitatem doloris persentiens? clamat, vociferatur, cælum terramq́ue imprecatur, horrenda voce asseuerat se sempiternis addictam cruciatibus & cacodæmonis esse mancipium; clamore acciti domestici accurrere: Accitus quam primùm ex nostris vnus, vnâ cum chirurgo, hic corpus, ille mentem sanaturus; plus tamen ab animi medico laboratum; nempe medelam omnem oblatam respuebat æger animus. Neque Christum; respondebat impiè, neque Virginem inuoco, Christum eiero, dæmoni me mancipium iam tradidi, ac trado. En adest terribilis & minarum plenus, si secus faxo. En ipse me solus possidet. Hæc ore spurcidico verba euomebat, & alia sic impia, vt horrori essent: non tamen ab incepto destitit Sacerdos, vrgetq́ue eò magis quo præsentius cernit periculum. Quare adhibita lustrali aqua in cubile & cubiculum, iussoq́ue per Christi numen & nomen abire dæmone, ac recitato pro more D. Marci euangelio, mirum dictu! de repente sensus & spiritus ægrotæ intercluditur, credidisses exhalasse animam. Dubius & anceps animi Pater iubet, ab his qui aderant, preces ad Deum fundi, iterumq́ue adiurat Dæmonem, quem constabat ægrotæ gulam frangere, ne propósita confessionis medicina sibi prædam quam spe mala deuorarat, præriperet. Vicit tamen pietas: mulier enim facta iterum cõpos & sensu & spiritu, rogat, vt sibi Pater aures confitenti præbeat, quod piè ac feliciter præstitit: ac licet necdũ sathan conquieuerit, incassum tamen omnes illius conatus recidere, facileq́ue minas

Digitized by Google

eius omnes ac technas post confessionem elusit mulier: diuina denique bonitate sanitati corporis animique restituta est. Neque verè sani nostram quantulamcunque opellam desiderarunt. Multi ex his audienti Sacerdoti anteactam vitam penitus relegerunt. Atque adeo nonnulli viginti milliaria, alij etiam plura confecerunt, vt nostris Sacerdotibus vel totius vitæ, vel aliquot mensium rationem redderent. Vnus aliquis Nostrorum suasu à se scortum abiecit. Tres mulieres ab improba consuetudine abductæ. Vnus ad familiam S. Francisci sese adiunxit. Renunciaturi hæreticorum ineptijs nonnulli ad nos adierunt.

MONVIMVS anno proximo institutum in hac Vrbe Seminarium clericorum à Domino Abbate sancti Iunij, qui modò est Archiepiscopus Burdegalensis. Isti sanè respondent expectationi, nec multum à religiosis tyronibus discrepant, modestia, quæ domi & foris elucet. Maiorem Parthenicorum sodalium congregationem in varijs contumeliarum & morborum discriminibus sartam tectam voluit Virgo Deipara. Minor verò intermissa quidem fuit morbis ingraueſcentibus, sed post pari modo & frequentia instaurata. Vnde combusti libri aliquot vetiti, & præscripta nonnullis piè viuendi ratio. Nostram inopiam aliquantulum subleuauit piorum hominum liberalitas: quin & sacra suppellex, si tempora consideres, creuit non mediocri auctu. Iis accessit ex testamento vnius ex Sodalitate B. Virginis casula & vestis altaris, vtrumque sericum aureo tegmine. Hæc in vrbe & domi. quid foris? in Gallicos pagos excursum ter quaterve, plerumque ad dies quindenos. Interim à multis repetitæ confessiones, vel à pluribus annis, vel ab initio: sedata etiam iurgia. Reliqua satis possunt intelligi. Itum præterea aliò circa ferias quâ natalitias, quâ paschales. Illis parturiens mulier soluta annexo ad collum agno cereo. His cō-

Digitized by Google

positum est flagrantissimum dissidiũ. Et verò in frequẽtibus omniũ ordinũ comitijs, quo nos omnes ordines prosequantur studio potissimum enituit. Contendebat enim R. P. Rector, qui eò se contulerat, vt tota Prouincia causam Societatis pro conseruando Chyracensi Prioratu susciperet, quòd nullo negotio impetrauit, suffragante ninirum præcipua nobilitate, atque adeo hugonotis nonnullis.

AD has denique litteras pertinet excursio in oppidum Rapistanense quæ Tolosatibus attributa est. Missus est Sacerdos ex hoc Collegio ad celebrandas sacri Aduentus, longique ieiunij ferias. Neque sane lusit operam. Spatio quadrimestri amplius centum exposuêre crimina vitæ anteactæ. Frequens fuit singulis diebus Dominicis sacramentorum vsus. Duo pœnitentium sodalitia instituta: vsus Rosarij B. Virginis introductus, vel potius ita reuocatus, vt cùm nullus ferè ante hoc tempus esset, iam omnes & gestent & recitent. Mira fuit in primis horum oppidanorum pietas in cereas imagines agni cœlestis: illius enim fragmentis, donati sunt ducenti supra mille. De quibus trecenti fragmenta illa, piè thecis argenteis incluserunt. Assiduos habuit noster magistratus, frequentemque populum non concionibus modò, sed etiam quod insolens catechismo. Bimulus cuiusdam primarij filius fœdè laborabat morbo comitiali, ter quater in die: nihil opis afferebant medici. Hinc ad Sacerdotem nostrum confugiunt parentes; neque frustra: cum enim ad collum pueri suspendisset vellus niueum, contacto D. Ioannis Baptistæ brachio, quod Perpiniani magna veneratione colitur, illicò liberatus est puer, non sine magna omnium admiratione.

Digitized by Google

COLLEGIVM AVSCITANVM.

FVERVNT in hoc Collegio nouemdecim de nostris; Sacerdotes septem, magistri quinque, Scholastici tres, adiutores quatuor. E quibus tentatus morbo non nemo, absumptus nemo. Numerus Scholasticorum nostra gymnasia frequentantium maior hoc anno supra spem, penè supra fidem, precipuè qui se Philosophiæ permiserunt. Vtrumque Deiparæ sodalitium efflorescit in dies, atque augescit numero & virtutibus. Hæc ipsi duntaxat scholastici, sed optimates Vrbis, & è clero non vulgaris notæ viri dare se in eorum Societatem maximo honori ducunt. De confessionibus, aliisque Christianæ pietatis operibus, quid dicam? Non deficiunt nostri in hoc officio. Alios ad pietatis ardorem accendunt, alios ne intepescant in primo feruore continent. Excursiones in obeundis pagis ac circumiectis vicis non intermissæ, fuit labor, non fuit irritus. Vt generali confessione ipsi se coram nostris expiarent, visi sunt multi; etiam de prima nobilitate accersere nostros in sua castra, aut è suis castris ad eos aduentare: Vnde fructus collectus est nec pœnitendus.

COLLEGIVM PETRAGORICENSE.

PETRAGORAE fuerunt ex nostris plus minus viginti quatuor, Sacerdotes septem, Magistri sex, totidem Scholastici, coadiutores quinque. Ad solitas conciones, quæ diebus festis

Digitized by Google

ſtis in templo noſtro, vel in ſummo continuatæ ſunt, cum vtili doctrinæ Chriſtianæ explicatione, acceſſit noſtri Concionatoris per Aduentum fructus admirabilis, & Societatis odor cum ædificatione ciuitatis. Continuata item frequentia confeſſionum & ſacræ communionis. Multa malè parta reſtituta: Inueterata odia reſtincta: ſublata magna ex parte blaſphemandi & tripudiandi conſuetudo; aleis etiam & chartis ludendi: multi vtriuſque ſexus coniugati & ſoluti à turpi vita reuocati: Perſuaſum quibuſdam Eccleſiaſticis, vt pro beneficijs malè partis remedia à ſede Apoſtolica peterent. Quidam etiam ſæculares promiſere ſe, quæ non poſſunt habere beneficia, relicturos. Noſtri vocati à Ciuitate & clero, vt de pauperibus regendis ageretur, conſtitutumque eſt, communi omnium voce, vt vnus Canonicorum cum Patre Societatis canones hac de re ſcriberet, quos probarunt Ciues. Maximè vt imbecilles & ægroti ſeorſim alerentur orphani, orphanæ quoque alio loco clauſæ ſub cura honeſtæ mulieris. Quidam Eccleſiæ reconciliati, inter quos fœmina nobilis abiurata hæreſi confeſſionem totius vitæ fecit. Alia nobilis peregrè venit ad nos quærens animæ ſuæ medicamentum, quod confeſſione generali & communione inuenit. Quædam propter rixas cum marito decreuerat fame vitam finire, quod vt facilius faceret, fingebat ſe ægrotare, quod periculum hortatu noſtri Cófeſſarij vitauit. Idem accidit alteri quę quòd nupſiſſet vrgẽtibus parentibus ei cui nolebat, maleficio, nẽ cõciperet, abutebatur. Non defuit adhortatiõ captiuis, neq; conſolatio moribundis, nec alia quæ ſunt ordinaria Societatis. Data quibuſdam exercitia ſpiritualia. De claſſibus verò tantum hoc dicendum, & pietate & numero, diligentiáque tam Præceptorum quàm Scholaſticorum floruiſſe. Idem de vtraque congregatione B. Virginis. Quidam ex his in Societatem admitti cupiunt, quorum votis

non

Digitized by Google

non omnino satisfactum: & hæc domi.

FORIS autem non frustra laborarunt Societatis operarij. Nam duobus in oppidis magno cum fructu & ædificatione duo Patres tempore Quadragesimæ concionati sunt. Ad quos audiendos etiam hæretici, qui statuerant nunquam audire concionatores Catholicos, auidè consuebant, pollicentes se ad gremium Ecclesiæ redituros: horum è numero fuit vnus morbo correptus, qui Patrem nostrum accersiri iussit, cui ritè confessus, & viatico munitus è vita migrauit: huic Confessarium petenti cùm quidam hæretici, qui ab eius latere non discedebant, dixissent; Tu deliras: Imo, inquit, delirare desino. Et quamuis à sancto proposito omnibus eum machinis auocare conarentur, nunquam tamen potuerunt. Crebræ sunt iteratæ confessiones, nonnullæ restitutiones, & reconciliationes factæ, non exiguis catechismi fructus. Admodum vtiliter oppidatim & pagatim, hebdomada sancta fuit à quatuordecim ex Nostris excursum. Non explico cuiusque manipulos.

TANTVM attingam Salignatam missionem, quò duo, rogante domina, duobus ab annis ad fidem conuersa, profecti per mensem egregiè laborarũt, ter in hebdomada cum catholicis & hæreticis concionando, paulatimque hædos ab ouibus segregando, quod ægrè tulit Synagoga Sathanæ, quod antiquior Ecclesia illius esset, varijsque modis eam retinere tentauit; sed frustra. Multi combusti hæreticorum libri. Excitatum est sacellũ in domo quam dominus olim ad voluptatem ædificauerat, quod nunquam hæretici fore credebant. Præter dominam multi generaliter confessi. Datus oppidanis Curio cum beneficium ab hæretico fuisset emptum. Vnus è nostris Patribus Cailucum ex obedientia cum vno ex nostris fratribus missus in via detentus, in vrbe Figiacensi, die publico concionem ad populum habuit, tanta cum acclama

clamatione, vt abegare vellent alium, quem concionatorem Aduentus tempore erant habituri, & Patrem retinere; quod tamen ipse abnuit, alteri libentissimo animo cedens: Cailucum vbi est peruentum, cœpta est quotidiana concio, & catechismi frequens explicatio: hæretici vno ab hinc lapide, ob vicinum concionatorem, pugnam quam indixerant, recusarunt. Religiosus Apostata apud illos minister, verbis ille quidem audax, sed reipsa ita timidus, vt ne verbum cum patre conferere ausus sit, suam quam profitetur falsò religionem optimam cum dixisset, sustinere noluit; sed nec suo id proprio nomine scriptum testari. Inimicitiæ in Vrbe cum publicæ, tum priuatæ inter affines diuturnæ etiam quindecim annorum sopitæ. Confessiones auditæ: restituta in aliquibus diebus solemnibus confitendi, & communicandi consuetudo hisce in partibus non vsitata. Catechismi ratio tradita adolescentibus, & pueris cui honorati homines frequentes affuêre quotidie. Talis inde elicitus fructus vt rudes penitus, & ignari homines Christianæ doctrinæ rudimenta edocti fuerint.

COLLEGIVM AGENNENSE.

VERE hic de nostris ferè viginti tres, Sacerdotes septem, Magistri quinque, Scholastici sex, adiutores quinque. Domi foriséque gesta propter similitudinem miscebuntur. Discipulorum quidam emerunt hæreticorum libros vt à nobis exurerentur. Plurimi aqua lustrali epota sæpius expulerunt febres, vt ea iam à nobis pro certa morbi medicina petatur. Pestifer hæresum morbus alijs modis exactus. Duo

Digitized by Google

Duodecim Ecclesiæ restituti, vnus iampridem hæreticus ita viuebat, vt neque Caluinianus haberi posset, neq; noster. Is cùm morbo vltimam exigente rationem, & Curionem, qui eum auditurus accesserat, remisisset, & religiosum eluisset, eò à nostro perductus est, vt confessus cum stupore familiæ iuxta atque gaudio, Christi corpus acceperit, & sacrum oleum, à suisque exorata venia, exempli mali hæresim detestatus, excesserit. Peccatorum absolutio & extrema vnctio vni salutem tantum non mox restituit, quod fieri amygdalis malis characteribus exaratis nequiuerat, quæ à maleficis data fuerant sanitatis recuperandæ gratiâ, ea conditione vt comederentur. Alter qui mortuam vxorem vel arte magica videre volebat, deterritus est ne id omnino faceret. Ita cum dæmone hæreticisque pugnatum hîc à nostris, neque neglecti Christiani mores. In oppido Nostri suasu qui eò missus fuerat peruium bestijs cæmeterium cinctum muro est. Instituti eleemosinæ quæsitores, inter sacrificãdum, refectioni ædis sacræ, qui mos à triginta exsoleuerat annis. Ad matutinam Ecclesiæ frequentationem adducti, & ne ante Missæ finem ex templo discederent docti. Ad ædis sacræ vestibulum fixa crux, donaria dicata: ante sanctissimum Sacramentum lampas accensa: Virgo ter ad æris pulsum salutari cœpta: catechismus expositus ter per hebdomadam, Scholasticorum omnium ibidem audita peccata, qui deinde decalogum carminibus mutuis in theatro, sic pro sua quisque persona exhibuerunt, vt qui aderant hæretici non indocti, fassi sint rem pulchram visam & bonam. Adhæc Christi corpus minimum à ducenis acceptum præter morem.

VENIO ad alterum qui in alio oppido quædam paria superioribus præstitit & præterea tenaces odij matronas duas in mutuam redire fecit gratiam, quæ sic exarserant, vt altera nunquam se remissuram odium profiteretur

reretur. Maior difficultas cum hæreticis alijs qui Caluiniani ministri interdictione prohibiti sunt, ne nostrum audirent. Solent Aquitani præter Eucharistiam benedictum panem præbere ijs omnibus qui sacro adsunt, renouata est ea consuetudo. Et præterea Sacerdotibus legitimus vestitus restitutus. Pauperum in annonæ caritate ad duo millia ita per Consules vrbis à prima Quadragesima benignè sustentata Patris suasu, vt Metropolin ad eandem misericordiam illexerint, vt ne se minus quàm egenos curarent. Frequens ordo pœnitentium intempesta nocte procedendo sese flagris liberaliter exceperunt. Modum audiendi confitentes edocti Sacerdotes tempore Quadragesimæ, maximè ne adultos plures simul audirent. Conciliati inter se ijdem alij ad iejunium & abstinentiam carnium reuocati, in quibus primarij, quod infimularentur, purgandi sui gratia ad Concionatorem venerunt.

ADIIT alius ipsis Paschæ ferijs ad Vrbem finitimam, ibique erectam sub tutela Virginis Deiparæ Sodalitatem ex militibus ferè omnibus, quod rarum est, & stupendum in Gallis, feruentem licet ad maiorem profectum incitauit. Res à furibus & foeneratoribus restitutæ. Conciliati octo, inter quos milites duo, qui armis finem facere inimicitijs constituerant. Matri, filiæ & neptì pax quæsita, socrui etiam & genero ex nobili familia. Trecenti aurei templo nostro, cuius curatum fratrum est pauimentum, à finitimis Vrbibus supra Agennum erogati, vnde auctior sacra supellex & commodius templum. Præterea quod argumento sit amoris in nos publici plerique omnia oppida tabulas, testes morum nostrorum ipsa plebe coeunte in summis expulsionis periculis conscripserunt. Opimum beneficium Ecclesiæ restitutum. Rosaria à Curione plebi distributa. Intercedere Sanctos probatum exemplo, siquidem cùm hîc habeantur offa

Sancti

Sancti Caprasij martyris, eius sacrum caput allatum ad febre decumbentem vnum ex nostris, voto susceptо, morbum prorsus expulit. Puerperæ multum leuamen sentiunt admoto gossypio, quod habemus ex eo quod è cunis Saluatoris Romæ quotannis accipitur. Vna certè cum in vltimum ipsa periculum venisset, & vteri sectio vnicum saltem foetui remedium videretur, mariti precibus ad nos aduolantis, quem exempla superiora docuerant, ad tactum ita leuata est, vt foetum emiserit saluum, ipsaque omnino conualuerit. Similem medicinam fecerunt quæ collo appenduntur Sanctorum relliquiæ; etenim cum lethale gangrenæ malum viro nobili accidisset in equorum agitatione, neque vlla humana spes foret, hæ adhibitæ, atque adeo inspectæ, & leurunt & sanarunt omnino hominem. Familia erat quam nocturnum turbabat spectrum huiusmodi. Vbi decubuerant omnes puero illiusque patri ad laquearia faculæ nescio quæ apparebant. Ipse hominis frater, cui ferocia militaris augebat animum valentior alijs, cum quæ falsa credebat videre vellet, domum adit, ridet, cubat, nihil relinquit eorum quæ securitas fieri amat. Cum ecce illi è stragula veste furtim aspectanti obiectæ candelæ tantum incussere terrorem, vt homo audax penè exanimaretur, obrigescentibus inter aspiciendum capillis: postridie manè ad nos aduolat, fratrem adducit, præ metu iam sæpius concepto, toto capite intremiscente. Auditur in templo nostro de peccatis; datur cerea agni cœlestis effigies, quæ duo ita lustrarût hominem, vt metu, laruisque liberarint Beatę Virginis Sodales crebrum specimen virtutis edunt. Vnus eorum in Societatem admissus. Per totum illud tempus, quo fera fame semineces pauperes petebant panem, nec erat plerisque qui frangeret; conuenêre in nostrum templum fœminæ nobiles, & honoratæ, vt datis nominibus profiterentur se miserorum matres, vtque bi-

næ

næ edulia curarent ijs, quod & fecerunt. Binæ die sibi constituto domi coquebant cibos, deinde extra mœnia vrbis ad cellulas pauperum qui eas siccis expectabant fatticibus, deferebant.

SCHOLAE floruerunt hoc anno, qui virtute, multitudine, priores annos multis partibus excessit. Gratæ toti circumquaque regioni exercitationes Scholasticæ. Sed solenni publicarum affixionum die superata omnium expectatio, scriptionibus, ænigmatis, eorumque in celeberrimo conuentu, explicationibus. Probarunt scholarem diligentiam ipsi item hæretici. Atque in ijs Minister vnus, qui magni quamuis hominis esset inter suos, nunquam tamen ausus est se prodere. Disputatum postridie in Philosophia pari frequentia, laudantibus omnibus Nostrorum opera pietatem vna & omnimodam litteraturam florere. Multos de prima nobilitate Britannorum numeratissimus, qui licet commodius alibi possent operam dare literis; voluerunt tamen cum minori corporis commodo maiorem animi fructum ex nostra institutione referre.

MISSIO LEMOVICENSIS.

SERVNT in hac missione priore semestri Patres primum duo, tum tres in habendis toto anno concionibus, erudienda catechesi iuuentute, confessionibusque audiendis benè occupati, æstate maxime atque autumno, quæ tempestate passim grassantes morbi plurimos extinxerunt. Vix vna fuit in Vrbe domus quæ mortuum non extulerit. In his Magister Ioannes Menellus, qui quartus ad hanc missionem venerat, duos & amplius menses paralysi afflictus,

Digitized by Google

feliciter tandem obijt, maximum sui cùm nostris omnibus, tum plerisque ciuibus desiderium relinquens. Sepultus in æde sanctæ Martyris Valeriæ, quam incolunt Patres ordinis Sancti Francisci, quos Recollectos vocant. Vir fuit suauissimæ naturæ, ac omnibus quibuscum versabatur gratissimus, Instituti nostri obseruantissimus, vocationis gratiam maximi faciens, eaque se ad extremum vsque spiritum indignissimum profitens. Autumno ineunte creuit Nostrorum numerus ad nouem, additis Præfecto studiorum, tribus Præceptoribus, duobusque coadiutoribus. Apertæ scholæ tres, ad quas ducenti ventitant auditores literarum studijs vehementer addicti, suaque in peruolutandis libris assiduitate maximam ciuibus & mirandi & gaudendi ansam prębentes. Generales totius vitæ confessiones auditæ plurimæ; à Dæmonum, quibus annos 25. adhæserat, cultu reuocatus vnus; alijs duobus qui eandem ob culpam ignibus tradendi ducebantur, nauata opera, sed non pari fructu. Ab hæresi ad Catholicam fidem traducti quinque aut sex, plures qui nutabant confirmati, alij qui videbantur in hæresi obduruisse, non parum commoti, vt dubitarent, atque ab antiquis legendo exquirerent. Ab vsurarum quæstu abducti nonnulli; plures salutaribus consilijs adiuti, ne fœnori pecunias darent, ne matrimonium in gradu prohibito contraherent, neue alijs se criminibus inquinarent.

DOMVS PROBATIONIS AQVITANIAE.

ABLVIT ex nostris domus hæc probationis hoc anno circiter viginti tres; & cùm tredecim, votis post biennium factis, ad diuersa Prouinciæ Collegia emisissent, duodecim excepit

Digitized by Google

cepit è ſæculo magnæ ſpei iuuenes, quorum etiam aliqui in literis humanioribus bene verſati philoſophica ſtudia peregerunt. Vnicum illorum Domino reddidit. Is Burdegalenſis & quidem Senatoria ſtirpe oriundus vix annorum 17. qui cum in Societatem noſtram admitti diutiùs poſtulaſſet, à parentibus Pictauum miſſus fuit, vt à ſancto propoſito abduceretur, vbi exploratos parentum dolos clandeſtina fuga deluſit. Toloſam profectus à noſtris excipitur. Paulò poſt parentes admotis omnibus machinis eum ad ſe pertrahunt, non tam viſendi ſtudio, vt aiebant, quàm abſtrahendi: ſed eorum conatus egregia adoleſcentis virtus propulſauit. Cæterùm cum vnuſquiſque noſtrûm ſingulari eius modeſtia & pietate, feruentique obedientia in admirationem raperetur, in morbum incidit, in quo magnam adſtantibus ædificationem, magnumque virtutis ſpecimen exhibuit. Et priuſquam animam exhalaret, his tribus nominibus gratias agebat Deo, nempe quòd omnes ſuas facultates teſtamento dediſſet pauperibus, quòd vota in Societate emiſiſſet, & quòd auguſtiſſima ſacramenta ſumpſiſſet.

IN tertia probatione mox quatuor, mox quinque Patres exercitati ſunt, non ſine fructu tum proprio, tum alieno. In ſuis peregrinationibus menſtruis bina coniugum diuortia ſuſtulerunt. Confeſſiones tum foris, tum domi noſtræ, tum in carceribus, tum in Xenodochio plurimas audiuerunt, atque aliquot vel duorum vel trium annorum, vel generales etiam non paucas. Alter dum oppidatim fructificando iter ageret, ſagarum ſex confeſſionem excepit, quarum vna magna cum contritione & perſeuerantia publicum ſibi paratum incendium ſuſtinere parata erat. Rogatu Epiſcopi vicini eius diœceſis à noſtro luſtrata, abuſus morum & religionis ſublati, templa reparata, imagines Sanctorum renouatæ, decani ruſtici, & promotores vbi nunquam fuerunt, inſtituti, multa ad re-

Digitized by Google

formationem constituta. Aduentus & Quadragesimæ tempore concionando noster in oppido vicino magna dissidia inueterata sustulit: confessiones generales plurimas audiuit: exercitia spiritualia tradita ingenti fructu, adolescentes, virgines & viduæ, religionis anchoram amplexe sunt. Solutiores in proposito confirmati. Veteri consuetudine solebant omnes fœminæ ad puteum scandali intra monachorum claustra situm quotidie ventitare, & ad infima vsque cubicula liberrimè penetrare, cum nullis monitionibus terrerentur, edicto publico magistratus pœnisque propositis sunt prohibitæ, & ad alium fontem in hunc finem extructum assuetæ. Frequens confessio & communio introducta.

CVIDAM iuueni omnem salutis spem abijcenti ob facultates sibi ludo defraudatas, Diabolus obuiam venit, speciem venti simulans, illum latino sermone sic aggressus est: Si te meæ potestati subijcias, spondeo me tibi scientiam infusam daturum, modumque ludendi præscripturum: Is autem hac inopinata voce perterritus respondit fugiendo (nihil.) Ille postera die imparatus binas philosophiæ propositiones cum omnium admiratione oppugnauit. Iterum spiritus nequam adoritur. Gebennam, inquit, proficiscere, & peccata nusquam confessione absterge: annuit miser, dummodo, inquit, mihi dederis quod hesterna die pollicitus es. Instinctu dæmonis pallium suum vendidit, cuius pecuniam ludus iterum ademit. Cum in ancipiti cogitatione distraheretur, vtrum sibi crederet necne. Tum diabolus, luduſne tibi arrisit; pessimè, inquit, modò enim te & tua promissa falsa respuo. Rursus Diabolus stabo promissis si mihi schedulam tuo sanguine obsignatam dederis, abnuit ille, recordatus tale quid aliàs accidisse quod in Sodalitate Beatæ Virginis didicerat à nostris. Paulò post Dæmon acum auream è crinibus cuiusdam fœminæ in vestibulo templi furtiuè

extra

Digitized by Google

extractam illi porrexit,& ad furandum excitauit. Statim ille furijs quibusdam agitari cœpit & campos siluasque peragrare, donec Dæmon illum in flumen præcipitem dedit; adfuit quidam nauta naufraganti, & nomen(IESVS) sæpius inuocanti: sed nec hic finis; hominem aliquando vt videbatur, vera diabolum, in medio viarum anfractu fuluis vestibus indutum offendit. Ambo hospitio excipiuntur; vnâ dormiunt;illum Diabolus ad Sodomiticum scelus perpetrandum inducere conatus est: sed nunquam à castitate, ad quam inuiolatè seruandam voto se obstrinxerat,abduxit. Cum tandem delicta sua lachrymabili confessione expiasset vni ex nostris, eidem omnia quæ sibi contigerant retulit, & se obsequio diuino mancipauit.

Digitized by Google

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

SVMVS in hac Prouincia Socij 262. ſeptem domicilijs diſtributi. In Collegio Auenionenſi 80. Sacerdotes 30. quorum quatuor Theologiam, tres Philoſophiam docent, humaniorum Magiſtri 5. In Turnonenſi 36. Sacerdotes 15. quorum vnus Theologiam docet: alter Mathematicam. Magiſtri Phyſicæ, Logicæ, & humaniorum 7. auditores Theologiæ duo, Metaphiſicæ tres: reliqui coadiutores. Camberij 26. Sacerdotes 12. Magiſtri 5. cæteri rebus domeſticis occupati. Anicij 32. Sacerdotes 14. Præceptores 6. Scholaſtici Rhetoricæ duo. Coadiutores alij. Dolæ 43. Sacerdotes 13. quorum vnus caſus conſcientiæ explicat, duo Logicam & Metaphyſicam, Phyſicæ verò & humaniorum magiſtri 7. caſuum conſcientiæ auditores 11. Metaphyſicæ tres. Coadiutores reliqui. In Biſuntino Collegio 17. Sacerdotes 7. Præceptores 5. reliqui coadiutores. In domo probationis 28. Sacerdotes 6. Coadiutores duo, reliqui nouitij. Admiſſi ſunt in Societatem 13. defuncti nouem.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM AVENIONENSE.

TRIVMVS octoginta è Societate hoc anno in summis rei familiaris angustijs, nisi & solita diuina prouidentia rebus nostris, & ciuium spectata liberalitas subuenisset. Quatuor migrarunt è vita, par Patrum, par coadiutorum. In illis P. Guillielmus Pinæus Aruernus extitit, vir lingua Græca maximè, ac latina toto regno Galliæ celeberrimus: Alter P. Petrus Vela, qui de regno Galliæ & Christiana religione benè meritus, & in amplissimis quibusque regni Ciuitatibus magno applausu diu cõcionatus, rem Catholicam aduersus hæreticos valde promouit, tandemque per grauissimum diuturnumque morbum, altero crure captus (vnde & extinctus est) magna virtutis, fortitudinisq; exempla præbuit. In his & coadiutor Michael Sartre, quem vel pro exemplari Nostris coadiutoribus, vel pro commodo huius Collegij, hisce difficillimis migrationis Lugdunensis inopiæque domesticæ temporibus, à Deo nobis commodatum ad tempus diceres, quousque paulò fundatiorem rem familiarem haberemus. Ruri viuebat penè semper, vnus omnem negociorum molem humeris sustinebat: cum omni genere hominum versabatur: ita tamen se gessit, ita Institutum retinuit, vt quibuscunque rebus occuparetur, summa fide sese felicique successu expediret, atque de quotidiano orationis, rerumque diuinarum vsu nihil omnino remitteret. Illud enim antiquum habuit, atque perpetuum, vt si perspiceret, quod sagacissimè faciebat, sibi defore interdiu horam ad meditandum, anticiparet ipse tempus, illamque de somno

Digitized by Google

detraheret; si euentuum inopinata varietate falleretur, quamprimùm compensaret, ea sibi etiam lege imposita ne ante cibum sumeret quàm orationis pabulum accepisset. Idem de examine conscientiæ, ac multo magis etiam in confessione de peccatis faciebat, tanto cum sensu, vt rarò admodum, aut nunquam, quod à Confessarijs perpetuò obseruatum est, sine lachrymis confiteretur. De summo ardore Eucharistiam sumendi, Patrumq; ac fratrum consortium ex agro identidem repetendi, mira sunt quæ in illo obseruauimus: Sæpenumero, diebus præsertim celebrioribus, vt se aliquanto colligeret, aduolabat in Vrbem nocturno diurnoque itinere suscepto, vt tempori adforet ad sanctam communionem fratrum, qua ex re tantum voluptatis capiebat, nullum vt laborem ea de causa præterfugeret. Itaque accidit aliquando vt in æstuis summisque caloribus ea causa se in viam daret, & quidem serò admodum, necesse vt fuerit ieiunum (vt erat) diei noctem adiungere, & 20. atque amplius milliaria decurrere, donec siue ex nimia contentione, siue ex longa inedia corpore animoque deficeret, iamque ex inusitato langore membrorum penè extremum spiritum exhalaret, feciſſetque profectò nisi proiectus in genua, fusisque precibus vegetior factus, ac repentè conuersus candidissimum panem in via conspexisset, quem haud dubius quin à Deo mitteretur, postquam absumpsisset, ita se firmatum inusitato quodam vigore persensit, vt nullo negotio reliquum iter deuoraret. Aliquando rogatus an non grauiores tentationes foris in tanta impunitate peccandi, vel ab hominibus, vel à Dæmone paterentur, respondit contra castitatem præcipuè, vel ex procacissimarum mulierum prouocatione, vel ex afflatu cacodæmonis in grauissimas, & periculosissimas sæpenumero incurrisse, quas omnes vnico præsentissimo remedio, concepta scilicet votorum formula, flexis humi genibus

nibus

nibus recitata, nullo negotio quasi nubeculas exsufflaret. Et sane constat totos duodeuiginti annos quibus foris magis quàm domi fuit, non modò nullam labem contraxisse, sed hominibus etiam summæ integritatis opinione exemplo fuisse. Eius fratris adeo necessarij iacturam Deus nobis aliunde refarcijt: hoc enim ipso anno cùm iam quadriennio toto propemodum à migratione Lugdunensi domi magnis angustijs premeremur, vir summa nobilitate iuxta atq; probitate clarissimus Paulus AEmilius Sadoletus, qui ardentissimo quodam studio rei Christianæ promouendæ flagraret, induxit in animum (quam ad rem Michaelis quamplurimum contulit industria) Prioratum Paternensem pro curriculo Theologico opportunum sane, & commodum Collegio tradere, quod intelligeret, vnde vix vnus Prior aleretur, inde sustentari posse quamplurimos, qui opportuno præsidio Religionem Catholicam valde vexatam appetitamque defenderent. Itaque omnia impedimenta quæ infinita confluxerant summa animi fortitudine superauit; inuimusque possessionem valde pacatè (his etiam maximè obsecundantibus, qui maximè intercesserant.) Quo toto negotio feliciter peracto, professus est vir nostræ Societatis, Ecclesiæq; Catholicæ & totius probitatis amantissimus, se nunquam tantam vlla ex re cepisse animo voluptatem, quàm cùm se illo onere leuatum sensit.

NVNQVAM hactenus, neque tanta, neque tam clara frequentia Scholarum fuit: adeò vt quo magis instabant in Gallia rumusculis, minis, & dictis aduersarij vt & nostri reliqui pellerentur, & à nostra disciplina adolescentes distraherentur, eo maior turba concurreret. Numerauimus hoc anno mille centenos. De officio in illo genere nihil omissum, iamque eũ cursum tenent humanitatis, Philosophiæ, Theologiæque studia, vt latè vniuersam Galliam Auenionensis Academiæ fama perua-

Digitized by Google

ſerit, atque eo maximè, cùm ſpectabilem Baccalaureorum, Magiſtrorumq; multitudinem ex Lycæo noſtro iam ſæpius emiſimus, quæ res ciuium animos dici non poteſt quàm tenuerit; quemadmodum & celeberrima pompa puerorum, quam pro pace Ferrarienſi inſtituimus, tanto ſenſu tantaque approbatione ciuium, vt ad pietatem maximè commouerentur. Nec minus alia occaſione ſcholarum ſplendor eluxit, in ſolemni ingreſſu D. Bordini Archiepiſcopi & Prolegati Auenionenſis, quem pro more cum accipere ſplendidè Ciuitas ſtatuiſſet, eam prouinciam tum primum nobis detulit, quod nunquam hactenus conſueuerat. Fuit res apparatu magnifica, exitu toto applauſuque ſpectabilis. Tantus affluxit ad ſpectaculum, non ciuium modò, ſed extraneorum quoque vndique aduolantium multitudo, vt nullius memoria vlla de cauſa Auenione fuiſſe diceretur, Scholarum celebritatem auxêre declamationes ſingulis menſibus habitæ in templo de antiquitate Auenionenſi, quam ab Vrbe condita per chronicam ſeriem ſingulorum temporum eruimus ex diuturna ignoratione, atque deduximus vſque ad noſtra tempora, concurſu omnium ordinum magno, Prolegati imprimis, qui nunquam abfuit, & principum Ciuitatis qui nos indefeſſa beneuolétia audiebant. Parem curſum pietas tenuit in Sodalitatibus Parthenijs, quæ hoc anno auctę celebratęque ſunt, ac maioris quidem quę ex primoribus Vrbis componitur in oratione 40. horarum ardore enituit in ſanctiore hebdomada, cum præcipui quique atque clariſſimi ante auguſtiſſimum Sacramentum ſe nouo exemplo acriter flagellis diuerberarent. Ex minore Sodalitio, vbi fermè auditores noſtri ad Virginis, Deique cultum informantur, ſuus quoque extitit fructus: complures in varios religioſos ordines Carthuſianorum, Cappucinorum, Cæleſtinorum, Minimorum, in noſtrum quoque quini abierunt. Multo plures idem meditantur ex flore de

Digitized by Google

re delibato Scholarum: in quo numero est adolescens, qui concione audita de amando Deo, ita in Dei amorem exarsit, vt se voto religionis extemplò deuinxerit; atque in voti pignus annulum aureum è digito detractum, obuio pauperi in egressu templi tradiderit. Variè à cæteris excursum in pagos, vt rudes ouium Pastores & obuios quosque Christiana religione excolerent.

IAM verò in ciues nostra quoque se fudit industria, quorum nunquam hactenus ad nos concursus maior, vel fructus fuit. Natalitijs ferijs supra duo millia confitentium, communicantiumque numerus extitit, ex quo liceat de anno reliquo facere coniecturam. Diebus autem festis adeò frequentes in templum confluunt, vt vulgò bona pars ciuium censeatur, apud nos rebus diuinis operam dare. Sex virgines perpetuam Deo castitatem vouerunt: Aliæ nuptæ, viduæ, cœlibésque vsque ad quinquaginta vt minimum, ieiunijs, cilicijs, atque flagellis quotidianis, ita se atterunt, vt religiosam vitam in suis quoque familijs agere videantur. Vir clarissimus in fide confirmatus. Præter hunc domi forisve hæretici 34. (vt multo plures omittam in anita religione firmatos roboratósque) non sine maximis plerique difficultatibus, ad sanam mentem sunt traducti: Inter quos aliquot clari erant & magni nominis inter suos: quinque verò de eo numero à parentibus hæreticis disciplinæ causá ad nos missi. Dominus Deguierus duos pro Theologiæ studio Auenione nepotes in nostram disciplinam dedit ad maximos honorum gradus promouendos: idemque nostros Patres qui hisce proximis annis Gratianopoli, vbi pro Rege ille imperat sunt versati, summa beneuolentia est, & singulari fauore complexus: insitque nuperrimè ea in Vrbe transennam confici in aduerso muro templi vnde remotis arbitris concionatorem nostrum posset audire. Verùm ne dum sensim ad externa deuoluimur, reliqua vrbana

contem

Digitized by Google

contemnamus; mulier nobilis opibusque præclara, & pietate excellens imprimis, sanctè testata est se ex quo tempore nostris ad rem diuinam operam daret semel atque iterum Christum Dominum infantis pulcherrimi specie in consecrata conspexisse, radiorum splendore coruscantem toto tempore quo piaculare sacrificium, Sacerdotis manibus tenebatur. Idem sibi accidisse bis vir summa fide & religione Sacerdoti nostro confessus est, ac semel quidem paulo antequam ab impurissima fœmina petulantissimè ad flagitium inuitaretur: qua in pugna ex recenti visione sibi videbatur Christum opportunè habere præsentem. Hebræa mulier vsque adeo atrum tetrumque enixa infantem effuderat, vt monstro similior quàm puero esset; obstupefacta spectaculo obstetricem obsecrat vti in rem malam portentum efferat. Adit illa Christianam fœminam, vnicè piam atque addictam Societati, quæ ex Nostrorum cõsilio salutari aqua paulò antequam moreretur fœtum eluit, itaque elauit vt non modò animus à natiua labe expiaretur, sed mirum dictu, corpus ex atro atque deformi pulchellulum euaderet.

IAM quæ foris gesta sunt paucis expedio. Decem è nostris varijs locis Quadragesimæ tempore sunt vertati, multa ab illis in rem Christianam strenuè patrata. Procurata dos puellis periclitantibus: quæstus sanctimonialibus eleemosinæ: inopibus atque mendicis morborum inopiæque quæsita solatia. Impedimentis matrimonij ex maleficio illatis remedia allata. Pax inter viros & vxores, inter fratres, patrem & filium post multorum annorum discordias stabilita. Diuortium annorum 14. iunctum cum adulterio, reconciliatis partibus sublatum. Vir mortem vxori machinabatur, itum obuiam. Quatuor prioratus ad laicos coniugatosque transierant, accuratum vt suis locis, dominisque redderentur. Sacerdotes quamplurimi ordines malè acceperant, acceptis pessimè vte-

bantur

Digitized by Google

bantur, mens illis, conscientia, ordines restituti. Multa aureorum millia quæ iniuriâ tenebantur fuêre restituta. Iacebat templum cõmuni hugonotorum rabie solo æquatum, iniecta mens ciuibus vt communi sumptu priuatoque erigeretur. Annuli tres maleficio ad libidinem comparati multis sceleribus materiam præbebant: extorti, effractiq; sunt. Vnus alter rusticanus ante 25. annos lapidem atrum acceperat, specie trianguli, in medio tribus punctis notatum, quo luem auertebat; quo morbos fugabat, quo mulieribus facilem partum faciebat, quo cœlum miscebat, terram vertebat: actum cum Domino oppidi vt quoniam compertum erat illa communiter agi, credique, quæ nec causa vlla naturali, nec vllo miraculo niterentur, abriperetur agricolæ, atque in profluentem iaceretur. Dissidebat vicus iamprídem familiæque primariæ in duas ierant inueteratas factiones: ibi ab vno Nostrorum die anniuersario Stephani protomartyris, in id argumenti concio habita: mollitæ subitò omnium animi: princeps consul soluitur in lachrymas, recipit nihil omissurum pro reconcilianda amicitia inter suos. Extitit Vrbis fides; sedatæ exinde sunt maxima ex parte discordiæ. Alio loco vir summæ auctoritatis, & in summo dignitatis gradu positus defectionem cogitabat ad hæreticos; Et quanquam Catholicus animo (quæ nostra sunt tempora!) foris tamen ex immoderata libidine profitebatur hæreticum: Monuit hominem noster de officio, de conscientia, de sacrilegio, nec nihil profecit, quando ille spopondit (& tenuit verò) latuam se illam impietatis ac sceleris depositurum, nihilque deinceps facturum, nisi Nostrorum admonitu atque consilio. Fuit ea res ob viri dignitatem æstimata magni momenti. Sæpius hæreticorum spiritus insolentiamque repressimus: ac semel quidem illustris fuit concertatio, duraque victoria, exhibitusque assensus ab omnibus qui præsentes aderant, &

causa

causa nostro adiudicata, cum minister pressus oppressusque turpiter, miser obmutesceret, & sibi in scriptis dari argumenta quæ soluere tunc minimè poterat, postularet. Insignis Christianæ religionis apostata, magnis apud Caluinistas suos perfunctus honoribus, idemque ingenij & doctrinæ laude satis clarus (est ille Serranus, qui Platonem è græco latinum fecit) vi tandem veritatis oppressus ingenuè quidem Caluinum animo contemnebat, probabatque in omnibus Romanam fidem, veritus tamen suos & iacturam rerum caducarum, quibus animum iampridem suum prostituerat, sæpè à Nostris admonitus vt quod mente conceperat, proderet foras, diem ex die ducebat, quoadusque inopinata correptus apoplexia, nostro frustra ac serò accurrente, mutus incertusque moreretur, vt vel eius exemplo cæteri discerent Deum non irridere. Eum sua vxor, quæ illum maximè à sancto proposito reuocarat, paucissimis post diebus violenter abrepta, subsequuta. Pedagogum Catholicum ex oppido quodam expulerant Caluinistæ. Consules nullos nisi pestifera labe erroris infectos capiebant Nosocomij redditus tantum in suos vsus detorquebant: Missam iamdudum & cætera omnia sacramenta præscripserant. Actum à nostris est, vt supremæ Curiæ Senatusconsulto ludimagister iuuentuti, Consul saltem vnus Catholicis redditus, suo loco sacra templis redderentur.

CLAVDAM missione Sistercienſi hanc narrationem. Vrbs est in Prouincia, hæreticis satis peruia, septaque: Ea concionatorem vnum è nostris summopere expetitum, auidissimè accepit, non aduentu modò, aut Quadragesima, sed toto sæpe anno multis mensibus. Extitit operæ fructus. Transfugæ hæretici, ex eorum quos supra diximus, numero nouem Ecclesiæ restituti: præter conciones doctrina quoque Christiana assiduè exposita, tanta Catholicorum, Caluinistarumque (tametsi

Digitized by Google

metsi minis & pœnis à suis prohiberentur) frequentia, vt templo atrijsque multitudine obstipatis, Patri re infecta domum plerumque redire necesse fuerit. Iucundum ciuibus mirandumque spectaculum præbuit. Catechismi præsertim expositio, cùm in vijs publicis, pueros, puellasque, domi ad focum seruos atque ancillas, rusticos in agro, opifices suis quemque in officinis fidei nostræ capita cantare cernerent. Nulla res magis conturbauit hæreticos, vel erexit nostros, in quibus fuerunt viri graues qui faterentur æquiùs se deinceps altero brachio, quàm illa adeo salutari expositione carituros. Itaque cum Deo sacramentorum vsus qui planè illis locis obsoleuerat, est restitutus, Confessionis præsertim & Eucharistiæ, quorum mira ignoratio, mira contemptio. Sublatæ fœneratitiæ negotiationes, quæ illa parte ne in leui quidem vitio iam habebantur. Reuocata longo interuallo consuetudo diuini viatici ad ægros honorifico comitatu sub vmbella, accensis funalibus deferendi. Sublatæ superstitiones, quæ illis regionibus pridem insederant: atque inter cœteras, quod nemo auderet sexta feria communicare. Sedatæ inimicitiæ complures, præcipuè verò inter Principes Vrbis ordinisque tum Ecclesiastici, tum ciuilis, eorumque cognatos, qui periculosè iamdiu dissidebant. Constitit cerei agni, confessionisque vis fugato spectro quod à multis mensibus mulierem grauiter infestabat.

COLLEGIVM TVRNONENSE.

SENATVS Gratianopolitanus suum in nos amorem probauit cumulatè. Præfectis Vrbis ac Prouinciæ vtuntur non Catholicis: In illorum oculis nostrum concionatorem quem sibi

sibi Curia depopoſcit audiunt, nobis vtuntur familiariſſimè: neque per Delphinatum Ciuitas vlla eſt alicuius nominis, quę non aliquem è noſtris vel audiat vel expetat audiendum. Erat edictum Chriſtianiſſimi regis de pace promulgandum. Patrem Rectorem Collegij, Seriatis illę quem dixi, quo præconium de pace faceret, per literas accerſiit, atque cùm aliorum illis concionatorum abtindè tum eſſet, illum audijt ad eam rem à ſe accerſitum. Nempe nos amant ante omnes. Cæterùm tantus negotiorum æſtus nihil à labore noſtros abripuit. Audeo dicere plus etiam aliquanto profectum eſſe quàm antea. Hęretica labe maculoſi viri ac fœminæ varijs locis modiſque Deo redditi quinque ſupra viginti: nonnulli modo quodam ſingulari. Multis multorum morbis, ex quibus eorum animi diu laborarant, Noſtrorum opera eſt facta medicina. Duorum è noſtris labor non tacendus, qui damnatos ad remum ſupra quinquaginta, cùm hæc littora legerent eodem actuario ad miliaria ſex conſecuti, conſilio deſertos, ſolatio mœrętes, ſacramentis alia omnia cogitantes, ad Chriſtianam fortitudinem & ſordes animorum eluendas cohortati iuxta ſunt ac Dei beneficio perduxêre. In his vnus hæreſim abiurauit. Vrbis vnius atrociter coorta factio, qua ciues in diuerſa ſtudia, ſub duorum manu diſceſſerant, ſedata. Familiæ totæ iam annos quinque ſe mutuis diſſidijs conſumpſerant: omnia omnium ſacra, iudicumque interdicta contempſerant: vnius apud illos oratio inteſtinum malum euulſit penitus ex animis ſingulorum; adeo vt Scribę chirographo contracta conceptaque ſit pax inter inimiciſſimos. Simili exemplo Virginum Deo deuotarum repreſſæ ſimultates, quæque priuatas inimicitias miſerabiliter exercebant ad ſummam ſocietatem redière, quam inter omnes flexis genibus prouolutus vnus ex noſtris firmauit. Duo proiectæ ætatis non ante illum diem vnquam confeſſi, mentes expurgarunt

ſacramen

sacramento. Non paucæ superstitiones primum elusæ, tum etiam exclusæ: frænatæ multorum, quas iam vsus ipse corroborauerat, lutulentæ libidines. Plerique ab iniqua rerum alienarum vsurpatione deducti: plerisque de manibus excussæ quæ creuerant per nefas hæreditates. Militi summus ex anteactæ vitæ memoria natus dolor vitæ fastidium mouerat: is sacramentis ad sanum quietæ mentis gaudium adductus, religiosæ vitæ mentem adiecit. Multis locis fructuoso inuento mendicorum inopiæ consultum; fame, algore, malis omnibus passim plerique cum ipsa morte colluctabantur; vrbes vrbiumque vicos tetra vultuum imagine creberrimi obambulabant; pestilens prò ciuium ianuis grassabatur lues, atrociora timebantur: Nostrorum diligentia perfectum, vt nullos deinceps ostiatim, & vicatim concursantes ad emendicandum victum aut miserabiles videas, vel audias amplius eiulantes. Cives per capita viritim hospites Dei suis tectis accipiunt alunt que statis vicibus opiparè. Eosdem etiam quæstuosis artibus nonnulli curant instituendos, plerique Christiana catecheſi moribusque informant, omnes omnibus adminiculis leuant. Non paucis Nosocomijs census datus, assignatique per ordinem qui tum obeant, tum cibo ac domestico instrumento muniant. Carceribus redempti præter cæteros tres, quos perpetuæ calamitati manciparant ob æris alieni non dissolutam summam creditores.

P

COLLEGIVM DOLANVM.

IN hoc Collegio diem ſuum obijt vnus, is è fratrum numero qui Marthæ miniſterijs intenti, magna animi ſubmiſſione atque pietate duodecim ipſe annos acutiſſimis renum doloribus conflictatus eſt ſumma animi fortitudine, vt eorum ſedulitatem qui ſibi miniſtrabāt multiplici conſtantia & inſerto de diuinis ſermone prouocaret, ſtimularetque. Quam ſibi cordi ſemper fuiſſet obedientia ſuprema hora etiam verbis declarauit: tunc enim ſacramentis omnibus inſtructus, ad circunſtantes lectulum Socios obedientiam inter cæteras ita laudauit, vt ad eam præſentes cohortaretur, ſi tranquillitatem in illo rerū articulo, in quo eum viderent, ſibi partam vellent. Hæc ille qui deceſſit. Superſtitum & Dolæ & in vicinis vrbibus opera conſtitit: hæc vniuerſos attingunt. Pro templi anguſtijs ſatis magna frequentia eorum qui ad diuina myſteria accedunt, ſacra ſuppellex inaurato tabernaculo facta lautior non mediocriter enituit, interim ſtrenuè capacioris ædis vrgentur parietes & epiſtylia: faſtigium anno ſequente iri impoſitum ſperamus, ſi Dolanorum benignitatem duriora tempora non retardabunt: etenim tota moles eleemoſinis piorum adhuc ſtetit. Confeſſiones totius vitæ plurimæ auditæ: quibuſdam ereptæ concubinæ: mulierculæ aliæ è fornicibus extractæ, aliquæ ne ibidem, aut alibi pudicitiam ſternerent itum obuiam: inter diſſidentes pax conſtituta. Mille aurei vt minimum legitimis dominis, aut redditi, aut in pios vſus conuerſi: cum fœneratoribus actum vt ſuam potius pecuniam Deo fœnori darent, ſorte contenti ſua: ſuperſtitiones in Religionem mutatæ.

Digitized by Google

tatæ. Virgines aliquot, & alij mundo vale dixerunt Christum sequuti. Præter conciones nostrorum duobus in templis non parum grata fuit ciuibus doctrinæ Christianæ traditio, bis in septimana instaurata: nec pœnitendi qui è puerorum seruorumque institutione fructus capiuntur. Acceptior etiam populo, Senatuique Nostrorum expedita alacritas, in damnatis prosequendis ad supplicium, & aduersum mortem corporis & animi muniendis firmandisque. Feceruntque Nostri suis adhortationibus vt ad se redirent quidam, & æquo animo scelerum pœnas luerent: vt etiam duo hæretici abiuratis erroribus tandem veritati Catholicæ manus darent.

NVNC obiter missiones perstringendæ. Præter eos qui sæpe festis & dominicis diebus vicinos pagos obeunt concionando, duo in remotiora loca destinati Quadragesimæ ieiunio, & toto fermè anno, ab ijs eadem quæ ab vrbanis Concionatoribus & Confessarijs præstita. Vnus vt agricolarum, vinitorum maximè seruiret commodis, binas die conciones habebat. Primam ad rusticos antelucanis horis, vt maturiùs ad opus exirent diuini verbi pabulo recreati; Intererant frequentes benè mane, mille quingenti minimum quotidie: Altera concione paulo seriùs vrbana plebs excolebatur, eas conciones secuta quæ solent. Explicata pueris & seruis doctrina Christiana ter in hebdomada. Ter Sacerdotes oppidi de conscientiæ casibus edocti in septimana. A desperatione ad spem traductæ mulieres duæ: flagitijs opertæ, paupertate vrgebantur; locum ceperant è quo se in fluuium præcipites darent: occurrit Noster, & blandè appellans ad spem scelerumque expiationem reuocauit, vtriusque pudicitiæ & egestati succurrit piorum eleemosinis. Fratres capitali odio dissidentes, cum aperto ciuium discrimine reconciliati, periculum cædis depulerunt: duos item fratres alius concionator reduxit ad concordiam, persuasos vt ex

Digitized by Google

æquo inter se familiam & hæreditatem partirentur, eiusdem opera inter duo oppida fœdus ictum, quæ fuso sanguine pacem inter se factura videbatur. Centum pauperibus ter singulis hebdomadis & corporis & animi curata eleemosina. Sacramenti Pœnitentiæ vi grauiter ægrotanti parta salus est: aberat is diei iter à nostro Collegio, ac iam depositus, non desperabat tamen de valetudine si Confessario vno è patribus Societatis frueretur: instigabat animum diuinitùs iniecta cupiditas, vt animi medicus accerseretur, venit vocatus noster, menti non magis quàm corpori facturus medicinam. Vix confessionem iterarat, & iam vis morbi se fregerat; satis constitit omnibus morbos vt scelerum mulctam irrogari, tam citò vires & colorem recepit ægrotus.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

HOC anno pestis scholas nostras iterum dissoluit. Nihilominus (quoad licuit) opera ciuibus præstita. Auditus Ecclesiastes noster in maxima Vrbis parœcia longe frequentiore cœtu quàm antea alij. Exceptæ confessiones de tota vita quamplurimæ. In gratiam ex odio reuocati multi: amuletorum vsus superstitiosorum contra febrium & pestis vim sublatus, & in sanctiorem agnorum cereorum commutatus; à Magis & Dæmone in rerum iactura consulendo deterriti plerique; concubinam vnus: libros hæreticos, aut prohibitos multi, duo hæresim ipsam abiecerunt, & crebrò iam mysteria apud nos obeunt. Nostri pro Societatis charitate, ægris animis & corporibus procurandis non defuerunt. Inter hæc tamen cum incendium istud

istud Ciuitatem in dies vehementius peruaderet, à Nostris etiam ædibus non abstinuit, ac primùm domus Ministrum Patrem Benedictum Gerbæum, magna pietatis aduersus Deum, obsequij erga Superiores, charitatis in fratres laude insignem; deinde AEdituum ipsum, magna religione ac simplicitate fratrem Benedictum item nomine, vtrosque biduo: Patrem quidem ipso Assumptæ in cœlos Virginis festo die: fratrem postridiè absumpsit. Iis dum magno studio & incensa charitate Pater Renatus Coterellus ministrat strenuè, summa animi voluntate & alacritate id periculi ex obedientia suscipiens, intactus domi quamdiu fratribus ministrauit, dum tuguriolo in suburbano, quadragenario secessu, luem eluit, ac ardétius interim, sed incautius aliorum peste contactorum casulas obit, moribundosque consolatur & erigit, eadem quoque ipse pernicie correptus est, & paucis post diebus extinctus. Vir planè tam glorioso exitu dignus: qui mira simplicitate, humilitate, charitate ipsos viginti quinque annos ponere in erudiendo classis infimæ rudimentario puerorum grege, indefesso, constantique labore, iucundum sibi duxit, & glorioſum. Nostrorum aliquot cum ex ea trepidatione, in duos è Collegij Prioratus iussi essent secedere, quos domi non potuerunt, foris non contemnendos in rusticatione manipulos collegerunt. Cæterùm miraculo planè fuit, in tanta vel domi vel foris colluuione & promiscuo congressu, tamen non plures ex domesticis desideratos. Nec verò diuinam tutelam nos solùm, sed etiam nostra senserunt, Prioratibus nostris scilicet à populatione militari quæ nil integrum, vexante rerum omnium inopia, relinquebat, integris illæsisque conseruatis. Enixè in primis nobis fauente, & cauente Sereniſſimo Duce Sabaudiæ, qui in tot curis, quibus grauissimis & plurimis vrgebatur, nos tamen non reliquit in postremis, nec suæ liberalitatis nostris in angustijs esse

Digitized by Google

fuit expertes. Illius solita in Societatem nostram beneuolentiæ perdurant indicia: Patrem Rectorem ad domesticas conciones non semel adhibuit, continuo verò ad militares in castris vnum è nostris Sacerdotem, qui ex confessionibus frequentissimè auditis, periurijs aliis & huiusmodi sceleribus sublatis fructus retulit non pœnitendos. Cum pacis initæ gratia Legati Regis Franciæ publica gratulatione exciperentur, drama à nostris discipulis, vel in ipsarum Scholarum dissipatione dari placuit, in cuius apparatum quingenti circiter aurei à Principe (qui omnem fermè vestem actoribus accomodauit) sunt collati.

FORIS missiones quinque deductæ longè vberiore prouentu. Earum princeps ea fuit quæ fylueſcentem diu, & lernæa vicini Gebenensis lacus Mephiti corruptum pridem, repurgare cepit agrum: eò missus Sacerdos noster præter auditas complures, tum militum præsidiariorum, tum aliorum qui catholico ritu confessi nunquam fuerant, confessiones: præter pellices ijsdem legitimo matrimonio copulatas: præter odia mutua & inimicitias compositas, æris restitutionem, cæteraque alia eiusmodi vulgaria, extrema quam habuit ibi concione viginti supra centum à Caluini cœna ad Christi salutare epulum traduxit, & ducentis fermè à pestilenti ministrorum auditione in posterum reuocatis, lætus cum exultatione portans manipulos suos, domum reuertit.

SALANCHIIS, qua in vrbe de nostris vnus tota Quadragesima conciones habuit, doctrina Christiana quotidiè tradita, pecunia iniustis artibus parata reddita partim, partim in sarta tecta ruinosi cuiusdam tepli collocata: libri magici, hæretici, turpes incensi, Simoniæ inter laicos & Ecclesiasticos occulta species detecta quædam. Apud forum Segusianorum (Burgum in Bressia vulgò appellât) duorum è nostris Patrum eodem tempore eadem opera

Digitized by Google

opera fuit. Idem operæpretium: præter conciones quotidianas duobus in locis, in arce & Vrbis parœcia doctrina Christiana quotidiè explicata est, diebus festis insuper binæ ijsdem in locis habitæ conciones. Confessionum auditarum par fructus: Dissidia inter duos, quorum alter inimicum multo se diabolo peius odisse dictitabat, ita sublata, vt iam pro exitio (quod certissimum ab altero expectabat alteruter) coniunctissimis animis omni se officio inuicem studeant demereri. Publicè quidam, qua septennium pellice vsus erat, in templo sponsam ducere nostro suasu non erubuit: Alter quam vxori adhuc viuenti & videnti induxerat concubinam, certa cum pecunia & annuo vectigali ad se liberosque suos alendos, vxore reuocata, dimisit. Animis item corporibusque tum eorum qui publicis custodijs detinebantur, tum monialium S. Claræ, quà frequentibus exhortationibus, quà corrogatis eleemosynis subuentum. Addidit extrema nostrorum concio, vt magistratus publicas quinque lupas Ciuitatis pestes & corruptelas eijceret ex vrbe.

CHABLASIVM prouincia est Geneuæ proxima, totaque Caluinianæ hæresis infecta peste, ea est in Serenissimi Sabaudiæ Ducis ditione. Illius rogatu duo de nostris Sacerdotes eò missi mirum quantos ex positis ibi laboribus fructus tulerint. Eorum alter ad pagos perlustrandos, Catholicaque doctrina informandos ex Episcopi mandato missus, sexcentos bimestri spatio, qui hæresim ex præscripta ab Episcopo formula eiurarent, in Ecclesiæ gremium reduxit. Idem Terniaci (Prouinciæ Gebennæ proximæ id nomen) trecentos sexaginta sex paucis diebus eodem ritu & cœrimonia hæresim execratos Catholicis adiunxit: Vbi & Episcopi permissu duos pro pellicatu decenni, legitimo matrimonio coniunxit; ab alijs pellices auulsit: matrem filiamque longo & acri odio dissidentes in gratiam reduxit, Ministrum congredi ausum, ita

Digitized by Google

accepit, vt ad multa absurda adductus, cùm quò se verteret amplius nesciret, certamen abnuere cœperit, & pugnam vnquam in animo sibi fuisse, turpissimè negauerit.

CHABLASII & Terniaci multi ad hæresis execrationem, à pueritia repetitam vltima, aut à saxaginta, septuagintave annis non vsurpatam confessionem, vnà cum fidei professione adiecerunt. In pagis ab eodem sæpenumero res diuina facta, vbi à septuaginta annis & supra Sacerdos conspectus non fuerat. Doctrinæ Christianæ tradita rudibus capita; & pro vanis cantilenis toto eo tractu decantata; agni cerei distributi, & magna religione suscepti: multi ab eo infantes sacro baptismate abluti: in templis, quæ hæreticorum rabies aut euerterat, aut incenderat, ab eodem decem, vndecimque erectæ aræ; quas secum eò adductis Parochis qui his in locis postea sacrificent, Episcopus ipse, perlustrata vt potuit & licuit diœcesi, consecrauit. Idem Sacerdos dum de more pagos lustrabundus circumcursat, & in ipsis prope Geneuæ portis, tertio aut quarto ab Vrbe lapide conciones habet, rem diuinam facit, paganos ab hæreticis ad Catholicos sollicitat, erudit, vrget, intactus adhuc illæsusque, diuino scilicet seruum suum protegente numine, perstitit. Lulini (pagi nomen est) rustici cuiusdam decumbentis, & annum iam octuagesimum excedentis confessionem in tempore excepit, & cum grandæuus iam instar alterius Simeonis, Christum Domini, antequam de vita abiret videndi, vlnisque pectoris complectendi flagrantissimo desiderio teneretur (Catholicus enim erat is, & ita ad decimum tertium ætatis annum à parentibus institutus, sed ritu Catholico, penuria Sacerdotum, nusquam sacrum hoc epulum celebrauerat) extremum hoc ei salutare viaticum secundo à Lulino milliari Montarbanum, obstructis altissima niue itineribus magna sanè corporis molestia, sed incredibili vtriusque animi voluptate

ptate detulit: in fideque & pugna illa suprema eundem IESV subinde nomen inclamantem confirmauit.

TONONI, quæ Chablasij caput est, & iã pro Geneua Episcopi facta sedes, Sacerdos alter Dominicis festisque diebus; in Aduẽtu verò ter singulis hebdomadis cõciones habuit, eo fructu, vt saxaginta relictis Caluini castris ad Catholica signa se receperint, libros que nefarios flammis injciendos attulerint quamplurimi. Christianæ disciplinæ elementa pro cõsueto Caluini catechismo magno fructu ab eodem explicata: moribũdi aditi, adiutiq; in tempore: & excõmunicationis vinculis exsoluti plerique. Denique cum Gebennenses ministri, ante nostrum in dioecesim aduentum, velut insultantes, Catholicos quotidiè importunè lacesserent; ex quo Nostri huc intulerunt pedem, eorum ita mirum in modum repressa insolentia, & cachinnus est; vt iam ne mutire quidem audeant, & cum dies certamini dictus esset non comparuerint; quin vltrò postea à Catholicis lacessiti responderunt, se quidem affuturos, dum Iesuita abesset; & is quem illi deposcebant (is è Nostris non erat) solus cum ipsis in arenam descenderet, solus interrogaret, solus interrogatis responderet: atq; huiusce metus testis Theodori Bezę manus & sigillũ etiamnum adhuc Tononi tenetur. Tantum videlicet Gebennenses concionatorculi à nostris hominibus metuũt; quo fit vt Episcopus nostri amantissimus, se totum nobis committat, aliumque neminem ad habendas in summo templo conciones adhibeat aut ferat; & denique quicquid authoritatis iurisve penes se sit; id quoad potest, nobiscum communicatum & impertitum velit. Subductus conuersarum animarum numerus quadringentesimum fermè supra millesimum excedit, præter ingentem turbam, quæ iam alba est ad messem.

Digitized by Google

COLLEGIVM BISVNTINVM.

VT in recenti adhuc, & paruo Collegio; habet enim è Nostris non plures sedecim, haud exigui fructus extitére hoc anno, cum foris, tum in benè ampla Ciuitate. Vrbanos primum strictim commemorabimus: Adeo non refrixit moderatorum ciuitatis propensus in nos animus, vt ad quatuor Scholasticorum ordines, quintum addiderint; & quorundam etiam liberalitate vicinis hortis coëmptis sit amplificatum domus nostræ solum. Primarius quidam Ciuitatis ac diues superioribus annis obstiterat, incertum qua causa, ne Nostri hic essent, imo suis sumptibus receperat, curaturum se Parisijs, qui Collegio præessent, magistros numero & eruditione præstantes: id multoties per litteras cum tentasset, hoc tandem Lutetia responsum habuit; Nullos æquè idoneos iuuentuti instituendæ inueniri ac Societatis homines. Obstupuit ita suos irritos esse conatus, & ingentia promissa contemni. Quare cœpit in aliorum de construendo Collegio Societatis, ire sententiam, & modò Nostri studiosus est. Concionantem nostrum tota Quadragesima audiére præter consuetudinem quamplurimi, nec mediocres animorum sensus ad omnem pietatem secuti sunt. Ita verò crescit sacramenta frequentantium numerus, vt vno Diuis omnibus festo die, ad 600. mysteria participarint. Noua omnino Vrbis facies, quam etiam vicini populi suspiciant. Ad Parthenicam congregationem quæ constat ex ciuibus, ea est facta Sodalium accessio paucis mensibus, vt supra 60. numerentur. Scholastici in sua lõgè plures, probatæ illi pietatis, & crescit in dies numerus, vt è vicinis etiam oppidis non pauci

Digitized by Google

pauci admitti se cupiant. Adolescens morti proximus multis lachrymis Sodalitatem expoſcit, adſcribitur, extemplò morbus à concepto deſiderio remiſſus, & correcta ſimul adoleſcentia eſt. Quo verò tempore magna pars hominum compotationibus intemperanter ſeſe ludiſque immergit, ita moti ſunt Sodales ad exemplum hîc inauditum prodendum, vt ſanè non mediocrem excitarint ſui admirationem. Lautum ſane, vt pro bacchanaliorum tempore, pauperibus inſtitutum conuiuium, quo 20. ſupra 100. alerentur, ſuis omnia ordinibus digeſta confectaque. Nam præterquam quòd ſe Sodalium profudit liberalitas; in officijs quoque ſordidis atque humilibus procurandis, & obeundis, non ſine pia quadam ambitione, pietas enituit. Sodalis demortui obitum paucis ſcribo. Is præter loci conſuetudinem ſtatim ac morbo tentari ſe ſenſit, ſacramenta ſuſcepit auidè, & vultu ſemper hilari, ſuauiſſimè de Deo dum verba facit frequenter viſitur à multis, quibus imitandi ſtudium excitabat. Adeſt interea dies vltimus, cùm aduigilãtibus ęgro ſodalibus quibuſdã, de repente in pugnam cum dæmone deſcendit, ex vocis contentione, vt audirentur hæ voces: Non te offendam, Domine, non te offendam. credo. credo. opitulare Virgo Maria: Ieſu bone miſerere mei; adiuua me, & ſimiles; manu interim ita crucem vibrabat, vt ſi manus cum aliquo conſereret. Tandem velut è magna contentione reſpirans, ter, victoria, ingeminat. Rogatur quid tandem rei? quieto reſpondet animo, à ſe quoſdam prę euntes videri, quos exoptaret & ſubſequi, ſi non conſequi: Angelos, interrogatus, fuiſſe dixit; ad quæ verba placidiſſimè obdormiuit in Domino. Eſt & inſtituta ab Noſtrorum vno catecheſis in æde D. Pauli, in qua qui vidiſſet à 24. annis pro ſuggeſtu docentem aliquem nemo fuit. Ipſi Parthenij Sodales ab explicatione pueros allectare imaginibus, eoſque docere, & quædam matronæ honeſtæ puellas deducere, excitare,

Digitized by Google

tare, instituere in tradenda Christiana doctrina. Trimestri ibidem peracto data præmia, non sine puerorum æmulatione. Tum aliam in curialem ædem inuectus Catechismus maiore auditorum numero, propositis pro instituto præmijs post tres menses. Et sic deinceps alijs in Ciuitatis templis facere speramus. Adiutus qui capite damnatus erat; is obfirmato cùm esset animo, ne delatoribus iniuriam remitteret, primo Nostrorum congressu remisit, iudicemque vt id illis referret est obtestatus.

ACCIDIT etiam ad Dei laudem, vt cum aliquot ante annis quæ Sanctæ Claræ familiam exoptaret vix reperiretur: ita modò plurimæ ad hymeneos illos agni purissimi euolare percupiant, vt præter sex hoc anno admissas, sint supra 30. ad fores paratæ thalamum illum cum sponso ingredi. Adolescentum non minor ardor ambiendis varijs religiosorum familijs, è quibus vnus Cartusiensem, mirabili morum mutatione est ingressus. Hoc verò de Scholasticis, eos supra 500. esse quorum vnus nullo hortãte pauperes in Xenodochio cœpit fidei rudimenta docere: alius matri, Si pater, inquit, meus ira æstuans, Societatis Patres frequentaret, feroces deponeret animos breui. Quod dictum cassum non fuit. E multis locis ita Nostri vocantur ad vineam Domini excolendam, vt in tanta Nostrorum paucitate vnus omnino ad paucos dies sit coactus excurrere. Erat proximus hæreticis, & tamen ita rusticorum ingentem turbam offendit illæsam ab omni errore, vt quæuis Ecclesia suum penè habeat Catechistam, ex legibus cuiusdam Sodalitatis per nostros aliàs institutæ, vbi præter conciones habitas, ea confitentium erat multitudo dies noctesque, vt fuerint qui ad tres quatuorve dies patientissimè expectarent, confessionis si quà pateret via. Ibidem & grauissimè dissidentes in pristinam reducti concordiam salutari exemplo. Ea præterea

Digitized by Google

rea sunt Nostrorum opera inter coniuges sublata maleficia, vt ingentes nobis gratias egerint.

COLLEGIVM ANICIENSE.

OTO anno festis diebus habitæ conciones duobus in locis; Aduentus tempore in Vrbe quotidie, magno ciuium concursu. Christi Domini natali die octingenti, octaua eiusdem mille in templo nostro diuina sacramenta ceperunt. Confessiones exceptæ de tota vita plurimæ, ab vno intra paucos dies centum. Adfuerunt Nostri detentis in carcere, moribundis in lectis, morte mulctandis in patibulis; tradita pueris ac rudibus catechesis: mores in melius mutati; malè parta restituta: nam alij trecentos, sexcétos alij, ac septingentos aureos Nostrorum hortatu reddiderunt. Haud leuia inter quamplurimos odia restincta sunt. Vnus cùm multos annos vlciscendæ iniuriæ occasionem captaret, & non modò sacramentis abstineret, verùm etiam inter precandum petitionem illam (& dimitte nobis debita, &c.) omitteret; à Nostris inductus, vltrò inimicũ recõciliationis ergò cõuenit. Vitandi peccati remedia alius aut negligebat, aut certe non ea qua par erat cura adhibebat, adolescens alioquin ad pietatem propensus; huic astitit de nocte Beata Virgo, grauique oratione castigauit: quo nouo spectaculo territus de lecto desiliit; & ab illa minas nisi resipiscceret intentante, prouolutus in genua, veniam supplex postulauit, audire & exequi paratus quidquid illa præciperet; tum misericordiæ mater placari visa subitò disparuit, ac iuuenem magno amore virtutis, pariqué odio peccati incensum reliquit.

ALI

Digitized by Google

ALIQVOT hæretici fidem Catholicam, à qua viginti & quadraginta annos abhorruerant, noſtris ſuadentibus amplexi ſunt; vnus quidem cum annos triginta pertinaciſſimè adhæſiſſet Caluino; morti proximus à noſtro Sacerdote inuiſitur, praua dedocetur, in vera fide inſtituitur, ab hæreſi cæteriſque peccatis confeſſione peracta abſoluitur, ſacramentiſque recreatur: denique ſuis cum bene precaretur, eos hortatus eſt vt in Orthodoxa fide perſiſterent: ac Chriſti in cruce pendentis imaginem religiosè complectens, non minori Catholicorum lætitia quàm hæreticorum dolore animam Deo reddidit. Nequam ſpiritus puellam aliquot annos vexauerat, modò ſe illi exhibebat in ſpecie auunculi in bello cæſi, ſacrificia, eleemoſinas, aliaque ſuffragia vt ab igne purgante liberaretur flagitantis; modò habitu peregrini ſuſcepto, nudis tamen pedibus cruentis & vlceroſis, & ad eos contegendos calceos aliaque poſcentis: cuius voluntati quo diligentiùs ſatisfacere nitebatur, eò in dies importunior euadebat. Venit illa Anicium, actum eſt exorciſmis cum veteratore, quibus adactus eſt vt non aliena ſed ſua ſe forma, ignitam videlicet rompheam miſellæ intentans, maximeque in templo, exhiberet: ita enim illi ſe diuinis rebus intentæ obijciebat, vt nec ſacroſanctam Euchariſtiam intueri ac venerari, nec concionatorem videre poſſet: poſtquam verò pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta cœpit apud nos frequentare, ſenſim vis Tentatoris emarcuit, vt alius non poſſet quàm ceream imaginem, granum piaculare, & alia ſacra præſidia, quibus à Sacerdote noſtro donata fuerat, exprobrare, & hoc vnum flagitare vt vrbe relicta, ad ſe certum in locum magnum aliquid conſecutura, contenderet: ſed luſſa cùm eſſet eum conſpuere, nec reſponſo dignari, irritas ſuas artes & fraudes intelligens, palam dixit ſe diutius apud illam non poſſe verſari: qua re finem vexandi fecit.

EX

Digitized by Google

EX ijs qui pietatem apud nos exercent, virgo quædam erat, de cuius modestia, & singulari in perferendis domesticorum propter virtutis studium contumelijs patientia, cilicijs, ieiunijs, orandi assiduitate, incenso in Deum amore, & animarum zelo, multa dici possent. Hæc leui morbo correpta, quem sibi fore prænunciauit extremum, diuinis illicò sacramentis ad migrationem se muniri postulauit, nullum per sex, septemve dies, quibus decubuit, verbum ex ore eius nisi pium audiebatur; attollentem illam aliquando in cælum oculos, & leniter arridentem, vir quidam pius, qui astabat, risus lætitiæque causam cum rogaret: An non, inquit, illa videtis Angelos? denuò cùm eundem gestũ præseferret, & causa quæreretur, Non cernitis, inquit, beatam Vrsulam, cum vndecim millibus Virginum? hunc dubio procul sacratissimum chorum meruit casta Virgo in morte præsentem habere, quem toties cum viueret sibi adesse petebat, eo siquidem nomine diebus singulis vndecies orationem Dominicam recitare consueuerat. Postremò cùm eam oleo sacro vnxisset Sacerdos, omniaque perfecta esse dixisset, Quid igitur diutiùs, inquit illa, in hac vita detineor? cur non ad Dominum meum festino? Has inter voces immortalisque vitæ desideria tam placidè migrauit, vt dormientis potius quàm mortuæ speciem color & vultus referre videretur.

VIGENT in schola exercitationes litterariæ, Nostrorumque in hoc genere industria è remotissimis locis eliciuntur adolescentes. Quingentos numerauimus, multoque plures ventitassent, eos nisi metus proscriptionum deterruisset. Rogatu Episcopi datus est pater qui casuum controuersias sacerdotibus exponeret; lectissimos ex auditoribus fouet, & in pietate instituit. Parthenica Sodalitas in duas iam tributa est, vt in alteram prouectiores: Scholastici, pedagogi atque etiam ciues adscisceretur.

Quidam

Digitized by Google

Quidam emisso voto in eam ingrediendi è morbo quo detinebatur conualuit.

MISSVS est in pagum quendam Sacerdos, id magnopere flagitantibus viris primarijs, vt cum prœcone Caluinista manus consereret; conseruit efficaciter magis quàm gloriosè; quid enim prædicandum, cum homine audaci quidem, & apud suos magni nominis, sed imperiti dimicare? Constantiæ tamen & industriæ fuit sic hominem vrgere, vt eum attonitum, fractum, exanguem coacti fuerint fratres consistoriales ex acie abducere, in qua fortasse vitam cum existimatione reliquisset. Is tamen vbi respiranit, vulneribus etiam recentibus, quibus magna fui ignominia fuerat affectus, victoriam passim gloriabundus iactitabat, quid istis hominibus facias, qui nec vincere possint, nec victi tacere.

MISSI Quadragesimæ, & Aduentus Domini nostri ferijs in quædam Gabalitanorum oppida tres, cum adiunctis socijs, concionatum: quorum non infructuosi labores extiterunt: Nam in oppido cui nomen Mazzaiono, vbi Caluinistę potiores iampridem obtinuerunt, mirum in modum erecti & in recta fide confirmati Catholici; cum prœsertim viderent insultantes priùs hæreticos, nostri concionatoris opera attonitos, atque debilitatos, ipsorumque Doctorem prouocatum licet sæpius nunquam ausus in arenam descendere.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS AVENIONENSIS.

NOVITIIS tredecim hoc anno Tyrocinium auctum est. Vnus ex ijs vix annum vndeuigesimum natus, desiderio Societatis ardens, cùm à matre flagitaret, vt sibi liceret votis facere satis, quoniam ea conditione esset admittendus, eam pro eximia in Deum pietate non reluctantem inuenit, sed metuentem potius ipsi defectionem. Itaque valere iussa, eum multa benedictione, cilicio, & corona qua ipsa vtebatur, abeuntem donauit.

Digitized by Google

PROVINCIA BELGICA.

CENSENTVR in Prouincia Belgica distinctæ sedes duodeuiginti, cum aliquot missionibus. In his versantur Socij 474. ex quibus 220. sunt Sacerdotes. Collegio Louanienſi continentur omnino 51. Sacerdotes ex his 17. studioſi Theologiæ 19. reliqui Coadiutores. Tornacenſi 59. ex quibus Sacerdotes 16. Præceptores quatuor, reliqui aut Coadiutores, aut Societatis candidati. Audomarenſi 36. è quibus Sacerdotes 16. Magiſtri tres, caſuum studioſi 10. Coadiutores 7. In eadem Vrbe Seminarium est Anglicanum è Noſtris nouem complectens, Sacerdotes sex, studioſum vnum caſuum, reliquos Coadiutores. Duacenſe constat perſonis 35. Sacerdotes in his sunt 15. Profeſſores sex; Philoſophiæ studioſi quatuor; adiutores reliqui. Antuerpienſi Collegio continentur 28. ex quibus Sacerdotes 15. Profeſſores 5. studioſus vnus; Coadiutores 7. Leodienſi 34. ex quibus Sacerdotes 17. Profeſſores quinque, Coadiutores reliqui. Brugis numerantur 19. Sacerdotes 11. Profeſſores 3. Coadiutores reliqui. Ipris sunt 18. Sacerdotes 8. Profeſſores 5. totidem coadiutores. Cortraci duodeuiginti, Sacerdotes 7. Profeſſo

Digitized by Google

fessores 4. reliqui Coadiutores. Gandaui 21. Sacerdotes 8. Professores 5. studiosus vnus, Coadiutores 7. Valencenis sunt 19. Sacerdotes 10. Professores 4. Coadiutores 5. In Collegio Insulensi versantur 26. Sacerdotes 14. Professores 5. Coadiutores reliqui. In domo Montensi 24. Sacerdotes 14. Professores 3. Coadiutores 7. Residentia Bruxellensis, cui Castrensis missio coniuncta est, complectitur è Nostris 30. Sacerdotes 19. Coadiutores 11. Cameracensis residentia omnino 7. Sacerdotes 4. Coadiutores tres. Totidem resident Luxemburgi, Sacerdotes 3. Coadiutores 4. In missione Hollandica tres sunt dumtaxat Sacerdotes. Ad alias regiones missi Sacerdotes 4. Coadiutor vnus. Sex vita functi. Ad Societatem admissi 38. Nunc de singulis aliquid sigillatim dicendum.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

MORTALIBVS ereptus est P. Ioannes Leidanus, annos natus 60. qui post præclara religiosæ patientiæ in diuturnis ægritudinibus tolerandis documenta, Nostris decedens exemplum, externis sui desiderium reliquit. Initio huius anni ex antiquis ædibus in nouas ampliores ac commodiores, quæ in ipso Academiæ gremio sunt, facta commigratio; in quibus templum amicorum liberalitate accõmodatum & ornatum. Aduocitat loci commoditas plures, qui in eo sacramenta suscipiant. Hinc numerus duplo maior in die Diuis omnibus sacro apud nos visus, vt à summo mane ad meridiem, Sacerdos qui sacram synaxim porrexit, vix quieuerit. Vtilis opera in confessionibus excipiendis posita. Excepit vnus generales centum, & in his

Digitized by Google

annorum 50. ab alio 70. auditæ. Vsurarij contractus resciſſi, in quibus vnus florenorum amplius mille : vtiliter in Noſocomijs opera collocata. Ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reuocati ſeptem. Quidam in hæreſi enutritus pertinax, imo ne monita quidem admittens, manum tandem dedit, iamque litteris operam nauat. Tres alij abiurata hęreſi conſtantes perſiſtunt : reliqui tres ex ſeptem generali vt cęteri confeſſione præmiſſa, eum quem in ſacramento negauerant, piè ſuſceperunt ; in eoque ſancto exercitio perſeuerant. Ad erudiendos in fidei principijs rudes nunquam ex hoc Collegio aut docentium numerus maior, aut fructus vberi[illegible]. Illis Archiepiſcopi Mechlinienſis litteræ ad Paſtores plurimum profuêre ; profuêre & res piaculares liberali ſumma, ætati teneræ exeitandæ ab amicis procuratæ. Fructum teſtatur frequêtior in obeundis diuinis concurſus. Pagus quidam qui excepto Paſcatis tempore omnino tres cœleſtibus epulis accumbentes numerabat; centum & quinquaginta, die Sanctorum omnium celebri ſuppeditauit. Ventitant alij ex pagis remotis domum noſtram ſacramentorum cauſa, quod à fratribus noſtris ea conferri non poſſint. Tam mirum illorum, etiam nobilium in noſtros charitas, vt eos ſi quando dimittendi ſunt, lachrymis perſequantur. In puella quadrima, cerei benedicti vis in ſpectris effugandis probata. Exercitia ſpiritualia vtiliter tradita. His medij anni ſpatio, è Noſtris vnus 17. ſic perpoliuit, vt Societati noſtræ nomina dederint quinque, Capuccinorum ordini duo, vnus Auguſtinianorum inſtitutum meditetur. Sacerdos cum pellice ad hæreticos transfugerat, ductus pœnitudine, & hiſce exercitijs perpurgatus, Chriſti rem cum ſalute animarum conſtanter permouet. Accepit alius redeundi occaſionem, quòd in ſuis concionibus Pſeudoapoſtoli, dum IESV nomen venerabile crebrò pronunciant, ei nullam capite diſcoperto reuerentiam exhibeant,

Digitized by Google

beant, cùm tamen litteræ sacræ testentur, In nomine IESV omne genu flecti, cœlestium, terrestrium, &c. Hæc salutis initia, spirituali commentatione roborata hominem frugi reddiderunt. Idem cum Deo secessus vagabundum ac desertorem monachum summi Pontificis manum fugientem Deo, Ecclesiæ, religioni restituit, Nuncij Apostolici gratia & auctoritate.

COLLEGIVM TORNACENSE.

HIC concionum fructus. Sanctimoniales omnem proprietatem abiecerunt, collatis omnibus in commune quæ penes se velut propria retinebant. Suo quoque manipulo non caret Christianæ doctrinę traditio. Excitatæ sunt in hac Vrbe à Senatu Scholæ quas regunt ad informandam iuuentutem puellæ graues, & modestæ. In his instituuntur à Nostris puellulæ in fidei rudimentis. At etiam maiores eò confluunt, puellarum præsertim industria allectæ. Hæresi quædam infecta, vt veniret, victa est, & salubriori hausto medicamento virus euomuit; quod hisce scholis ad extremum vsque spiritum, acceptum tulit. Altera flammas experiri potius quàm religionem Catholicam complecti testata, tumentes animos religiosè depressit, ac veritati paruit. Persequebatur altera hasce scholas, probris & maledictis eas incessens, diris autores earum deuouens; digito Dei tacta, in Clarissarum numerum cooptata exemplo est plurimis. Nec mirum si in has Dæmon, & eius administri fremant: Ex his enim educuntur tanquam nouæ plantæ, quæ euulsis antiquis erroribus, in vitæ probitate hac in Vrbe à memoria hominum profligata, suc-

Digitized by Google

creſcant & ſurculos producant. Ad duas & viginti, reluctantibus parentibus (hæreticis etiam quibuſdam) mundo nuncium remiſere, familiæ ſuper viginti harum conſortio inſtitutæ nouam vitæ rationem inierunt. Exercitijs ſpiritualibus ſuus quoque fructus non defuit. In caſſes Domini, nobilis quidam ſeſe induci ac vinciri hiſce ſanctis vinculis permiſit, religionem voto ac deſiderio complexus.

COLLEGIVM AVDOMARENSE, ET SEMINARium Anglicanum.

FELICITER hoc anno ſcholæ quæ ingentem quà bello, quà peſtilentia acceperãt cladem reſtitutæ. Multi, quibus ad cor Dominus in ocio ac ſeceſſu ſancto locutus, nouam viuendi rationem inſtituerunt. Quorum vnus domi nobilis, relicto in hac Ciuitate ſuaui ac grato odore nouæ cõuerſationis, Societatem noſtram iniit. Miſſiones perutiles ad Vrbes quinque adiacentes inſtitutæ, in quibus & deſiderium Societatis relictum, & animorum motus & morum mutatio non vulgaris. Velitationes ad pagos nonnunquam frequentiores à pacis promulgatione, neceſſitate hac per bellum (quod in belluas homines commutat) inducta. Sex è noſtris ſuper triginta pagos complexi incredibilem fructum pepererunt: perpulchrum videre ſacris diebus etiam in officio veſpertino, quod omnino negligebatur; templa hominibus referta, præſertim vbi catecheſis expectatur; tanta eſt Noſtros audiendi auiditas & deſiderium. Monaſterium Deo ſacratarum Virginum eſt, quod mirum quantum opera noſtra beauit. Eliminata

Digitized by Google

minata est ex eo, cœnobiorum pestis, proprietas; secularibus adeundi, Virginibus exeundi libertas, arcta, spontanea tamen clausura coercita: omnis simoniæ species ad impetrandam admissionem sublata. Reuocata animorum concordia: reuerentia erga superiores; rerum diuinarum studiosus & frequens vsus; disciplina denique religiosa egregiè restituta. Non defuit Nostrorum auxilium extremo afficiẽdis supplicio. Quo in genere fuit illustris trium mulierum quæ ementito habitu & nomine se AEgyptias dicunt, conuersio. Hæ ob furtum sacrilegiumque captæ, vbi eis sententia prolata, in rabiem versæ, nullam vitæ bene terminandæ spem relinquebant. Furore paulatim deferuescente, admissis Nostris, in fide & moribus instructæ, feliciter cum omnium gaudio & gratulatione mortem excepêrunt. Dissidia ac inimicitiæ, quæ multis annis insederant animis, extinctæ. Compositæ lites magni momenti, quę omnium iudicio inextricabiles finem nunquam habituræ videbantur. Florent in hac Vrbe tria seminaria, quæ Scholas nostras vehementer nobilitant. Primum Bertinianum à fundatore nostro b. m. Gerardo Hamericourt pauperibus studiosis erectum. Alterum Canonicorum est, qui prædecessorum liberalitati insistentes in dies vectigal augent, ijs educandis qui suo tempore Ecclesijs curandis præesse poterunt. Tertium Anglicanum Philippi II. Regis liberalitate institutum, de quo nobis iam dicendum erit.

SEMINARIVM Anglicanum eum sparsit odorem virtutis ac profectus in litteris, & moribus informandis, vt nullus propemodum sit in Anglia Catholicus, qui in eo filios educari non magnopere desideret. Is etiam animus pueris veniendi est, vt dulcissima patria, atque parentibus posthabitis, in maris hostiumque pericula se conijciant siccis oculis, & parentum immemores. Creuit domesticorum numerus ad centum

Digitized by Google

& sex,quos haud dubiè diuina aluit prouidentia. Obijt vnus hoc anno de sanguine regio, maior pietate & ingenio quàm ætate & corpore:cui & in vita & in morte humani generis hostis struxit insidias: sed infatigabilis obstitit puer,atque de eo ante mortem,vti Nostris indicauit,triũphauit.Tres ex Anglia à suo Pędonomo per Galliam deducti ab eodemque, fidum viæ comitem arbitrabantur, insidias passi in conspectu propemodum Vrbis huius.At dum pecunias tollere vult, clamatum: Captus est à rusticis prædo,& in carcerem coniectus:Nostrorum precibus liber ad Seminarium venit, vbi institutus in fidei rudimentis, totius vitæ confessionem fecit, & cibo refectus; ac pecunia, quæ ei alioquin pro mercede laboris debebatur,donatus, in patriam redijt, gratias agens Deo quòd in tales incidisset,qui pro malefactis beneficia rependerent.

COLLEGIVM DVACENVM.

PRAECLARA domi,sed communia facta; præclariora foris. Excursum in ciuitatem vicinam. Is motus ex concionibus excitatus vt centum Noster confessiones generales exceperit eorum,qui nihil se fecisse arbitrantur, nisi alios ad idem præstandum induxerint. Miles abiecta pellice honestas nuptias secutus. Octo cum magno sensu & fructu spiritualibus exercitationibus exculti. Decem Deo dicatarum Virginum,quæ infirmis opitulantur,dum à Nostris Nosocomia visuntur confessiones generales exceptæ. Animi dissidentes in amicitiam redière. Nobiles, fratres, maritus

Digitized by Google

maritus cum vxore animis corporibusque seiuncti, etsi egrè, manus tamen amicas dederunt.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

FLORES egregios Scholæ nostræ hoc anno dederunt eruditione & pietate illustres, quorum decem varijs religionibus nomina dederunt. Aucta bibliotheca: sed magis ornatus templi cortinarum magni valoris accessione. Militum propugnacula vicina Nostrorum caritatem experta; concionibus, consilijs, confessionibus aures dederunt. Restitutiones æris alieni factæ non vulgares. Concordes euasêre nobiles familiæ quatuor, quæ in mutuum ibant exitium. A turpi ad honestam vitam reuocatæ plures; Duæ quæ se prostituerant; aliæ à septenni adulterio; à concubinatu aliæ duæ: quarum altera sexennium, altera triennium in hoc cenoso volutabro absumpserat. Adolescens consuetudine concubinę sexennio amplius infamis, expiata per confessionem fœdè decursa vita, magna amicorum suorum voluntate, eam tandem susceptæ prolis matrem duxit domum. Tres denique pellice reiecta, qui ante adulterio assueuerant, castam vitam amplexi.

Digitized by Google

COLLEGIVM LEODIENSE, CVM MASECANA, ET HOIENSI Missionibus.

HVMANIS rebus ereptus est P. AEgidius Ruetius, in confessionibus excipiendis & rudioribus erudiendis infractus, eo die ac fermè hora qua Seruator noster morte sua collapsum genus humanum erexit, ác restituit. Permouit Nostros graui verborum pondere ante decessum, omnes ad labores Christi in eius vinea subeundos adhortatus. Laborum nostrorum hic fructus, vt supra bis mille quandoque sacris epulis se reficiendos offerant. Scholæ in dies noua capiunt incrementa, iamque septingenti quatuor classibus numerantur. Alumni Parthenici Sodalitij nihil de solito remittunt feruore. E quorum numero lectus adolescens periculoso morbo prostratus è lecto (vt potest) repens, patris sui pedib. aduoluitur supplex. Annuit pater vir eruditus filij petitioni: Postulata charta filius tremula manu votum cõscribit, ingressurum se Societatē IESV, si ei Deus sanitatem restituat: hanc mentem à nullo mortalium, sed à Deo solo iniectam affirmans. Conualuit iuuenis, & nunc in classe sua studia prosequitur. Visuntur Leodij quãplurimi, qui carbonibus ex fossis eruendis eiectũ quęritant: eorum miserrima vitæ cõditio: quippe qui ferarum more in antris & abditis terræ visceribus, vincti cathenis, totos dies vix oculis cœlum, cœlites mente haudquaquam tota vita intuentur. Deterior sæpè illorum exitus erumpentibus non rarò aquis ex venis subterraneis quæ imparatos ac euadere nescios absorbent

Digitized by Google

sorbent. Nouissimè id accidit desideratis non minus duodeuiginti. His per catecheses lux veritatis allata, comparatæ etiam eleemosinę quibus illorũ inopia subleuata est.

MISSIO Masecana ex hoc Collegio prodit; cursumque tenuit hóc anno exoptatum; & si pardus colores non mutet, hanc ciuitatem mutasse qui ante viderit ac nouerit, asseuerabit. Id in ea singulare. Consules ac Senatores emissa sigillatim fidei professione, sacramentis frequentandis operam dare. Recusauit vnus, ideo à Senatu petendo excluſus est. Cumque lues æstate & autumno, integris vndique locis vicinis, Masecam cingeret, contagio tota vrbs tacta non est, huius solius excepta domo, qui fidei professionem edere recusarat, omnibus diuinam prouidentiam denotantibus. Hæc etiam missio suis velitationibus non caruit. Excursum Stochemium: instituta iuuentus: Pastori ac Ludimagistro vt prosequantur persuasum. Magici libri atque hæretici vulcano traditi. Hamucium quoque ac Brea Leodicæ ditionis oppida religionis sua habuêre à Nostris subsidia. Oportunè sane, nam aut Pastores deerant, aut ignari linguæ vernaculæ. Excluſus Magister ludi alioquin admittendus, qui hæreticus cùm esset, sua industria ac dicendi copia omnibus sese probauerat.

FELICIBVS auspicijs Missionis Hoiensis progressus respondit. Taceo quæ communia sunt. Fructum ex hoc collige. Vsum sacramentorũ solito longè frequentiorem. Vno mense 20. confessionibus generalibus aures datæ. Purificatæ Virgini Die sacro, etsi bacchanalia in illum diem inciderent, apud Nostros supra 80. in alijs locis quamplurimi, cœlestes epulas quæsierunt. Cuidam cœnobio forma ea reddita, quam & antiqua regula, & Tridentina Sinodus expresserunt. Vir honestus audita pro cõcione Seruatoris nostri in perferendis iniurijs patientia, extemplò coram Pastore testatus est se inimico, quî cum

inim

Digitized by Google

iniuriarum in iudicio iam multos annos agebat eas libenter pro Christi amore remittere. Hæc ex multis pauca.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

TRAIECTINVS ager suam messem copiosam reddit. Parthenij Sodalitij feruor his regionibus insolitus. Instituta enim supplicatione pridie parescenes nudis pedibus ac horrido sacco vestititi prodière ad 48. quorum 18. ad copiosam vsque sanguinis profusionem se verberabant. Sacris D. Seruatij exuuijs honorandis ex varijs regionibus venerabundi Traiectum aduenium. Nostris bene de eorum salute promerendi ansa ac occasio maxima. Ea non omissa; datis Seruatianæ Ecclesiæ quotidie adeundæ patribus duobus. Eorum alter aduentantium generales confessiones ducentis amplius excepit: plurimi animæ maculis ritè detersis læti in patriam redière. Alij accepti præsidij causa, in animo per confessionem à Nostris acceptam, eum locum pararunt, quo liberatorem exciperent sacrosanctis tectum mysterijs, qui B. Seruatij se meritis vindicarat. Inter alios Britannus quidam sub Mercurio Duce merens septem annis arctissima prædonum custodia detentus est. Ei ligatis manibus licet ac brachijs, inuocato S. Seruatij præsidio, rupta vincula sunt: ipsisque custodibus altum dormientibus euasit nullo fugientem prosequente. Beneficij memor gratias acturus venit liberatori suo, qui à Nostris confessionis causa exceptus, lætus ad suos redijt. Religio in obeundis sacris crescit in dies. Quod ex hoc colligas, in angusto sacello supra mille nonnunquam videri cœlesti pane refici.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM BRVGENSE.

BRVGENSIVM sementis licet ob hostium propinquitatem angustior messis, tamen eorumdem de more fuit augustior. Eiurata hæresi quatuor veritatem complexi sunt: quorum vnus parentem in fidei professione secutus, deterfis animæ, maculis graui correptus febri, feliciter emigrauit, ingenti parentis gaudio. Sodalitij Parthenij laudibus accessit, illustris equitum Præfecti mira pietas. Cuius exemplo quidam è Scotiæ prima nobilitate ascriptus est. In egenos sacrumque instrumentum spectata multorum beneficentia: auctum illud precio non vulgari. Ara quoque sacra insigni decoratur pictura impensa liberali. Mutatæ Scholę in alias laxiores, Collegioque viciniores. Accessêre siquidem etiam misero hoc rerum statu ternæ, eęque satis amplæ ac percommodæ vicinorum ædes. Ita suorum (egentibus innumeris) prouidet etiam commoditati bonus & benignus Dominus. Suborta interea præpostera quædam Curionum in nos æmulatio, se deseri, nos celebrari, è cathedra liberius atque indignius conquerentium. Verùm Nostrorum vigilantia à loci Episcopo seriò commonefacti conquieuerunt.

COL

COLLEGIVM IPRENSE.

FOECVNDVS Iprensi vineæ hic annus fuit Parthenia Sodalitas renouata, ampliataque ad illiteratorum inscriptionem. Effectum tandem Episcopi Senatusque auctoritate, vt rudibus ad fidem informandis scholæ erigerentur. Vtrique sexui in ordinem digesto pulchrè prospectum. Concionum labori fructus quoque suus respondit. Coniuges honesti cum prole non infœcunda, minimè tamen locupletes, audita præclara illa benignitatis iuxta & caritatis in ærumnoso historia, Anastasij & Theognię (cuius in vita S. Basilij meminit Amphilochius) permoti, mulierculam corporis pedore & animi insania miseram, domi vt thesaurum abdidêre: à qua præter molestias, sordium purgamenta, ingrati animi significationes solatij nihil experti, nihil tamen vnquam de charitate & patientia remiserunt. Vnicum doluêre; quòd speratam suarum virtutum messem immaturior misera mors præproperè præciderit. Neąuaquam tamen eorum constantia debilitata est. Sumptam enim aliam è plateis puellulam, vt natam educant, & tanquam de filia benè merentur. Ab hæresi reuocata mulier, quæ conuerti nescia extremos penè mundi recessus quæsierat. Amburgi (quod oppidum Damiæ est) marito mortuo hanc vocem audiuit: Vade mulier & salutem tuam quære. Ipras tandem non religionis, sed negociorum causâ pertracta, Nostrorum opera virus euomuit, testata constantiam cum rerum diuinarum vsu & virtutum operibus, tum exerta fortitudine in hæreticorum à se blanditijs ac artibus profligandis. Rei ad mortem piè obeundam instructi, adiutique, quorum vnus

prostra

Digitized by Google

proſtratæ ſalutis, excitatus ad mentem redijt, & inſtar agni poſt ingentem furorem ſeſe exhibens, lubenti animo mortem excepit. Templum liberalitate amicorum opulentatum. Oblati quatuor aræ ſummæ tapetes penſiles. Altaris tabula ea colorum elegantia variegata, vt neſcias pulchritudóne an precium ſit præferendum. Conſilio Noſtrorum virgo ſtationis religioſæ pertæſa ac fugam meditata, à ſacrilego propoſito deſtitit. Mulier ſpem omnem ſalutis abijciens, dum ſe ſentit ad grauiſſima facinora patranda dari præcipitem, magum (quem melioratorem vocant) auxilij cauſa non eſt verita accedere. At ille nec carminibus, nec præſtigijs quicquam profuit. Noſtris ſe committens, ſacramentorum vſu è longa patientia priſtinæ ſanitati reddita eſt.

COLLEGIVM CORTRACENSE.

Ioanni Hagio poſt ingentes morbi labores, calculus anſerino ouo maior vitam extorſit miſeram, adituro meliorem. Scholæ Cortracenſes diſcipulorum nobilitate ac inſtitutionis norma, famam vincunt. Exteri enim aut Principum, aut nobilium certè filij ſunt: quorum non pauci primas inter ſuos obtinent. Traditio Chriſtianæ inſtitutionis domi foriſque proſperum ſortita euentum, ſucceſſit ex voto. Virginum cœnobijs ſubmiſſum auxilium, animi ſedati, & conſcientijs ſua pax reſtituta: Ex vno, proprietatis impium ius proſcriptum: conſidère fœminæ altercationes: nulla vi, nullo ſtrepitu, beneuolus omnibus, amor obſeruantiæ regularis ac rigoris auiti excitatus. Noſtrorum cum externis vſus, plurimis optatam animi pacem reddi-

di

Digitized by Google

dit. Consultum cuidam quæ à rationis sede, nimia corporis afflictatione propemodũ exciderat, vt in diuina voluntate in omnibus acquiesceret. Fecit & quieuit. Altera desperationi proxima sacramentorum consuetudine ad tranquillitatem reuocata est. Tertius ceræ benedictæ & confessionis beneficio à præstigijs Dæmonum liberatus, qui ante turbabatur ita multis, vt iam Hostis arbitrio videretur esse permissus. Virgines duæ neglecto vestium luxu, ac vitæ huius illecebris, castis sodalitijs sese constrinxêre. Tres aliæ maioris perfectionis appetentes monasticam vitam delegêre. Hæresim abiuratam quini sacramentorum vsu commutarunt: in his vnus viginti, alius triginta texerant errorem, modò turpitudinem illam Catholica & rara pietate compensant. Quini alij baptizati ab hæreticis, Ecclesiasticos ritus exacta iam ætate admiserunt. Prædones Angli quatuor, qui cum lacte hauserant errorem, lucem veritatis admittentes, mortis supplicium piè admodum subierunt.

COLLEGIVM GANDENSE.

IMPETRATA hoc anno vectigalium Regiorum immunitas quæ toties petita spem nostram fugere videbatur. Supellex sacra egregio calice, ac alijs ornamentis præstantibus aucta. Concionum fructus ex benignitate in studiosis fouendis emicuit: quorum patrocinium ac causam multi ex nostri concionatoris commendatione susceperunt. Plurimi tota vita lustrata turpitudinem omnem abieceruntᵉ Auulsi à religione ei se reddidêre. Cuidam in Lutheri insania educato, congressu cum nostris, retusi spiritus

tus altiores, spem tandem salutis ipse pollicetur optimam. Beatæ Virginis alumni toti ciuitati egregio sunt ornamento. Constat verò Congregatio centum quinquaginta tribus ex omni ordine, morum honestate, & scientia selectis. Ex his diem clausit extremum vir domi nobilis, ordine senatorio clarus, Deiparæ Virgini admodum addictus. Eius religio in vitæ termino emicuit, quo tempore, eò, vitæ cælestis recordatio hominis mentem abstulerat, vt nihil in hoc mundo habuisse videretur. Accepto demùm salutari viatico in hæc verba prorupit: Quid moror in terris? cur in Dei optimi amplexus illicò non feror? Postulatam dein crucis imaginem complexus, & exosculatus humeris imposuit, suauissimumque IESV nomen ingeminans, suauiter in Domino quieuit. Mulieres aliquot à fœdis voluptatibus ad pudicitiam reuocatæ. Aliæ deposito curioso corporis cultu superbiæ & fastui nuncium remisêre. Virgo locupletior torques, armillas, aliáve ad vanitatem comparata; pecuniam etiam ad voluptatem concessam pauperibus erogauit. Ex discipulis nonnulli contempta libertate variis sese cœnobijs manciparunt.

COLLEGIVM VALLENCENENSE.

DIVINIS rebus procurandis Vallencenenses nihil reliquis Collegijs cedunt. Breuis vt sim suadet earumdem repetitio rerum. Aptatum hoc anno ex aula, & apertum vsibus aduentantium sacellum exiguum quidem, quod tamen plures nobis aduocitet quàm alieno templo vtentibus: rara illud beneuolêtia, breui, & necessarijs rebus donatum, &

Digitized by Google

ornamentis precioſis inſtructum. Hoc primatibus ratum fixumque non quieſcendum donec exigui ſacelli anguſtiæ in longum latumque templum aſſurgant. Ex catecheſi domi foriſque ſuus conſtat fructus. In vico quodam, die Cœlitibus omnibus ſacro, triplo plures ſolito cœleſtem menſam obierunt. Sublata quoque deferendi ſacri conſuetudo pernicioſa, à diuinorum myſteriorum eleuatione. Reconciliati diſſidentes; Paſtor cum nobili, fratres quoq; duo non ignobiles. Puella à ſeptennio hæretico veneno per matré imbuta, perpurgata, & fidei profeſſione & peccatorum confeſſione ad feliciorem vitam euolauit.

COLLEGIVM INSVLENSE.

TRES è Noſtris contagioſa lues abſumpſit, P. Quintium Dennetier annos natum 60. ex quibus quatuor & viginti in Societate decurrit; virum cum alijs rebus religioſum, tum ſui ipſius demiſſione charũ, pauperumq; ac rudiũ catecheſi iuuandorum zelo ad finem vſq; laudabili. Qua etiam in occupatione verſanté mors & quæſiſſe & inueniſſe videtur. Sartor erat alter Iacobus Preuoſt, probationis altero anno nõdum expleto, ſpe & virtute probatus. Tertius Ianitor, Guilbertus Columbinus, mentis puritate, & morum ſuauitate columbus: laus eius primaria in obedientiæ promptæ ac perfectæ obſeruatione verſatur: Neſcias an prius nutum ſuperioris conſpexerit, an tetra lue laborantibus opitulaturus adfuerit. Tactum venenato contagio vis febris ardentis ſic hominem verſabat in diuerſa, vt ni quieſceret agitatio nimia ei exitium eſſet allatura. Rogauit Rector vt nonnihil ſe continens Medico acquieſceret

Digitized by Google

quieſceret. Ea vox vſque adeo hominem inquietum defixit, vt omni violentia liberum crederes. Identidem has voces, ô IESV, ô MARIA, ô P. Ignati, ô P. Xaueri ingeminans, cùm vnum de Collegio nominaſſet qui ſuo nomine erratorum admiſſorum veniam poſtularet in triclinio, feliciter migrauit, eos viſurus quos paulò ante inuocauerat. Eccleſiæ ab errore redditi quinque: in illis puella prænobilis ad aliorum perniciem mirificè docta. Cõmunicantium feſtis & Dominicis diebus vſitatior cõcurſus ad 600. eſt: Calendarum dominicis ad 1000. feſtis celebrioribus ad 1500. Puellæ complures ex ſacramentorum vſu nobilitatem ac diuitias in nobiliſſimas religionis opes commutarunt. Inimicitiæ decennales patris cum filio extinctæ. Ludificantis dæmonis ſpectra ſalubri remedio fugata. Habet hic Deipara Virgo ex vtroque Sodalitio virorum iuxta & puerorum ſuum & honoris debiti, & auiti cultus ſplendorem. Reuerendiſſimus Tornacenſis Inſulenſem vineam luſtrans ex officio, huius præclari cœtus odorem perſenſit, eumque & ſua præſentia, & ſui Eccleſiaſtæ adhortatione decoratum voluit: conſeſſuſque tam ſelecti (erant autem præſentes ad 140. ex primarijs ciuium ferè omnium) aſpectu adeo recreatus eſt, vt ad Indulgentias ſolitas auctario perpetuò ſuas accedere in beneuolentiæ argumentum, voluerit. Fit ergo in his rebus, tum id genus alijs, vt optima Societatis opinio apud ſummos iuxta & infimos nobis gratiam & authoritatem conciliet non minimam; lubèter conſilijs noſtris arcana ſua committant: & de ſucceſſu gratias agant: certent denique in dies magis qui de magiſtratu ſunt, vt amicitia & beneficentia erga nos ſua, quàm propenſiſſimi videantur.

Digitized by Google

DOMVS MONTENSIS.

EMERSIT tandem Montensis sedes, & post annorum 12, residentiam R. P. N. Claudij Aquauiuæ permissu scholas dedit, saniorũ quorumdam de Senatu qui vectigal auxit studio, ac contentione eas postulantium. Superiori loci, ac domui ob dotem incompletam Rectoris & Collegij nomen negatum. A Deo inchoata res. Sacro numini incruento oblato sacrificio, cui & Senatus & Ciuitatis primarij præsentes fuêre. Luculenta deinde oratio scholis aditum patefecit; dato oportuno tempore tragicomœdia de Patre familias peregrè abeunte. Permouit actio, auditoribus elicuit lachrymas, & discipulos nouos allexit, qui ad ducentos collecti sunt. Progressus prælectionis catechisticæ hic fuit, vt scholas quas dominicales vocant, excitarit. Inimici Pater & filius nobiles; ciues quoque alij duo in mutuum exitium abeuntes, positis odijs coiêre. Aucta Xenodochij suppellex, Nostrorum hortatu, vestesque egenorum commodis adiectæ, totusque locus perpurgatus, qui ante olidus & sordibus squalens, incommodam ægris præbebat habitationem. Crescit ciuium in nos beneuolentia ac beneficentia, quam experti sumus hisce egentissimis temporibus, adeo vt necessitati nostræ abunde sit factum satis.

RE

RESIDENTIA BRVXELLENSIS, CVM MISSIONE Castrensi.

BRVXELLIS Curiæ locus, rei benè gerendæ & Dei gloriæ promouendæ occasio non minima. Ea à Nostris prætermissa non est. Duo templa concionibus faciendis peropportuna accessêre stationi ordinariæ & quidem ex primarijs. Tribus Principibus fœminis ex Regum Cæsarumque stemmate ortis, regis Poloni coniugi, eius sorori, Phillippo III. Hispaniarum regi destinatæ, Ducis demum Sabaudi vxori iusta, in aula persoluta. Ex hac domo electus orator, qui latinis orationibus insigni gratia pronunciatis, trium potentissimarum Principum funera præclarè cohonestauit. Is ad ædem sacram diuinarum rerum causa concursus, vt nec nostrorum sacerdotum numerus, nec locus, nec laborantium vires aduentantium desiderijs respondeant. Taceo consueta munia, quæ non imparem aliarum sedium & laborem & fructum pariunt. Hac industria Sacerdos noster iratum patrem in filiam, quæ à famulo compressa delicti veniam, ac nuptias postulabat tegendo crimini, flecti nescium, in preces suas pertraxit. Quid si, inquit, rerum omnium parens Deus pedibus tuis prouolutus hanc à te gratiam contenderet, negares? Haudquaquam respondit ille. Tum Sacerdos flexis ad terram genibus. Ego, inquit, nomine eius hoc facio. Victus pater & veniam filiæ, & filiam famulo concessit. Ad generalem totius vitæ confessionem inducti plurimi, cum ex Curiæ sequacibus, tum ex Vrbanis. Multorum vita

Digitized by Google

peccatis ferendis assueta in melius mutata, eam mentem conuersis iniecit, vt malint mendicato viuere, quàm cum scelerata conscientia diuitijs ac delitijs abundare. Supellex sacra augetur in dies. Pristinis ornamentis additi calices duo, tantumque auri quantum hierothecæ conficiendæ satis sit. Hæc matronæ religio, ne Nostri aliena vti cogerentur.

CASTRENSIS Missio laboribus multis ac vitæ periculis expositа, excellentem ac copiosum laboris fructum collegit. Belluas immanes ad humanitatem reuocauit. Erroribus à teneris immersos ad lucem veritatis reduxit: fidei lumine imbutos instruxit, purgauit, & perpoliuit. Hiberni sunt in castris, Angliqué cum varijs nationibus mixti. Ex his nonnulli sine religione, dæmonis ludificationibus mirè expositi. Visus est quidam media luce in aërem tamdiu leuari, donec hæ voces insonarent: Dimittatur rursum, quia nondum est tempus. Sicque pristino loco redditus est. Nocturnis identidem monstris sæpe perculsus, cum ludificantem dæmonem signo crucis abigeret, audiuit: Hæc oportunè fecisti: aliàs malè tecum fuisset actum. Alijs duobus vtiliter cacodæmon apparuit horribili specie. Priorem ardente face quàm manu gestabat eo exanimauit metu, qui salutis ei adferret initia, progressum, & laudabilem vitæ morumque mutationem. Alter ad inferorum fauces pertrahi videbatur: præsidio nominis IESV vsus, votoque Virgini Deiparæ Hallensi nuncupato, liber euasit. His ergo lux veritatis allata non frustra. Supra viginti Ecclesiæ reconciliati, ac confessionis remedio, quo nunquam vsi fuerant, præteritam vitam absterserunt. Auxilio nostri Sacerdotis qui & plures alios fœdo concubitu auocauit, & perperam inita matrimonia dissociauit. Institutum quoque inter eos venerabilis Sacramenti sodalitium, cuius albo ascripti sunt quamplurimi, pietate & exemplo alijs militibus plurimum prælu

Digitized by Google

prælucentes. Sclopetarij proceſſionem ſuam inſigni religione & animi lætitia decorarunt, multorum animos in admirationem rapientes, præſertim dum vexilla ad Sacerdotis, limina ineuntis, pedes, vt pueri Hebræorum triumphanti Chriſto, reuerentię cauſa ſtrauerunt. Horum plerique Quadrageſimæ tempore à lacticinijs abſtinuerunt. Alij quarta & ſexta ferijs atro pane & aqua contenti: alij nudis pedibus loca ſacra obierunt: inter quos vnus grauiſſimè ſaucius diutiùs ex ædibus pedem ferre non potuit. Alij flagellis ita corpora dilaniarunt, vt intuentibus eſſet horrori. Germani Noſtros ſcommatibus ſolebant excipere: ex quo vitæ religioſæ propoſita pabula deguſtarunt, eos admodum reuerentur, & complectuntur vt Patres. Ex his viginti eiurata hæreſi Catholicam religionem profeſſi ſunt. In caſtris Catholicorum fructus vberior. Quidam miles grandæuus & annis & peccatorum conſuetudine, Noſtrum pro concione hæc verba pronunciantem & exemplis explicantem audiuit, Cor durum malè habebit in nouiſſimis, vt alter Saulus, animo proſtratus eſt, diuini verbi vi, & B. Paulus (cuius conuerſioni dies ille ſacer erat) meritis, & populo abeunte, ad Sacerdotis pedes ſe abiecit, totiuſque vitæ acta inſigni pœnitudine aperuit, incredibili ſecuta conſolatione perfuſus. Scorta aliquot cum ſapere nollent inſequentibus pueris ac militum calonibus procul abacta, & luto, puluereque conſperſa, non auſa ſunt reuerti. Militi cuidam cultui Virginis Deiparæ admodum addicto, non eſt veritus cacodæmon conſcientiam diſcutienti iugulum petere. Hunc virum Beatiſſima Virgo viſa eſt aliquoties inuiſere, & ſuum cultorem à diſcrimine liberare. Sacris cœremonijs ac exorciſmis Eccleſiaſticis plurima pecora à ſagis maleficiata ſanata ſunt, quos antequam Sacerdos pronunciaret, horreum infeſtum ruinam ſtrepitu ac concuſſione minari videbatur. Fugiſſent fortiſſi-

Digitized by Google

mi milites, qui spectatum venerant, nisi sacris muniti cereis, & exemplo constantiaque Patris excitati, constitissent. Milites duello se confecturi, ad Patris pedes aduentantis, arma proiecêre. Alij crapulæ & ebrietati assueti, sobrietati assueuerunt. Quoties cum hoste congrediendum, prima Nostrorum cura fuit, vt milites ad pœnitudinem promouerent, eorum animos ad constantiam in perferendis aduersis confirmarent, & proposita Christi cruci affixi imagine ad fortiter præliandum excitarent. Non puduit Chiliarchas, primosque militiæ duces è media acie prodire, & flexis poplitibus, animi noxas deponere, malentes hoc pudore coram hominibus suffundi, quàm contaminati peccatis, amissaque sempiterna vita, Deum iratum experiri. Resipuit vir primariæ authoritatis à iurandi consuetudine inueterata, & vt exemplo sit offensis, historias sacras legit & oportunè recenset. Quidam ruebat in mortem inimici: at in Sacerdotem nostrum prius incidit, effectumque est, vt aperto sponte vlceri, ac reliquis totius vitæ noxis præsens medicamentum admoueretur. Hinc supplex iste factus ei quem trucidare volebat, nouo se inter se amicitiæ vinculo complexi sunt. Pacis confirmandæ causa inter Hispaniæ & Galliæ Reges Illustrissimo Aragoniæ Admirallio Galliam adeunti, ascitus est è domesticis vnus. Non omisit ille Parisijs rei benè gerendæ occasionem. Adiuti sunt ij qui carceribus adtinebantur.

RESI

RESIDENTIA CAMERACENSIS.

CAMERACENSIS vinea vt intempestiuè pręcisa, vulneris recentis dolore, adhuc lachrymas mittit; argumentum tamen vitæ, & non desperati fructus. Pax patriæ reddita, campos liberos velitationibus Societati consuetis aperuit. Collecta Pastorum beneuolentia est, qui in sua synodo, nostrum concionatorem tertiò habere voluerunt. In præsidiarijs erudiendis atque erigendis vtiliter opera atque industria collocata. Dæmonum vexationes sacramentali confessione, ac cerei benedicti gestatione repulsæ & extinctæ. Puella duodennis morbo comitiali, vi dæmonis agitata, expiatione generali sanitati restituta est. Lites ac dissidia magni momenti composita. Cœtera supprimo, ne eadem sæpius cogar repetere.

RESIDENTIA LVXEMBVRGENSIS.

VTILITER Nostri Luxemburgi residunt. Testatur diuini cultus studium. Profanis æquè astantes tremendo sacrificio videres, ac sacris diebus. Icones, agni consecrati, resque aliæ piaculares ea veneratione hîc sunt, vt magni beneficij loco ducant, etiam grandiores, si vel vnum à Nostris consequantur quod è collo piè suspendant. Hinc bellum illatum superstitionibus, quibus iste Ducatus scatet. Cate-

Digitized by Google

cheſes habitæ tum ad maiores,tum ad iuniores,cũ optato fructu. Confeſſiones decurſæ vitæ ſæpius auditæ, etiam Religioſorum diuerſi ordinis de ſuorum ſuperiorum voluntate.Ab hoſte,tertiò Ciuitas hæc octidui ſpatio inſultum paſſa,diuinam protectionem experta eſt. Interea Sacellum noſtrum timore perterritis aſylum fuit,in omnem ſortem & euentum per Eccleſiæ ſalutaria remedia ſibi conſulentibus. Hoſte ſpe ſua fruſtrato , ſolemni ſupplicatione,in gratiarum actionem , Deo litatum eſt. Authore Senatu(quod in ſimilibus coitionibus facere ſolet)noſter Eccleſiaſtes ad permouendos ſupplicãtium animos aſcitus. Duo militiæ duces diſſidentes Noſtrorum hortatu inimicitias depoſuerunt.Societatis bona exiſtimatio plurimos è Curionibus nobis deuinxit , magno eorũ & ſubditorum emolumento.Eadem omnium in nos, propenſos reddit animos & beneficos. Hinc ad templi ornatum facta acceſſio, quem Eccleſiaſtici ſanctè æmulari conantur, & populi pietas in cultu diuino & ſacramentorum frequentatione in dies vt ſperamus ſumet incrementa.

MISSIO HOLLANDICA.

CALVMNIAM grauem Dei & adminiſtrorum eius iuratus hoſtis , Societati noſtræ , ac nominatim Collegio Duacenſi inferre conatus eſt,amentia cuiuſdam Petri Panne, Iprenſi ciuitate oriundi,hominis ſine cerebro , bonorum ſuorum decoctoris peregregij,vſus:qui ad inopiam redactus,dum in Hollandia incautè verſatur,(malitiáne , inductione, an ſtultitia excitus,latet)effutijt manu ſe armata veniſſe,vt Mauritium exercitus Hollandici ducem tollat è medio. Captus,

Digitized by Google

Captus,& in quæstionem actus,dum in dies nouos authores incentoresque mali comminiscitur, tandem se inductum refert à Præfecto(vt aiebat)& Rectore Collegij Duacensis,eoque in loco, eum Patrem qui toti Prouinciæ præest,sibi omni honoris, ac beneuolentiæ significatione, excepto,si facinus aggredi, perficereque valeat, quadringentos aureos,Collegio Duacensi ab Iprensi Quæstore annuè debitos,esse pollicitum; spemque factam obtinẽdi sibi officium Nuncij Ipris ad alia loca proficiscentis, valoris ducentorum ducatorum; filium Tornaci Canonicum futurum:sedes ipsas beatas patefactas ac paratas,ad cœlites,animo & corpore gloriosè euolaturo, si in opere tam heroïco mori contingeret. De manu quoque Prouincialis,(facta priùs exomologesi)sacrum viaticum accepisse,quo accensus tantum facinus aggredi non dubitaret.Fatenti insano data sententia: amensque omnium iudicio ad extremum supplicium se duci passus. At capite plexus est.Enimverò sententia Leidani Senatus typis excusa,longè aliter quàm res palam actæ erant, renuncians. Apologiæ nostrorum per totam Hollandiam sparsæ, & ad exteras nationes datæ:falsitas rei per Senatum illarum ciuitatum in quibus calumniator, se,aliosque quos iniquè traduxit,fuisse & egisse asseuerarat, discussa,cognita, testata, totam illam mendacij fabricam, & fabulam cum theatro euerterunt. Quanquam non sine honoris diuini detrimento nationes hæresi infectæ, tali prætextu & occasione vti meritò potuerunt vel ad excludendam, vel non admittendam,vel denique proscindendam Societatem,etsi omni labe hoc in negocio careat .Apud Catholicos verò Societatis nomini ac existimationi, hac iniqua innocentium traductione plurimum splendoris accessisse, momenti non parum ad eorum animos in fide confirmandos habituri constat,testantibus omnibus hæc religionis causa,impugnantibus hæresim per summam iniuriam impingi,

Digitized by Google

pingi; sperantibus molem hanc in dæmonis huius tetri sceleris authoris, ingenti ipsius damno Dei, Societatisque gloria relapsuram.

QVAE ergo de Societatis nostræ immanitate effera in Regibus ac Ducibus trucidãdis per orbem effícta sparsaque sunt nostris conatibus obstaculo fuêre permaximo. Ex messe tamen, en manipulum damus. Ecclesiæ Catholicæ partim dati, partim redditi 46. Ab errante & perdita vita reuocati 147. hi decursorum annorum spatia generali pœnitudinis fonte eluentes, vitæ nouæ rationem instituerunt. Sacris epulis refecti sunt ad 843. Connubio impiè contracto Ecclesiæ ritum recognouerunt coniuges 27. Capite salubriter loti 79. Zelandum quendam is ardor occupauit, audito Sacerdotis Nostri in illas partes aduentu, vt eo non inuento nullam sibi quietem daret. Desiderio potitus, se de tota vita accusauit. Profuit illi; alijs plurimum. Matrem, fratrem, nepotem, generum, & eius sororem desiderio veritatis inflammatas ad Patrem adduxit. Non fuit Patri difficile diuinis præceptis informare ac sacramentis perpolire sua sponte accurrentes. Renouanda tamen fuit matrimonij perperam initi formula ac cœrimonia. Generante vnda tinctæ eorum proles quatuor. Actus idem vir bonus, eodem spiritu, omnes qui sibi sanguine, aut consuetudine iuncti sunt, vt Christo adiungat omnino adnititur. Fidelium constantia hic suas laudes habet, non contemnendas. Maluit quædam diuturna inopia premi, quàm hæreticorum, à quibus auxilij spe inuitabatur, conciones audire. Ipsa Nostrorum aduentu & recreata & mysterijs sacris confirmata est. Domina nobilis, quæ cum lacte errorem hauserat, omnibus parentibus & amicis repugnantibus, Ecclesiæ filijs accessit. Puer nobilis iussus à parente conciones hæreticas audire, morbum simulauit lecto detinente: pulsus lecto à nouerca, neutiquam impio mandato paruit. Vxori cuiusdam sectarij.

Digitized by Google

ctarij acerrimi, fixum ratumque, cum prolibus potius mendicato viuere, viro, parentibus amicis in se bacchantibus, quàm Dei religioni ve iura violare, aut à promouenda pietate desistere. Paruulæ ei sunt filiæ duæ: tertia viro data est. Hæc in aduersis forti animo pro religione perferendis, si matrem non vincit, certè exæquat. Maior è paruulis ornatum corporis docta spernere, Cur, inquit, multis vtar cum Christus vno habitu contentus sit. Iussa à patre suo templum adire: Ibo, inquit, dum is concionabitur, cuius vsibus templum extructum est. Minorem verò, quæ sexennis est, si ad templum trahas, Non sum, inquit, non sum hæretica.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA AVSTRIÆ.



GENS est triplex; qua cum hîc nostris agendum est. Germani, Boemi, Hungari toto sermone dispares. Boemis Sclaui, Hungaris Croatæ adnumerantur. Nostri sunt trecenti septuaginta tres, & ipsi varia natione multi, sed bona caritate vni. Distribuuntur sedecim Domicilijs; quorum sex hic annus 1598. pestilens fuit: verùm Deo propitio, ad neminem mali contagio pertinuit. Vienna numerat quinquaginta quatuor: Græcium sexaginta nouem: Brunæ degunt sexaginta tres; quorum quindecim veterani, cæteri nouitij: Pragæ triginta duo censentur: Olomutij quadraginta vnus: Crumlouij tredecim: 17. Commotouiæ: Houodomij 12. par numerus Glacij: vno minus Labaci: Turocij 9. Selliæ vndecim: Claudiopoli 28. Albæ Iuliæ tres existunt. Admissi hoc anno, quatuor supra quadraginta: quibus sunt ea bona animi, quæ promittunt frugem. Sex religiosa morte à nobis abierunt, nostra spe, ad vitam meliorem.

COL

COLLEGIVM VIENNENSE.

HIC annus peſte grauis perrexit eſſe Ciuitati Viennenſi, minus tamen quàm ſuperior, infeſtus: fuitque priore ſemeſtri Noſtrorum numerus hîc incertus: poſteriore autem certior ſtetit. Obijt Ioannes Modlerus agens ætatis annum ſexageſimum ſextum; ex quibus triginta duos in Societate vixit, obeundis plurimis boni coadiutoris laboribus; præcipuè curandis infirmis ſtudium ſuum religiosè dedit: integer cordis, cætera tactus; ſuſtinuit propè triennem ab apoplexia langorem, vt illam ipſe, quam alijs adhibuerat ſollicitam experiretur ſuorum curam. Verbo dicam: Hic vir ægros domeſticos, exteroſque, etiam peſte moribundos atque mortuos omnis ſolatij & pietatis obſequio eò proſequebatur, vt ſub pia illius manu, mori velles & humari. Sacerdotes duo quiſque cum ſocio à reliquis ſeiuncti ad peſtiferas ædes Dei auxilio tuti adierunt: quorum ſedulus labor apud homines effecit, vt Societas noſtra firmaretur in eo, quod iam ante habet, nomine. Primo vere reſtitutæ ſunt Scholæ, quas lues turbarat. Studioſi numerantur quingenti: à quibus exhibita breuiora duo dramata, quæ placuerunt. Habitæ conciones Dominico & plurimum feſto quoque die tres; quarum vna Hungarica: omnes dant fructus vberes. Ea quæ Iaurino recepto pronunciata eſt, tanto omnis ordinis concurſu eſt celebrata, ita cupidè audita, vt excudi debuerit; expreſſa in eamdem rem poëmata, pariſque cupiditate excepta. Doctrina Chriſtiana etiam meſſem ſuam habuit, dum eius auditione vel adultiores taciti erudiuntur. Duo quidem

coniu

Digitized by Google

coniuges in hæresi educati in templum nostrum curioso oculo ingressi, viderant pueros Angelorum cultu, mysteria pietatis proponere; eo permoti sunt, vt inde consilium mutandæ religionis cœperint; quod feliciter peractum frementibus hæreticis, quorum fauorem & gratiam diuinæ gratiæ longè postponendum duxerunt. Nonnulli spiritalibus exercitijs magno pietatis progressu exculti. Visitati carceres tam qui laboribus publicis adiudicatos, quàm qui capitis reos coërcent: vtrique de animæ salute edocti, atque largitione adiuti: præcipuis quoque anni diebus post peccatorum expiationem & perceptam Eucharistiam ad liberale epulum adhibiti. Subuenitur extremo supplicio damnatis; in his milites quinque audita repentinò, (pridie enim capti fuerant,) mortis sententia, vsque furere cœperant, vt omnem animorum curam pessundarent. Mitigati à nostro Sacerdote, & peccatis soluti, sacroque Christiani hominis viatico aucti, magno pietatis sensu vitam finierunt. Sex alij, qui iam iam expectabant laqueum, propitio interuentu liberati, alij carceribus exempti. Et Nosocomijs sua opera collocata; & dissidia opportunè restincta; & aliud omne officij genus in proximos collocatum. Paschali tempore amplius tria millia confessi apud nos communicarunt; neque de pietate quidquam remissum totius anni decursu. Hæresim exuerunt centum & sexaginta quatuor; in quibus aliqui Nobiles: aliqui ea auctoritate, per quos magna ad religionem expectatur accessio. AEs male partũ iure ad dominos redijt; hominesque plurimi ad honestiorem vitæ rationem. Duo votis piè nuncupatis sanitatem sunt consecuti. Generales confessiones tot auditæ, vt numerum certum inire fuerit difficile.

FVIT qui in captiuitate Turcica, Mahometismum circumcisus turpiter induerat; sed magno dolore perfidiam detestatus ante mortem sese Catholicis adiunxit.

Mulier

Digitized by Google

Mulier anus, annos sexaginta cum marito in eadem secta traduxerat, quæ adolescens capta à Turcis, hoc bello à Christianis recepta, nostro labore Ecclesiæ reddita est. Et illud est Dei miserentis. Tenebatur inter Turcas vnus aliquis Christianus grauibus compedibus onustus; cum humana ope spes nulla liberationis, totam in diuina reponit: quin voto suspirat B. Virginem, quæ colitur ad Cellas: is locus est celebris inter Nonia iuga Styricæ. Huc concepit votum, Deique præpotentis ductu longè per medias hostium regiones secum trahens pedicas ferreas in Christianorum ditionem euasit, vbi in morbum incidit ex ærumnoso itinere. Hinc, qui pedes ire non potuit Cellas, toto iuit animo, misitque compedes; ipse paucis post diebus piè est mortuus. Eodem pie peregrinatus Serenissimus Archidux Maximilianus Cæsaris frater, habuit ex nobis Sacerdotem, cuius ministerio Christiana mysteria perciperet. Per iter quod fuit tridui, Sacerdos ad mensam summus accumbere, deinceps cæteri atque Princeps imus, omni verborum & gestuũ honore procul; sic enim iste inferat, quo falleret homines, ne concursu & stupore Principis peregrini deuotionem fallerent. Auctum est templi nostri instrumentum multis magni precij donarijs: inter quæ est sacrosanctæ Eucharistiæ ferculum, quæ theca est turbinata eximij operis quadringentis auri nummis æstimata. Subrepserat in Vrbis viciniam hæretici verbi minister, multosque vel ex Vrbe auditores conciebat ad cauponam; locum sane verbo opportunum. Id nostro indicio didicit Magistratus, misitque concubia nocte armatam manum, quæ hominem extraheret: Meri verbi cauponator sese in cellam vinariam abiecerat, vnde abstractus fuit à dolio nouus Diogenes, & in carcerem datus, atque post damnatus extra Austriam perpetuo exulare, ni malit capite minui. Sed hæc natio hominum tanti suum dogma stare noluit.

Digitized by Google

MEMORO magnum diuinæ vltionis in præfractos religiosos argumentum. Vixerat in Societate Coadiutor annos propè tredecim, quos varijs officijs commodarat; ipse semper sui vini, vt qui ad obsequendum animi refractioris benignè habitus, & missus variè experiundi causa, tandem quò moliebatur dimissus est. Nouus sæculi miles venit Viennam, inter præsidiarios scribitur, pertæsus veteris nouum sacramentum dicit. Iam licentia proiectus, consensu an silentio abit post commilitonem furtiuo spolio non grandi onustum, neque tempori reuertit excubiarum, & stationis negligens: quæ illi causa fuit necis; nam captus, & luce palam in campum ob oculos Collegij, lictoris manu, productus, inter alios duos, reus temeratæ disciplinæ militaris, supercilio adhuc satis erecto; porrò miser ponet. Fit iudicium militare, ad quod Tribunal sistitur manicis ferreis adstrictus. Subinde Collegium, quod contra erat, aspicit ore benè firmo: discutiuntur causæ, feruntur sententiæ, tres capitis damnantur; supplicio seruati in diem futurum. Hic primum seriò sese colligere, primam fidem irritam recordari, ingemiscere, mittereque, qui de sacerdotibus nostris accersat aliquem; hunc orat vt suis verbis bonos Patres subiectissimè exoret, velint, si quidem possint, impetrare tantillam vitam ad alia omnia parato. P. Prouincialis quam ante illi ostenderat humanitatem, etiam hîc exerit. Adit Principem ad æqua nostra postulata cæteroqui facilem, orat id supplicium vt detur Societati. Optimus Princeps reddit, Nolle officium militis sua auctoritate vsquequaque imminutum, suo tamen nutu hanc rem integram permitti militiæ censoribus. Viderent quid è re publica foret. Sed verò oportuit exemplum prodere. Ergo reus præmissa confessione & communione, ad mortem se comparat, postera die subeundam; magnoque dolore profitetur hanc pœnam iusto Dei iudicio debitæ religionis esse vindi

vindicem; quod nostris inculcatum vellet; additque nullum diem sibi diluxisse liquidò felicem totos menses octo, ex quo fidem religiosam fefellisset; quare illius pœnitere, illo maximè cruciari, serò sapere. Pergerent autem nostri Coadiutores, saperent, & quod faciunt, suam ipsi cõditionem amarent. Tandem raptus ad supplicium frequentissimo vrbis loco sub Carnificis gladio occubuit. Vidit noster, qui reo extremam præstabat operam, viderunt alij qui aderant attoniti, caput à trunco decussum præcipiti rotatu ferri, & toto ore imprimi in fœdam aquulam, quæ ibi propter collecta fluitabat: forte hanc dixero pœnam hæsisse in lingua, quæ domi nostræ olim audita fuerat cum audientium horrore; malle se supplicium capitis, malle quiduis aliud perpeti, quàm parere: Ecce tibi quid perpessus est.

MISSIO CASTRENSIS, ET RESIDENTIA Sancti Bernardi.

VT in castris semper magna fuit seges exercendi Christiani officij, ea certè hoc anno ad Budam contra Turcas: vbi assiduo cum imbre, & cæli inclementia dimicatum, vnde multus languor militibus; quare concionibus excitati ad tolerantiam, luxuria compressa, & luxus copiosior mensarum arctatus; in ægros & saucios largæ eleemosynæ distributæ: auditæ plurimorum confessiones: mortui sepultura affecti. Qui ista præstitêre duo Sacerdotes, ijdem reconciliarunt mortaliter dissidentes aliquos ordinum ductores: Optimates vtiliter admonuerunt de ijs, quæ ad magnum rei Christianæ emolumentum. Primarios viros etsi hæ-

Digitized by Google

ticos, prona allocutione fecerunt æquiores nobis religioniqúe, vnde ſperatur vtilitas. Quotidianus vſus ſacrificandi orandiqúe hominibus fuit in veneratione & bona commendatione. Propenſa Dynaſtarum voluntas, quæ circa Principem maximè tunc enituit, quando ad noſtrum, qui erat in diſcrimine, cum ſollicita ope aduolarunt. Et verò ſereniſſimi Principis Matthiæ, qui totius exercitus Imperator, claruit ſingularis omnino de noſtris cura. Inter alias Caſtrenſes curas, pericula, & bellicos fremitus ſæpe de illorum valetudine exquirebat. Ad D. Bernardi quatuor reſident, qui dum colligunt fructus Collegio alendo, faciunt itidem bonam ſementem in mentibus proximorum. Sunt duo Sacerdotes, & totidem Coadiutores.

COLLEGIVM GRÆCENSE.

HOC Collegium bipartitò reddo: primùm quæ domi, & proximè à noſtris: deinde quæ foris, & plus ab externis. Seminarium eſt in quo omnes facultates traduntur, ſicut in plenioribus Societatis noſtræ Collegijs. Dei munere nullus ex omnibus errante circum peſtilentia vel amiſſus vel tactus eſt. Kalendis Ianuarij facta eſt à tribus quatuor votorum profeſſio, nobilitata Archiducum Communione. Ad Societatem duodecim, quorum ſeptem ſtudioſi, adlecti. Benè aucta eſt res libraria: cui cuimodi exercitationis Philoſophicæ Theologicæque vigent. In vtraque facultate Baccalaurei & Doctores ritu Academico dicti: etiam ſuus honos ſtetit litterarum ſtudioſis: nam principium lectionum à præmijs diligentiæ ductum; quod auguſtius

Digitized by Google

gustius reddidit drama de Auio D. Ioannis Euangelistæ alumno in viam Virtutis repositio. In anni decursu alij dialogismi, dialogique venustè pronunciati, spectante Procerum & Principum corona. Pleraque iuuentus ad studium acuit mentem octiduana confessione. Huc conferunt duo Sodalitia pietatis colendæ; vnum inter conuictores titulo Sancti Spiritus: alterum B. Virginis, vbi cæteri studiosi: vtrumque datis nominibus celebrant præcipua spe adolescentes, sed quoque Senatores, Consulares, Dynastę, ipsique Principes; & hi quidem ambobus contulêre ducentos aureos scutatos. Item duas vestes sacrificantis, siue casulas opere serico, argenteoque, & columellas variatas solidi argenti emblemate, altaris ornamentum. Præter hæc Hispaniarum Regina Margareta dedit corollam precio quasi octoginta nummorum aureorum, paremque summam pecuniæ; cui abeunti in Hispaniam Collegij Rector attributus est à confessione. Alij alia munera addidêre, quibus suppellex Partheniana copiosè aucta est. Innouatum D. Catharinæ templum Sodalium conuentibus, & excusæ typis reguæ, quæ in precio sunt vel Archiducibus. Ex his serenissimus Maximilianus annos natus sedecim cum dignitate præfuit Sodalitati Deiparæ Virginis.

EXCVRSVM est in agrum vicinum; exposita elementa fidei permagno non puerorum modò concursu, sed etiam vel è remotis locis conuentu hominum ætate benè grandium, pręuia eorundem modulatione, vt viri numero trecenti certarint cum pueris, & turpe duxerint ijs primas dare, quos antea oportuerat docuisse. Itum quoque ad arces, cœnobia, & alia loca, vbi nonnunquam vnus vno die centum & quinquaginta confessione expiauit. Docuerunt pro suggestu & de plano, siue puer, siue vir rudis operas expeteret. Improbi libri sublati: perfeuerantia in diuinis officijs introducta.

Digitized by Google

ITVM & ad oppidum octo passuum millibus, vbi doctus est rudis populus catechesin necessariâ ad intelligentiam sacramentorum, & Ecclesiæ cœremoniarum. Auditæ frugiferæ animorum expiationes. Longius excurrerunt alijmilliaria viginti, auctore Principe, Mitterdorffium vicum vsque incolarum ingenio efferatum, quorum capita in vinculis ob rebellionem in summum Magistratum, diu habita, Lutherum vix eiurarunt. Difficile est iacere rete ante oculos pennatorum, iactum tamen doctrinæ semen; quòd Parochus ipsis probus est: ibi vnus reductus est cum coniuge, quem Prædicans ante seduxerat, intentato eius rebus igne, ni deficeret. Intermissa annos quindecim celebrata processio (erant dies rogationum) cum parœcianis hæreticis, qui dum de non præferenda cruce luctantur, audita vox Catholici antea occulti; Mene tui pudeat, ô sancta crux? & prætulit, vincente pietate pudorem. In alia parœcia Catholica bona consuetudo desuetudine prolapsa excitata est. Parœciani comitantibus duobus alienis Parochis dum carerent proprio, transiuerunt cuneatos insultantium hæreticorum globos, sublatis altè vexillis, cum cantu audaciæ & lætitiæ. Alibi passim alieni à fide animi, ob Magistrorum populi periculosam cum vita doctrinam: huic malo itur obuiam, vt spes sit perniciem omnem religionis Catholicæ abolitum iri. Hæc foris; redibo domum.

DOMI commentatione diuina exercitati nouem, quorum alumni Pontificij quinque, omnes Sacerdotes noui, Philosophiæ & Theologiæ præsidijs instructi in vineam Domini missi. Illustrissimus quoque Nuncius hebdomada sancta colligendi sui causâ domum nostram se recepit. Per idem tempus Illustrissimus quoque Regis Catholici Legatus Praga aduenies, in Collegio dictione aduentitia exceptus. Præter Florentinum & Mantuanum Legatos, & Illustrissimũ Nuncium Transiluaniæ, Illustrissimus

Digitized by Google

mus quoque Malaspina Nuncius Apostolicus, dum ex Polonia Italiam peteret, Collegium inuiserunt, & sacris in æde nostra adfuerunt. In templo docendæ plebi, in carcere, Xenodochio, solandis miseris, studium adhibitum. Per Quadragenarij Ieiunij dies cum frequentatione Eucharistiæ vis confitentium fuit aliquot millium. Quidam sacra exomologesi, & agni cerei particula spectrorum vmbras fugauit. Quinque, quibus omnino fixum erat iam vitæ corporique finem adferre, ab exitio sunt recepti. Alij in mutuam concordiam reuocati. Vir Deo sacer ad cœnobium, à quo vigesimum annum abfuerat, bono consilio reductus. Inducti alij ad fidem matrimonij: concubinæ abactæ, mulier hæretica in difficultate partus suasu Catholicæ obstetricis confessa, mox enixa est partum, mirante marito hæretico & exultante.

NESCIO quis, certus tamen, flagitioso amore ambustus ardebat libidine; cuius perficiendi impotens, orat malum dæmonem in remedium sceleris, seu vitæ exitium. Ilicet exoratus adest dæmon, orantem per fenestram, qua lasciuè prospectabat in præceps verticoso iactu turbaturus: ille magnopere territus inclamat monstro: Tu agesis, pauxillum vitæ, ego æternùm animam concedo: & disperijt monstrum. Manet flagitium in homine, qui porrò abijt in siluam, vt perficiat ictam cum dæmone pactionem: sed eundo ignes sceleris repressores sentire visus, & dolore corporis, vt ei ferendo impar verterit, retuleritque pedem. Quæsiuit medicinam truncatæ confessione: sed non reperit: quin erat animus cum scelere adire synaxim, cum interim communionis præuia nocte vigilans videre visus se pascere porcos, quorum vnum errantem cuneato reliquo gregi etiam cum maximè cupit adiungere, potuit nunquam; intelligit crimen aberrare seiunctum à cæteris peccatis, velut aceruatim confessis. Frustra minæ; stabat consilium adeundæ com-

Digitized by Google

munionis,& facta est aggressio ad cancellos:inde magno impetu ignoto monitore capillis bis reuellitur:ab Angelo custode factum credit:audacior tamen adit tertiò, & communicat. Ibi angitur magis; consilium repudiatum dolet:redit domum, prandet,cum magno cruciatu disijcitur stomachus, turpiter expuit,vix non emoritur. Clementem certè nactus Deum, qui eum conscientiæ vindice vsque eò stimulauit dum lachrymis emeret solatium, & confessione vera salutem, quam intra octiduum iterum ac tertiò adeptæ sanitatis amans repetere non dubitauit.

NVNC de ijs qui ad fidem adducti. Deficientes quidem confirmati quatuor & viginti, ad vnam speciem edocti plures viginti: foris effectum cum vna domina vt subditi vsum calicis dimitterēt. Porrò qui prudentes à fide abstracti omnino deseruerant, post multorum annorum errorem reducti quatuordecim: qui verò hæresim cum lacte suxerāt,ad Ecclesiam venerunt centum & octo. De his quædam explicatiùs ponere operæ precium videtur. Liberiùs fortè traducebat Prædicans pro concione Catholicos, nunquam ab ijs citari D.Paulum:placuit vni auditorum experiri: audit à nostro prima qua interfuit concione, citatum duodecies: certitudinis gratia redit iterum: laborat memoria notandis scripturis. Ergo sutorum cognoscit fraudem,eiurat hæresim.Conuersæ & Virgines quinque, tres è celebri Baronum stirpe: duæ antiquo iuxta & illustri sanguine nobiles. Comes Croata vnus. Dynasta fuit Styrus,cuius in his regionibus authoritas summa,ac ob rerum cum scientia prudentiam propemodum Lutheranorum oraculum.Hunc aiebant vniuersi aut nunquam,aut certè vltimò immutandum.Irrita vaticinatio. Adijt Dynasta Nostrum auctore alio Barone; disputatum, suasum, persuasum, mittit clam hæresim cum communione sacrorum.Suspicati quod erat hæretici caussam quærunt desertæ religionis, ex sententia Procerum legatum

Digitized by Google

legatum destinant, qui vrgeat, vt, si quid in animo sit scrupi, eijciat: si abnuerit, offerat Prædicantis cum Iesuita colloquium. Admittit verò Catholicus ea lege, vt concertatio publico ab Amanuensi referatur in tabulas. Sed retrectata conditio: timida enim est perfidia. Quæ res & [illegible]iam & animum dedit Catholico, vt animarum prę[illegible] coram ipsis Proceribus contemneret. Desponsa fuit eidem, viri auctoritate Baronis, religione hæretici, filia occultè Catholica, quam frater Catholicus & mater hæretica quidem, sed benefauens, alebant in fide. Defertur à viris primoribus ad patrem senem & morbidum, vt inimica Lutheri, & defertrix doctrinæ publicæ. Igitur ex coniuge statum filiæ percontatur acrius maritus: illa varia arte eludit. Dum non sufficit quæstionibus, vrget matrimonium; quod Principum monitu celebratum, parente non in coniugem modò, filiam, & generum; sed in nostros etiam, quorum opera conuersi sunt ambo quàm optimè affecto. Nam dialogo nostro, & concioni semel interfuit, & in Paraseue sepulchrum Domini inuisit. Persuasa eidem à genero doctrina vera de vna specie. Is quamuis necdum Catholicus, pergit tamen ex animis Procerum malè conceptam de Societate opinionem euellere.

NOBILIS Bauarus annis triginta Ecclesiæ defertor, & interea pauperum quibus quot hebdomadis tres mensas instruebat liberalis fautor, vrgente casu quodam calamitoso, petijt Nostrorum suppetias in angore conscientiæ: nimirum eam calamitatē pœnam arbitratus defert æfidei. Igitur adiutus redijt ad Ecclesiam, tandemq; in manibus Nostrorum mortuus est, inuenta via ad beatam vitam. Sequitur conuersio fœminæ dissimilitudine facti mirabilior. Catholicus iustæ conditionis tumescebat hydropisi, adeo fœdo corpore, vt vmbram videres non hominem. Os putido halitu ructabat fœtorem, vxor & domestici ferre non poterant: si innisebant, erat per transen-

Digitized by Google

nam: nunquam tamen à Sacerdote nostro, cui vitæ actiones detegere solitus erat, relictus est. Obstupuit hæretica coniux in patris crebra & constãte charitate, qua Prædicantes suos carere intelligebat, promittit marito stipulata manu, videlicet roganti corrigere religionem, se Catholicam fore. Excessit maritus è viuis: vxor ex ho[illegible], quod incolebat, eo consilio, ne Patri nostro eam ab[illegible]e reuocandi potestatem faceret. Et fugit viuum non mortuum: apparet mortuus, appellat de promissione. Ipsa quia pertinax iterum ac sæpius nocturnis terroribus sponsionem ad memoriam reuocat; nec data illi ante quies, quàm dato ab ea nomine Ecclesiæ ad eam tandem intrare sit compulsa.

MORBVS habebat virum annos quadraginta maturum, sanguine perinde ac militia nobilem: cui per visum minę intendebantur ni Catholicus fieret, futurum vt damnaretur, & hic proinde stimulis conscientiæ adiutus est, sed operosè: quia ex hæreticorum gurgustio turbabat Prædicans, Nostro ab ægro recedenti succedens. Fure à Patre deprehenso concertatum est variè, sed vt mos est hæreticis, cum varia fidei capita singula imperfectè percurreret, eò angustiarum deductus est, vt secum pugnans recederet, nec amplius reueniret ad ægrum: qui tamen adeò vexatus est ab alijs, quorum hæresi se abdicauerat, vt furore desperationis comite cultro sibi animam eripere voluerit. Iam ferrum improbum in pectus adegerat; sed erratum in via mortis, qui error saluti fuit. Inter hæc accersitus è Collegio opem præbet animo, viamque & rationem præscribit exitus melioris. Dictum surdis auribus ægro dictante actam rem agi; se diabolo deuotum, nomen IESV appellare non posse. At pater audentior contra, multis instat, & vrget pactum rescindi posse. Altis tandem Dei gratia clamoribus aditum ad aures habuit oratio, & deiectus de sententia, mox etiam de criminibus

auditu

Digitized by Google

auditus, sanctè expiatus, præsente nostro mortuus est, insigni constantia vsque ad finem.

VENIO nunc ad ea quæ tametsi Nostris omnino propria non sunt, tamen eos quadantenus spectant; vt quæ illis vel auctoribus, vel arbitris peracta, & sunt ad Dei gloriam. Ferdinandus Archidux, cuius desiderium opportuna confessio & communio, per Quadragesimam quotidiana cruciatuum Christi meditatione excoluit animum, corpus domuit abstinentia strictiore; pauperes ditauit eleemosina; & sanctioris hebdomadæ feria quinta ad epulare conuiuium loco in aula purpuratis ex holoserico peripetasmatis regiè conspicuo conuiuas accersijt illos ipsos, quorum diuitiæ mendicitas & patientia. Erant isti numero tredecim canitie candidi, ætate, si eam bona fide conferas, ad mille trecentos quatuor & triginta annos effeti, visendi ferè cuncti sæculares, aliqui sæculo grandiores. Archiduces è templo vbi à prima luce perstiterant, circiter meridiem regressi, Ferdinandus ponere pileum, capere mantelium, senibus seruire ad mensam; duo fratres Maximilianus & Leopoldus ponè subire vegeti simul administri omnium, quæ ad epulantium vsum, quę ad lautitias. Stabāt ornata è ligno vasa iustè alta, & latè capacia, arte noua tredecim Austriacis armis insignia; in ista Principum manu effusæ reliquiæ, addita omnis mensaria suppellex omnino noua: centum insuper & triginta ciborum alia fercula curata in ædiculas pauperum deferri vniuersa. Mensis remotis lectum est à Diacono diei Euangelium; vbi audita sunt illa verba (& cum accepisset linteum, præcinxit se) Archiduces lintea capiunt, præcinguntque; & cum illa (Misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum) illi genibus nixi mendicorum pedes lauant, terguntque, simul benigno oris pressu suauiantur, addunt singulis vestem corpori, & in crumena pecuniam appendunt è collo, gratum miseriæ alleuamentum,

Digitized by Google

uamentum. Hoc filij habent documentum abs optima matre, quæ ter eadem ſancta hebdomada, & frequenter cæteris per annum ingreſſa domum hoſpitalem præbet largam ſtipem & cibaria. Igitur Ferdinandus ita ſeſe compoſuit ad iter in Italiam, quod ingreſſus eſt menſe Aprili, pauco comitatu, vbi vnus erat de nobis Confeſſarius. Huc cogitauit tum vt ſeſe S. D. N. Clementis VIII. venerabundus ſiſteret Ferrariæ, vbi de Pontificis manu Chriſti corpus excepit porrigenti ſolatio ſingulari, tum vt coleret ſacra loca, præſertim Virginem Lauretanam.

ENITEBATVR Princeps occultus pergere, ſed innotuit Italiæ Principibus, ſummo ſtudio ac magnificentia exceptus, ſæpe quidem regalia palatia Religioſorum contubernijs poſthabuit Patauij & Romæ.

NARRO deinceps quàm feliciter hic annus exijt, dum ſecum eduxit ex oppido, adeoque totis prouincijs peſtem animarum. Archidux Ferdinandus redierat ab Italia plenus animi & certus eijcere hæreſim, quod ante fuerat quoque parentis Caroli deſiderium. Eijciendi quiſquis conatus omnibus videbatur præſens diſcrimen habere: poſt multam conſiliorum agitationem, hoc conſilium vni Principi ſedit, quod reliquis vacillabat, vt nouus ab illo qui obierat Parochus claſſicum daret: vir antiqua fide, doli inſcius, prouidus recti, bene habilis in hac chorea ducere finem. Hæreſis huc olim inuaſerat, eratque publicis comitijs recepta in clientelam omnium Procerum, ac magno ſumptu alebatur, atque ante Noſtrorum aduentum velut Domina paſſim volitabat, etiamque nunc audebat Collegijs quatuor per Principes Ciuitatis poſitis. Igitur ex condicto Parochus intentat litem hæreticorum Collegio quod Græcij alebat quinque miniſtros verborum, plures Magiſtros docendæ iuuentutis, & complures perfidiæ alumnos, id authoritate Procerum ſtabat publicis Prouincialium impenſis. Quæritur ille ſuum ius occupa

Digitized by Google

occupari; esse iuris sui, & in sua ditione spiritali quotquot toto Græcio essent; atque Prædicantes in messem suam vnius iniquam falcem mittere, & annos iam amplius triginta nequiter auertere. Quid inde verò? Orat Prouinciæ Iudices, ad quorum tribunal litigabat. Vrget de eorum sententia suum sibi reddi. Hi ipsi erant Proceres hæretici, & Collegij Prædicantum curatores, penes quos summa Prouinciæ post Principem extra Comitiorum tempus, qui mirari audaciam noui accusatoris, quo cum verbis velitari, quem ridere velut non satis compotem sui. Contra iste acrior, tanquam si cotem nouaculæ adhibuisses, exacui, instare, & minari se illos esse appellaturum apud Principem de neglecto iudicio. Illi porrò negligere hominem, & à Tribunali submouere: ergo appellat; verbo, scriptoque orat litem æstimari, æquumque & bonum se petere. Principem esse vnum & sacrum innocentiæ perfugium. Hæc magno animi sensu peraguntur. Princeps graui decreto mandat quatuordecim diebus absint Prædicantes cum suis, & iuri alieno cedant: siquidem in hanc possessionem inuasissent, quæ nulla posset præscriptione teneri. Ex hinc cursitatio Optimatum per aliquot dies, & scriptiones, & preces, & quasi minæ. Videret certè Princeps nequid inde detrimenti. Qui alterum scribit S. C. iubetque damnatos abesse ante primam facem, ni ferrum velint experiri, & erat in promptu miles. Matutina hac comminatione tanquam cœlitùs concussi, & limphati sese corripiunt è suo gurgustio omnes ante vesperum, ac solum vertunt. Visebatur ad turrim cœnobij quod abest quinque millibus passuum, hæresis septicipiti monstro insidens, porrecto abominationis poculo, picturis adumbrata superbè resistere aduersus B. Matris, & aliarum Virginum vestigium, quæ in ipso tempore fulgure tacta est, & erasa, cæteris imaginibus illæsis. Nec modò ex Styris, sed etiam ex Carnis & Carinthis

Digitized by Google

this electi, qui mali seminis, quà lectionibus, quà concionibus malam sementem factitabant. Dei digitus est, cuius ostensione ac robore illa pestis tandem proiecta abierit: de qua laude nihil decerpere voluit Opt. Ferdinandus, hoc verbo vsus: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

RESIDENTIA MILLESTADIANA.

ANNVVS census Collegij Græcensis auctus est additione oppidi. Id oppidum est in superiore Carinthia situm lato admodum agro & cultura fertili, & est ipsum loco salubri, vtpote puro, & iucundè amœno; nec ita nouum, quod circiter annum Christi DCC. LXXIIII. à Diuo Domitiano Duce Carinthiæ & Noricorum mille idolis statuis (vnde loco nomen Millestadiū literis mutatis) gentilitia superstitione celebratū. Sed bono euentu vertit Dux tabernam idololatriæ in domicilium Christi. Hoc ita factum. Per id tempus acceperat ex rumore Dux, Diuum florere Virgilium Antistitem vrbis Salispurgensis, sanctimonia iuxta & fama miraculorum celebrem. Hunc Deo auctore per oratores accersit, à quo fidem pro perfidia, Christum pro idolo edoctus euersa impietate voluit pijssimus princeps velut testem in Deum pietatis sedem eo loci fundare Religiosis S. Benedicti, & postea fuit magistri Ordinis sancti Georgij: Hinc Collegio pendebatur annuum vectigal, sed cum desiderarentur ad ampliorem nostri Seminarij & Vniuersitatis statum paulò ampliores reditus, & consueti ægrius inde semper obtinerentur, hoc oppidum cum suis terris iuncto prouentu, liberali beneficentia munifici

Digitized by Google

nifici Ferdinandi Archiducis collegio est attributum, vt spes iam sit post frugiferum laborem tranquillis rebus ambos fructus Collegium accepturum. Neque nulli erunt nostri Patres in reddenda vice, nam duo cum coadiutore missi iam oppidanorum animos erudiunt ad virtutem.

COLLEGIVM LABACENSE.

NOVVM est hoc Collegium anno superiore felici initio inchoatum. Fundator est Sereniſſimus Ferdinandus, cui multa cura de progressu. AEdificio struendo lapis primus iactus est mense Maio, rem egregiè adiuuantibus, qui Principis partes hîc tuentur. Tunc rediuiuus extitit Abraham immolans filium, datus venustè in conspectum à nostris discipulis, qui in tres Grãmaticæ classes hic sunt distributi. Actio visa est cum applausu & accessione ad scholas, damnataque socordia Pedotribarum Lutheranorum, qui suos eiusmodi decorè nihil doceant. Spem fabricæ copiosæ promouent quatuor millia Florenorum à quodam nostro attributi. Et Ioannes Episcopus Labacensis defunctus iam ante suo munere attribuerat mille talleros. Domus quinque emptæ sunt, vna Nostrorum seruit habitationi, dum Collegium ædificatur; quatuor aliæ ad cepti ædificij solum latius efferendum. Antistes qui demortuo suffectus, ipse nostri amans, sui prodigus, vt Dei rem agat. Primates alij omnem occasionem libenter occupant ædificationis adiuuandæ, iumentis ac operis ad eam liberaliter datis. Conciones dominicis diebus sunt duæ, antemeridiana Germanico, pomeridiana Carniolo idiomate, quod idioma longe defectit à suo fonte Illyrico

Digitized by Google

rico veteri sermone. Laboratum vt simultates & odia ponerentur, atque effectum. In Nosocomio eo vtilior quo locus templo ab hæreticis, occupato vicinior. In hoc contubernio pauperes bis erant & miseri, nam & à morbo patiebantur & ab auditione Prædicantum, qui illis occinebant calumnias, probra, & sannas in Catholicæ fidei opprobrium: quare tempestiuo solatio recreati. Agnus cereus sacer, & preces expetitæ aliquot fœminas difficultate partus leuarunt. Vir opibus & nobilitate certa, sed incertus fidei, auebat nostros cum Lútheri præconibus videre & audire cõgredi, promptus victores sequi. Euocat illos quos habuit paratos, euocat & istos, qui tergiuersari & prælio abesse. Homo perspicax tantisper dissimulat dum epulum apparet, quò isti non inuiti solent. Ad conuiuium vtrosque futuræ pugnæ ignaros inuitat, atque oportunè inter se cõmittit. Complures simul vocati erant viri nobiles certamen conspecturi. Hic Prædicantes in arena trepidum statum capere, referre pedem, & loco excedere non turpe ducebant, nisi conuiuæ eorumdem assectæ amicis cohortationibus impediissent. Certatum est, & propugnatum. Fidem à consortibus suis spe & charitate quandoque separari, ideoq; à consortio cœlitũm extorrem fieri. Non repeto minutatim concertationem, dico feliciter iuisse ad certam audientium salutem. Apud quos boni Prædicantes relicta inscientiæ dolenda opinione ringentes ob ereptum buccinatorem illum nobilem, qui victoriæ adhæsit, ex ambone populum obtestati sunt per tribunal Iudicis æterni, tota cœli armamentaria minitantes, si ob tantulam reculam dogma diuini Lutheri desererent: domos etiam obierunt, vt publicè declamata priuatim inculcarent; Verba Iesuitarum intoxicare mortales, eorum consuetudinem fidelibus exitialem, proinde summopere deuitandam. Quæ quidem pondus habuerunt apud plebem, apud prudentes ludum.

Nam

Digitized by Google

Nam postea reperti sunt hominum animi faciliores erga veritatem, vt pro paruo nunc ducant, quod ante ceu pueri laruam valdè formidabant, si palam de suggestu decantati ab illis veteratoribus diris deuouerentur. Constantia adolescentis genere nobilis in amplectenda religione generi par fuit, à parentibus aspectu & hæreditate eiectus cum ignominia, non cessit nobili voluntati, domo paterna abstinuit, quousque parentem æquiorem haberet, quæ vltrò tandem reuocauit in gratiam, & amat. Quod in collegio Græcensi memini, hic bono exitu peractum est. Emissi manipuli concionatorum & doctorum Lutheri, vt neque templum, neque scholas habeant. Vbi legerunt Senatusconsultum Græcio missum, non validè restiterunt, sed abierunt cum timore, quamuis armis probè instructi, sclopo & acinace conspicui. Iam ante Princeps iusserat, arcem, quæ hic est, præsidio Catholico teneri, & censeri Senatum, Catholicosq; subrogari. Rumor improbus magnum concitarat in nostram famam murmur, quæsitore magistratu & illis abeuntibus totum concidit, nempe vt discas à quibus concitatum. Vnus Pater ijt ad Croatiæ fines, rogatu & ductu Dynastæ magnifici vbi spissa rerum diuinarum ignoratio. Illi ipsi, quos cœcutientibus voce & opere prælucere decuerat, tenebricosi sunt & vxorij. Effectum vt ex templis, ex mentibus sordes mouerentur, ex domibus sacerdotum concubinæ: vocati aliquot lucifugæ præcones. Vir inter suos oppidanos primus, hæresim repudiauit. Sperare licet plura cum Pater eò reuertet.

T

Digitized by Google

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

MARTINVS Syndele, quàm tolerans laborum & morbi, in Domino quieuit. Sedecim annis quibus in Societate vixit, strenui Coadiutoris datis exemplis, templi cultui ac ornatui singulariter semper deditus, in quo & conditus. Quoniam similitudo mater est satietatis, non hìc repetam quæ alijs Collegijs sunt similia, quis nempe fructus trium concionum quæ Germanicè & Bohemicè habétur, nihil de subsidio vinctis & damnatis opportunè prestito; nihil de confessionibus, quæ solito plures, & in his generales ducentæ; certè ferijs paschalibus in nostro templo reconciliati Deo ter mille & amplius, cuius gratia multi multis milliaribus aduenêre: coniuges pacificati remotis simultatibus, quod fuit Optimatibus admirationi, & populoribus bono. Malè parta Germanis dominis reddita: egestati pauperum à pijs hominibus occursum nostro hortatu. Hæretici sexaginta redierunt ad Catholicos, inter eos Lutheranus præco; Nobiles viri tres, ciues aliqui, & anabaptista vnus: abusu calicis plures nonaginta abstinuerunt. Quispiam adulterij conuictus iam plectendus capite, tanta vi orationis illud ipsum publicè detestatus est crimen, Sacerdote nostro auctore & agente, vt mentem auditorum vtiliter permouerit. Duplex hìc est congregatio, vna B. Annæ, quæ frequentissima est ciuium; altera B. Virginis bipartita; Visitantis & Assumptæ; vtraque hæc iuuentutis: atque omnes vtuntur nostris rectoribus, ac pietate florent: nec plura, quàm illarum adminiculo Nostrorum laborem suos habuisse progressus. Inter conuictores gratum fuit, quia nouum & huic anno proprium

Digitized by Google

prium, cernere Senatorum etiam hæreticorũ, Consulumque liberos, nec eos à parentibus religione Catholica prohiberi. E conuictu duo ad Societatem transiêre, vnus ad Carthusiam. Maleficarum præstigiæ contra hanc domum positæ in fimum abiêre, quod fuit Dei beneficium. Deo quoque referimus acceptum, quòd cùm vix dies abierit, quo non aliquos pestis strauerit, neminem ex illo contubernio aut Collegio nostro impetitum fuisse: quanquam hinc Nostri moribundos studiosè iuuerint ad salutem. Cæterum vt illi studium non defuit, proximos ad meliora erigendi, sic nec proximis liberalitas nostrum templum ornandi: in hoc ornatu eminet calix grandis precij & artis, munus matronæ, quæ abhinc biennium relicta hæresi ad Catholicos venerat; vbi constans pietatis laboribus vita decessit. Alia quoque recens Catholica omnem mundum muliebrem haud contemnendum templo addixit, & ipsa omni abstinentiæ deuota. AEdis summæ canonicus aureos octoginta, Illustris vir Ioachinus Aauguicius Morauiæ Capitaneus circiter octingentos vsibus Templi ac Collegij partiendos: qui sepulturam delegit apud eos quos amat, R. Patris N. concessione. Idem afflictæ patriæ memor posuit perpetuum stipendium quatuor adolescentibus Morauis, qui in literas incumbunt ad publicum obsequium. Hæc domi nata, illa foris.

MISSI ad oppida vicina & alia loca nostri Patres qui fructuosè fecerunt verba ad populum: numerosas exceperunt confessiones, è quibus generales vndenonaginta. Sustulerunt consortia & dissidia, vtraque plena scandali. Ad communionem vnius speciei reuocarunt plus triginta, absoluerunt ab hæresi omnino septem. Claudo hoc collegium publico luctu & damno, nimirum Reuerendissimus Episcopus Olomucensis Stanislaus Paulouius obijt. Hic præsul vsquequaque religionis amans, & iuris Ecclesiastici assertor fuit, Concilium Tridentinum istic

Digitized by Google

ſtatuit, celebrauit Synodum, inde iam intermiſſam, nunquam fractus minis, aut factis hæreticorum; hæreticis iuxta ac Catholicis viris in primis charus, ob ſincerum prudentemque animi candorem, qui candor vt eſt huius vis virtutis, dedit verſutorum technas euincere ſine pugna, & illos deuincire: hinc à Cæſare Rudolpho II. adhibitus ſæpe grauiſſimis negocijs cum munere legationis, vbi non minus fuit ſuus, quàm domi vtrobique vita caſtiſſimus. Quotidie ante ſomnum ipſe recitabat litanias, aderatque modeſtè præſens famulitium Aulicum, viris Nobilibus celebre, & hos verbo, quodque potentius eſt, exemplo alliciebat ad omnem virtutem. Omnes qui in temporali ſunt ditione Epiſcopi (ſunt verò complures pagi, arces, populoſa oppida) ad ſpeciem panis vnam, dum Euchariſtiam perciperent, adduxit. Habebat docta veterum Patrum dicta & ſententias de caſtimonia ad frontem breuiarij, quod penè attritum erat, calamo proprio notatas, quò mentem & oculos identidem referebat, velut ad ſpeculum, vt ſe luſtraret: legebat quod eſſet ad eruditionem & pietatem, vel audiebat etiam cibum capiens. Confeſſarium ſuum noſtrum Sacerdotè verè amabat, tanquam parentem, & amanter timebat ceu Iudicem. Liberaliter ſibi obſtrinxit Societatem meritis, ipſe meritorum Societatis conſors, benignus, hoſpitalis, & Epiſcopalis officij, ad aram autidus, quod obire ſolemni ritu, ne febri quidem ſemeſtri teneri potuit, quæ poſtea acrior efferbuit, & Præſulem abſtulit ſæpe has repetentem voces, Miſerere Domine: Beati immaculati in via: In domum Domini ibimus, quo cum luctu varij carminis, & funebri pompa ciuitatis ſumus illum proſecuti, æterna memoria dignum.

DO

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

BRVNAE excessit è vita vnus. Vir nusquam tardus, aut fugiens laboris. Vnde festinata mors: fuit Coadiutor veteranus. Nam hîc duplex est ordo, Veteranorum & Nouitiorum: hi suum sibi laborem, illi quoque proximo vtiliter collocarunt. Huius quædam hæc sunt: in carcere detenti solatio, confessione, & sacrosanctæ Eucharistiæ ministratione reficiuntur. Fuit qui peccatis expiatus in loco supplicij præsente, & æquabili animo trifariam partitus totam possessionem, partem vnam prolixa sponte attribuit accusatori, à cuius pertinacia reus nunquam potuit eximi vllis hominum precibus: alteram adscripsit duobus vrbis Xenodochijs: tertiam demùm propinquis hæredibus, magnaque simul moderatione extinctus est, lachrymante aspectantium multitudine. De pluribus addo tria, vnde claret Nostrorum labor. In primo est, vir qui morbo graui mortiferoque affectus omnibus precibus orabat suos impensè nostrum Patrem vocari, erat nox intempesta, illi vt molestiam exirent, iubebant expectaret, & dictabant nostrum insuetum huius nocturni laboris: æger surgit, & per tenebras sola veste pellicea talari in humeros iniecta abit: Patremque repetito pulsu exciuit; confessus proxima luce animam Deo reddidit. Alterum est, iacebat simili morbo alter, cui malignus dæmon vncis pedibus, cætera omnia vir affuit noctu, vsus verbis quasi ex olla effractis: Hem, inquit, quousq; tandem hos cruciatus patiêre? habe cultrum doloris asylum: & simul exhibet, iubetq; ægrum sese vita eripere, qui manibus inculcatum ferrum longè proijcit. Iterum adest tentator, vectem transuersum supra

Digitized by Google

decumbentem præbet, monetque ex eo sese faciat pendulum lenius exeundi miseriam genus, vrget blandis lenocinijs, sese solertem administrum: satque robustum spondet, hic interim vincitur: sed tertiò vincendus, altera nocte laqueum ostendit pendere ad lecticam, quo se ille à lecto demissus molliter præfocare queat; deuictus est, ostento rosarij, quod erat à Confessario, & porrò teterrimum fœtorem reliquit. Vir ab vxore molestias pertæsus & vitam, ipse sua sponte ac manu occupare decreuerat mortem, collumque inseruerat in restem: quod semel ille, iterumque fecit; sed vtraque vice homini in angustum acto aduolauit candida columba, miserumque patrio sermone allocuta etiam proprio nomine compellauit. Caue agas, inquit, quod agis, ageris, Dei imperia antepone voculis mulierculæ, neque te, coniugemque tuam desere. Sic à præsenti corporis & animæ periculo ereptus est.

DOMINICO, & festis diebus fuêre conciones lingua Moranica & Germanica, atque ista semper cum emolumento: hæc iuuit sustuliſſe mercatum, qui mane habetur: etenim ne quicquam modò vendi permittitur, nisi peractis diuinis officijs. Paschatis tempore, qui apud omnes Sacramentum obiuerunt, censi sunt supra mille quingenti. Confessionum excipiendarum causa ad aliquot milliaria postulati exierunt: alij longius ipsi venerunt ad confessionem. Ab hæresi absoluerunt quinque & triginta, ex quibus quidam nobiles, ad vnius speciei legem restrinxerunt viginti.

VENIO ad Nouitios, qui alter est ordo, de quibus principio quod dixi verum est, apud eos laborem proprium ita propè hæsisse, vt veros Societatis Tyrones effecerint, quo affectu generatim indicando, satis memoro quæ ad id efficiendum Societatis sunt propria, ab ijsdem diligenter su scepta fuisse adminicula, sat est dictum, dum dico fieri sui victores, quæ vna est vera victoria. Eorum aliqui

Digitized by Google

àliqui pugnarunt antequam venirent in hoc tyrocinium. Quidam amplis honoribus promissis onustus à suis, omnia excussit, vt ad Christi signum aduolaret; quem viam longam parens secutus est vt reuocaret; vtrimque certatum est: tandem filius sibi relictus velut in biuio, eam partem vbi salus est, concessit. Hoc viso parens præsto fuit ad filium fausto omine prosequendum, & discessit, quod filius delegisset postliminio iucundè ferens. Alter item repudiatis honoribus, qui erant ad nutum, sed conflictatus morbo quòd repudiare tardasset, in aditu statim liberatus fuit. Tertius quia parens Arrianus templa Catholica diripuisset & æquasset solo, arcano afflatu putauit omnino, etiamque nunc prædicat se S. Spiritus templum esse oportere in Societate, & esse contendit frendente Patre. Non omitto quartum huc euntem incidisse in noctis caliginem summa hyeme, pereundum erat, fudisse ardentes preces toto pectore, & B. Virginem Patronam orasse, occulto an aperto itinere, adest qui pereuntem ducit suauiter in tutum, & abijt repentè desinens videri, non modò in aditu, sed & progressu diuina fuit incitatio. Beatam Matrem omnes nouo sensu enixè coluerunt, & creuit cultus, desiderio quo feruntur ad ea quæ superiores mandant Deo commendari. Fuit autem qui regredi putaret, sed vidit in quiete dormitanti similis, iam certus manum ab aratro recipere sese, progredi ad sacram Synaxim, cum duobus Socijs, & à Christo sacerdote æterno augustè ac blandè incruentum cibum porrigi alijs, sibi verò vni horrificè in os intrudi cruentatam hostiam, cum his vocibus: Quandoquidem tu non vis, ego te proijciam in æternum. Vili admonitio valuit.

EX hac domo me colligo, si, quid rei familiaris in eam accesserit, prius significo breuiter: officinæ exedræ, suppellex vsui domestico addita, accessio magna ad libros facta tum emptione, tum donatione Reuerendi Domini Petri

Digitized by Google

Grudecij Præpositi Brunensis, & aliorum. Prædium & hortus suburbanus muro cinctus, acceptum ius pastioni pecoris percommodum. Denique ad structuram templi, quæ hoc anno feliciter inita, octingenti taleri, qui singuli efficiunt aurei nummi bessem, ad anni superioris bonam summam munere bonorum additi. At verò vel ipsi hæretici suppetias recipiunt dare, dabuntque, vt est hæc gens cauta promissi, sed pertinax. Ad primam substructionem datus est dialogus à nostris scholasticis, qui sunt ducenti & quinquaginta; ex his duo venêre ad nos, tres ad Patres Carthusianos.

COLLEGIVM PRAGENSE.

OMNES valuerunt, quamtumuis septum fuit Collegium pestiferis circum ædibus. Sacerdos vnus cum socio à reliquorum consortio abfuit, ne Collegij periculo foris consuleret proximorum saluti. Lue grassante dimissa iuuentus primo Autumno, quæ hucusque extiterat sedulò amans probitatis & eruditionis, accessitque ad septingentos. Octo Societati nomen dedêre. Quatuordecim summi Pontificis alumni hoc anno sunt in vineam Domini directi. Seminarium habet Congregationem, quam externi studiosi virique nobiles frequentant, singulari sanè erga Deiparam amore & cultu. Congregatio quoque Italorum numero, ac pietate augetur: horum templum ouali forma affabrè substructum, cum excelso collo paris tenoris, etsi necdum est perfectum, illi operi tamen insistitur, cælatura ex gypso & picturis. Impensam homines pij faciunt. Pater est qui concionatur apud Italos, quorum in hac ciuitate

Digitized by Google

uitate magna copia est. Apud alios [illegible]em duo alijs duobus in templis nostris Germanicè & Bohemicè: ac profectus concionum frequentia dignus. Hæresim expuerunt centum quinquaginta: Plurimi in fidei constantia corroborati. Euulsæ [illegible]mulierum pectoribus inueteratorum fibræ vitiorum, vtque quaque apud Nostros fuit confitentium multitudo, vt in ampla vrbe quæ hominibus abundans, Catholicorum Sacerdotum egens, & fuit emolumentum ex more & præter morem. Generales confessiones auditæ centum & viginti. Itum foras operæ pretio ad excipiendas confessiones Monialium, auctoritate Nuntij Apostolici: ad sacras ædes peregrè, rogatu Illustrium personarum, ac vtilitate: ad Custodias, ad Xenodochia, & tota Vrbe ad infirmos. Impetratæ eleemosynæ in egentes, quos pudor & ordinis sui nomen prodere se, & prodire vetabant.

VIR Catholicus coniugem vnicè charam dolenter tulerat in hæresi, quæ mariti incitatione admisit lucem, & in supremam ægritudinem incidit, breui linguæ vsu ceterorumque sensuum officio destituta. Hic verò maritus in omnes preces se effundit apud Deum, ne coniux absque sacra exomologesi abeat: voto insuper sese obstringit, si voti compos fiat post illius mortem se minimè secundam quæsiturum. Quid multum? ecce mulier articulatè loquitur, orat confiteri, confitetur; sacro epulo refecta triduo post moritur. Vir vrgente familiarium cœtu quærit alteram, habet, & voti fidem non liberat. At repentina morte statim luit non liberatam. Inde liquet voti sanctitas, hinc confessionis efficacia. Par fœminarum sectæ Hussiticæ, quod genus hæreticorum est torue, pertinax, varia & sollicita confessione, communioneque diu optatam, & apud Hussitas Sacerdotes frustra quæsitam animi tranquillitatem, apud Nostros, vna confessione reperêre. Hoc est generis eiusdem: sicarius ob patratum scelus pungen-

Digitized by Google

tis conscientiæ mo[illegible]us saucius quęsijt anxiam medicinam ab Lutheranis suis magistris, & Caluinistis, nec habuit. Vulneris acerbitate actus; suspirauit alios medicos, & adijt ad Catholicos; nostri hominis labore adiutus, apud eosdem vnus de illis manet [illegible] mentis angore procul. Nec quod sequitur, est hoc loco alienum. Acer miles improuiso morbo stratus absque omni rationis vsu iacebat, & violentas sibi manus ni prohiberetur inferebat, Sacerdos noster viuificæ signum crucis fronti, pectoriąue furentis imprimit manu, & voce in aures infundit nomẽ IESV. Aeger veluti ex profundo ereptus veterno intuetur, & ritè confessus omnem sanitatem recipit. Alius à dæmone noctu diuque vexante eodem sacramentorum remedio liberatus est. Cumulo addidero religiosam personam, cuius corpus inueteratis doloribus pridem confectum, mirabile, facta confessione & percepta Eucharistia omnino reualuit. Cætera omitto. At in præsentia laudo virum, quem multi libenter aspexerunt. Is nobilitate insignis ac eruditione, ab amplis honorum & dignitatum officijs in Principatu Virtembergensi obitis, optimi Doctoris Ioannis Pistoris opera, ad salutis angustum callem ductus. Pragæ nomen Ecclesiæ dedit, & huc suos ducere parat, quærit nunc viam. Alter eodem ordine equitum ductor, plurimis gratus ob bellicam virtutem, secutus est, & sensit suaue mentis solatium, quod auget assiduo exercitio Christianæ virtutis: speramus vtriusque exemplo atque doctrina complures alios ad veritatem perductum iri.

MVLTI conuenerunt in Collegium piè commentandi causa; quam ad rem hoc anno loca aliqua opportunè sunt composita. Duo Antistites Græci Archiepiscopi hic fuerunt, lęti reperisse in Collegio quicum Græcè agerent. Actum est cum illis humaniter, qui paulo ante

Romæ

Digitized by Google

Romæ ad Ecclesiam Catholicam adiuncti, etiam hîc pleniore fidei documéto, ac bona de nostris opinione aucti.

EMPTA est domus in Collegij Insula fundo nostro, nobis vel ob id percommoda, quòd inde molestius ab arbitris curiosis exeamus. Ad emptionem opus erat octingentis aureis præsenti nummo, qui statim amicorum liberali dono repræsentati. Templi suppellex creuit: sunt aulęa perelegantis artis; crux spectabilis, & pretiosæ vestes aræ & sacerdotis, patera aurata, quę opere & pretio grauis; denique alia quorum omnium æstimatio pluris sit aureis quingentis. Additi ducenti aurei, vt scholæ reuocarentur ad suum decus, vel quoque melius, quod adulta ætate abierat, distractum inaudita eluuione Moldauæ fluminis, quod interluit vrbem, & alluit prope Collegium. Hæc eluuio rusticis, ac vrbanis dedit timorem cum detrimento, hominibus absorptis. Regni Cancellarius de Boëmiæ regno, & Collegijs nostris semper bene meritus affecta valetudine se Nostrorum precibus commendari magnopere petiuit, vniuersam vitam aperuit apud Nostrum, à quo sacra Synaxi & extremo oleo communitus est, semper animo & voce præsentissimus. Ante obitum iusserat bis mille aureos Collegio se coram numerari, & habuit donationis meritum: sed dono arcanè cessum est apud Virpropinquos, ne vmbratica ansa porrigeretur alijs fortè paratis calumniari nostros extremis officijs mercedem & quæstum captare, quæ abstinentia auxit Societatem bona commendatione.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

VBI sterilis ager est, ibidem labor multus, & quisquis fructus gratus, cuiusmodi hîc gustare liceat. Fuerunt Nostri in diuturna pestilentia extra noxiam. Tantus mortalium cuiusque generis exstitit interitus, vt nulla ferè domus suos non deplorarit mortuos. Pares sectariorum; qui duces & authores inducti paulo ante in hoc oppidum præconis hæretici: pars Catholicorum, qui rem orthodoxam hactenus sustentarunt: nunc solum à Deo auxilium.

AD Iunium vsque in Collegio non omnino trecenti adolescentes literis & moribus exculti sunt, in quibus inerat moderator adolescentiæ pudor, inerat eorum quæ traduntur fida custodia, inerat iniuriarum, quæ abs hæreticis, contemptio, & amor probitatis. Exempla quæ minuta, transeo. Quatuor in Religiosorum familias sese aggregarunt, quorum duo in Societatem. Vnus aliquis ortu Argentinensis, eiurata hæresi à patruo verbere, & mortis comminatione oneratus firmus stetit. Alter animum auxit inter carceris pedores: huc parentis iussu, lictorumque ministerio retrusus ob religionem: hanc fortitudinem, & constantiam imitati sunt pueri Abecedarij, qui peste strati sub extremum spiritum anheli suos parentes Lutheranos flagitabant hoc vnum vnicum, ne se à Prædicante condi finerent: mori esse suaue, ab hæretico condi Ministro fore acerbum. Neque verò cultura plebis neglecta est: eo pertinuerunt duæ conciones Bohemicæ, & Germanicæ. Pestis tempore bis mille septuaginta tres animi noxas per cõfessionem deleuerunt: & quidem aliqui peccatis à prima ætate repetitis, magnis conscientiæ terroribus

Digitized by Google

ribus se liberarunt. Alij patrias hæreses, prauasque opiniones cum vera fide commutarunt: Lutherani tredecim: Hussitæ tres: ab vtraque ad vnius speciei vsum traducti decem: neque etiam Pagis defuit cultorum industria: sermones habuerunt ad rusticos: tres peccatorum & hæresum nexibus soluerunt: eorundem labore fuerunt, qui sublatis odijs intestinis ad concordiam & animi æquitatem redierunt, qui paratæ vindictæ consilium prolixè deposuerunt, qui consuetudinem tetrè viuendi in honestatem permutarunt. Matrimonij legibus adstricti: pro his Nostri retulêre gratiam à Catholicis, abs hæreticis calumniam, & iniuriam, quæ in magno lucro sit. Catholici præter gratum animum, quem copiosè præseferunt, ornarunt pretiosa veste pendula concionatoris suggestum: additi duo calices inaurati, & sacrificantis sacerdotis vestes, & sexaginta nummi aurei, aliaque minutiora. Illustrissima vidua Nouodomensis præter carnium pisciumque bonam annonam quam submisit Collegio, duos menses aluit nostros eloquentiæ studiosos decem, cum Magistro, qui secesserant ob vitandam pestem, cæteris domi perseuerantibus cum incolumitate, quod Dei munus fuit.

COLLEGIVM COMOTOVIENSE.

COMOTOVIA est in extrema Boiemia, & proximè adit ad Misnium: vbi idem labor, qui alibi, non eadem messis. Concionatum est in Paroeciæ templo, quod funditùs exustum est, vti dicemus. Post, ventum est ad arcis ædem, quæ tacta incendio minor erat. Illò, ad audiendum populus aliquis

Digitized by Google

quis confluit, pluribus effusis ad hæreticos rabulas, qui in propinquo clamitant extra oppidum: mirum certè quantum ista gens exemplo tenetur apud errorem, vt pudeat iam recta videntem ad viam reuertere, ni simul alij qui nolunt reuertant. Oppidani Catholici ad nos conueniunt Paschate & aliàs, sacramentorum ergò: vtilior opera ponitur apud rusticos in pagis ternis, & quaternis, vbi sedulò Nostri diuina procurant. Confessiones longum intermissæ, sunt repetitæ: generales centum amplius auditæ. Vacillantes confirmati, ad fidem reducti vnus & sexaginta. Qui in hospitali domo iacent, humano, & diuino cibo recreati. Victi & damnati, ad tolerantiam benè compositi: ob factam cædem Catholici Sacerdotis, audijt quis mortis sententiam, tantumque exarsit impatientia, vt omnibus molestiæ esset, ac horrori, quem noster Sacerdos sic moderatus est, vt in arcto complexu fidei Catholicæ paulo ante admissæ, patientissimè expirarit, cum spectantium stupore. Ad ædificium Collegij in dies fit accessio: Collegio quoque accessit hortus religiosæ digressioni opportunus. Prius refero incendium quàm concludo.

AD vigesimum quartum diem Iulij totum oppidum, quod sat amplum, & duplex prælongum suburbium, cum arce & templis, vnius horæ spacio conflagrauit. Diceres immanem furentium flammarum nubem præcipiti lapsu, in tota ædium tecta, quæ imbricibus ligneis constant omnia, repentinò incubuisse. Collegium inter ructantes ignium scopulos medium, tanquam dira oppugnantium acie vndique vallatum stetit, non minus euentu felici, quàm ante septennium, quando eodem mense Nostri graui tumultu hìc sunt concussi. Ciues, mali furore victi, mœnibus eruperãt omnibus desertis, si modò vitam seruarent: tantus erat rogus & ardor incendij. Extra positi miserabilem casum dum cernunt, & Collegium in medijs flammis, & infra ipsas flammas credunt, eadem conflagra

flagratione voraci, suum incendium nostra calamitate refrigerant: misericordiores Nostri, qui exportandis illorum ruderibus per nostros equos, & operas suum laborem donant, eosdem solantur, erigunt, omni ope adiuuant: & iam de ferocitate multum ponunt nobis æquiores. Mortalitas secuta est incendium, duoque ex Nostris seiuncti sunt, qui & in hoc discrimine pergunt benè facere maledicentibus.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

ET hoc aruum Nouodomi vepribus horrescit, cuius cultura hęc fuit. Collegium soluto præterito luis periculo, mense Februarij reuocatum est. Conciones plerumque binæ habitæ, maiore quàm post mortalitatem sperabatur frequentia: quarum vna fuit in Templo Ciuitatis, quam Illustrissimi audire solent: altera catechistica, pomeridianis horis in templo Collegij: qui partim ex diuersarum hęresum erroribus ad veritatem traducti, partim ab vtraque specie ad vnam participandam redierunt octo, & viginti numerantur. Ex quibus vnus valde prefractus vsque dum morbo caduco sæpius & periculosè tactus esset; qui facta peccatorum confessione, cælestique cibo refectus liber deinceps à morbo extitit: & quam ante petulanter religionem oppugnauerat, eius acer factus est propugnator. Alius cum viginti duos annos sacramentis abstinuisset, confessus more Catholico sacram synaxim sumpsit. Mulier à pueritia hæresi imbuta, tandem in extrema infirmitate totius vitę criminibus Sacerdoti detectis, sacra communione & extrema vnctione confirmata, è viuis abijt. Alia sæpius à defuncta filia in vitu admonita, vt Nostros adiret,

Digitized by Google

adiret,& ab ijs præcepta salutis peteret, instructa, & in viam reducta est. Circa festum Paschæ qui Nostris confessi sunt,trecenti quadraginta sex numerantur: ex ijs de tota vita aliquot.Rusticorum turba dum ad sua crimina in confessione detegenda perdifficilè se præberet, à Confessario facta ad multitudinem admonitione, facilior ad debitum confitendi modum, adducta.Baro quidam concionatorem nostrum de Confirmationis sacramento verba facientem audijt, & Pragam profectus magna cum pietate, & spectantium ædificatione eodem se curauit muniri.Vsus rosariorum, conscientias examinandi consuetudo, à multis suscepta.Dissidentes nonnulli inter se reconciliati;non solum domi,sed foris etiam cum Nostri sacramentis subministrandis sunt vocati. Sacramentorum item vsus confessionis, & communionis diebus festis,in nostro templo frequentari cœpit, in quo ab Illustrissima fundatrice dum suis præire solet,magnum datur alijs ad imitationem argumentum. Demirantur multi, non sine fructu, si quando eandem loca sacra obeuntem, Nosocomijs consulentem, inseruientem pauperibus intuentur.Erant aliquot in Ciuitate scholæ, quibus iuuentus vtriusque sexus dispersa falsæ religionis doctrina, & moribus imbuebatur:quibus omnibus auctoritate Fundatricis interdicti, ad nouum vtriusque linguæ Bohemicæ & Germanicæ,Magistri Catholici Nostrorum arbitratu sunt constituti. Parentes suam iuuentutem imitantur, & in istorum æquè ac filiorum commodum, Doctrinæ Christianæ lectio diebus Dominicis, pomeridiano tempore est instituta, magna hominum concursione, & approbatione:quam vel Illustrissima Fundatrix sua præsentia commendauit.Collegij fabricam superiori anno propter pestis periculum suspensam, hoc anno resumptam studio tanto,& celeritate promouit, vt dum multis admirationem,aduersarijs nostris indignationem præbuerit:

Digitized by Google

rit: cuius ardenti ſtudio vt labor noſter, & fructus reſponderet, in reſumendis ſcholis ac diſcipulis congregandis, quantum in nobis fuit, conati ſumus. Numerus diſcipulorum, non eum quidem qui anno ſuperiore attigit: progreſſus tamen eorum eiuſmodi viſus, vt prioribus claſſibus primam Grammaticæ addere neceſſum fuerit. Probauit noſtra Iuuentus induſtriam ſuam, cum in ſtudiorum renouatione nuper primum hîc ſolemniter celebrata, de milite Chriſtiano drama exhiberet, magna ſpectantium voluptate, & admiratione: quæ res Illuſtriſſimorum animos, aliàs erga nos propenſiſſimos, mirificè confirmauit, eiſque ad futuros vberiores ſuorum laborum fructus ſpem non minimam excitauit.

COLLEGIVM GLACENSE.

COLLEGIVM hoc ante Canonicorum regularium ſedes, authore Chriſtophoro Kermiſero eius ordinis Præpoſito, Societati acceſſit. Videns namque dominus Præpoſitus ſe in medio hæreticorum ad ſuſtinendum aduerſariorum impetum imparem: vt Præpoſituram conſeruaret, & hæreticos, quibus hæc ſcatet Prouincia, errore liberaret, bona Societati coram Epiſcopo Pragenſi Cœnobij protectore decernit. Proximum quippe erat vt gymnaſium Lutheranorũ Glacij erigeretur, è pecunijs demortui cuiuſdam ciuis Glacenſis Suenskfeldianorum anteſignani, quam ipſe in pios vſus reliquerat, quem conatum vt Præpoſitus Catholicis ſcholis anteuerteret, ad Epiſcopum eodem nomine redit, pro Collegio inſtat: quod ipſum Clemens VIII. Pontifex Opt. Max. per litteras agit. Archiepiſco-

Digitized by Google

pum officij hac in parte seriò monet: quibus ille permotus præsente Nuncio Apostolico & Præposito, Collegij institutionem scripto dato comprobauit. Accessit Imperatoriæ Maiestatis consensus, cuius voluntate tres dati sunt spectatæ authoritatis viri, qui rem dederunt perfectam, & Monasterium Beatæ Virginis in Monte Glacij, cum bonis omnibus Societati tradiderunt, data sufficienti cautione ne quid per subditos molestiarum aut turbarum Societas pateretur. Iam saltus Nostrorum curæ traditus erat, eorundem laboribus excolendus: par spei conatus aderat: sed nescio quem turbinem humanæ salutis inimicus per suos excitare cœpit. Nondum Nostri plenos octo dies in bonis egerant, Proceres Comitatus hæretici acres conuentu Glacij indicto aduolant, iniquam commutationem queruntur, inscijs Comitatus ordinibus, adeoque ipso Imperatore, factum affirmant. Destinant duos è conciliabulo, Patrem Rectorem adeant, more Præpositorum præcedentium, conuentum sua præsentia non dedignetur: abnuit primùm ille: hi persistunt, vsque dum renitentem in suam sententiam pertraherent. Itum ergo: reperti quadraginta ex omni statu viri, quos vbi religiosa impertiuisset salutatione, in medio considere iussus: ibi vrgent, vt qui sine alicuius auctoritate bona occuparit, eodem vnde venisset reuerteretur: sin id abnueret, pulsos fratres Canonicorum regularium in Collegium reciperet. Noster Cæsaris decreto seipsum tuetur, vtrumque se facturum negat: resistenti imperant, vt tres viros ab se delectos, dum causam apud Imperatorem agant, in Collegio patiatur. Ille contra Cæsaris decretum, vim, & iniuriam sibi inferri pronuntiat: sic discedit. Pater quindecim virorum comitatu pro Imperio domum deductus, tres viri designati, ad Collegium missi: ab habitationibus verò per Rectorem exclusi, prohibitique sunt, vix tectum consecuti: vnde altero die in Collegium facto à

Statibus

Digitized by Google

Statibus impetu, repugnante Rectore, suis custodibus assignatus locus, ex quo ante diem D. Catharinæ sacrum educi non potuerunt; educti tamen aliquot Imperatoris decretis ad factiosos missis; quibus accersebantur Pragam omnes, qui libello accusationis contra Patres oblato, subscripserant. Pœnam quo minus luerint Cancellarij Boemiæ mors obstitit, cui negotium Imperator commiserat. Hæc prima pugna, Victoria stetit à Deo, Imperatoris optimi, bonorumque virorum subsidio: sed in primis Cæsaris Speciani Cremonensis Episcopi, & ad Cæsaream Maiestatem Legati, cuius quasi partus quidam hoc Collegium contra hominum spem, atque opinionem erectum iure haberi potest: quippe qui neque laboribus parcens vllis, neque sumptibus, multis se molestijs implicuit, odijs onerauit: difficultates quotidie in hac causa obortas, vsque ad hæreticorum & Catholicorum stuporem, incredibili robore perrumpens, peruincensque. Tantum eius fuit desiderium in his desertis, atque incultis locis, opera Societatis fidem, animamque religionem restituendi.

NVNC quantum sedata tempestate operari licuit refero (quanquam nec illud parum operis aut fructus dici debet, quòd persecutio sedata; quòd subditi quamuis ad defectionem solicitarentur, in officio retenti; quòd exulcerati ciuium animi sanati, vt nihil obstet aliud, quominus liberos Societati tradant erudiendos, quàm potentiorum respectus, & potentia). Conciones in Ecclesijs nostris quæ domi, quæ foris in singulas dominicas binæ habentur: quibus dominicis diebus à prandio in templo nostro accedit institutio Christiana. Frequentant conciones omnis generis homines, maximè tamen rusticorum perspicitur pietas, & diligentia, qui licet in dominorum dominatu hæreticorum commorentur, tamen animas suas apud nos sanctificant, tanto fructuosius, quanto in anno crebrius. Itur ad infirmos sæpe, qui præuia peccato-

Digitized by Google

rum confessione, Christi corpore muniti, etiam cùm id desiderant, sacro perunguntur oleo: quæ officia, sicut & alia parœciarum, promptè à Nostris suscipiuntur; propterea quòd qui ista præstet Parochus in hoc loco non sit. Festis Dominicæ Resurrectionis confitentium & communicantium capita censa sunt quingenta quindecim, ex quibus tredecim fuêre qui tum primùm cum Ecclesia Catholica in gratiam reuerterentur: & quadraginta qui totius vitæ noxas rememorando expiarent. Apparuit hisce huius Collegij initijs cumulata quorundam amicorum Ecclesiastici ordinis alterius diœcesis in nos liberalitas: alij enim pretio numerato siluas redemerunt: alij rem librariam coemptis primarijs Ecclesiæ Doctoribus auxerunt: alij templi suppellectilem amplificarunt: alij alijs in rebus familiaribus vtiles vifi. Sed & ciuis huius Vrbis casulam argenteam aurea cruce insignitam industriè elaboratam templo nostro donauit. Reliqua quæ templi sunt & scholarum, vt nota & communia non attingo.

TVROCIVM, ET SELLIA IN HVNGARIA.

TVROCIO decem abierunt Selliam sub initium autumni; quo & huius Collegij scholæ migrarunt. Ladislaus Buskarus Transyluanus inualidus, de Medicorum consilio, & superiorum cura, petens cœlum patrium, in veram illam patriam, verumque cœlum, vti speramus, hinc transcriptus est: pro quo in Societatem patuit hinc aditus duobus studiosis, & vni Selliæ coadiutori. Scholæ dum steterunt, capita non amplius centum auditorum habuêre: memorabili

Digitized by Google

bili tamē per hanc loci solitudinem fructu. Exeunte Quadragesima voluntariam flagellationem, licet publica quędam habeatur ignominia, aliquot matura iam ætate iuuenes subierunt, & vt populares eodem inflecterent, codicillum concionatori de Christi morte verba facturo, qui imitationem hanc euulgandam continebat, obtulerunt. Atque in hoc genus arctandi corporis, & alia præsertim in cultum B. Virginis conuictores præcurrebant, vt sæpe fuerit opus fræno: quin & foras virtus quorundam progressa est. Adolescens loco clarus domum euocatus, primùm blanditijs, deinde minis ad communicandum hæreticis execramentis vrgetur; renuit, sed in templum ducitur, constantissimè negat se fore idololatram. Denique raptim se proripiens, manus & oculos parentis effugit. Pater à templo reuersus illicò expedit scuticas, & sexaginta amplius acerbè onerat filium, quæ quidem filius, sicut & multas alias verberum, verborumque ærumnas patienter tulit. Solatio illi fuit alter quispiam ex condiscipulis nobilitate par, nec in dissimili certamine constitutus, qui in communi calamitate illum confirmare studuit per literas, nempe idem sibi à suis ingruere, se tamen ipsos parentes prius quàm fidem abnegatum esse. In simili pugna tertij extitit dissimilis euētus, quem parentes à gymnasio longius accitum, cum buccinatore verbi in disputationem commiserunt, in qua à puero tale est datum specimen, vt explosa Prædicante, pater non solum filijs (duos enim habebat in scholis nostris) nullum negotium religionis causa facessuerit; sed etiam ipse de eadem capessenda seriò in animum induxerit, iamque dicitur Catholico ritu peccata confessus. Cæterum licet hinc facta est discessio literarum: manent tamen Patres quatuor, qui plebem erudiunt, tam domi quam foris: atque tres iuuenes ad idem munus ætate prouectos, breuique sacris ini-

Digitized by Google

tiandos in Academia Olomucensi hoc domicilium alit, ac formar.

CONCIONES Nostri habuerunt duobus in templis; alteram domi in vicino pago, alteram & vtramque Sclauonicam: tertiam in remotiori pago ad Germanos. Doctrinam quoque Christianam domi, & ruri montanus, ac indocilis hic populus edoctus est, cuius tarditatem inusitato quodam stimulo, quod miraculum reor, videtur Deus acuere voluisse. Puerum mater ex vlnis ferre solebat, vt fit, ne vacua iret ad Catechesim, vsque adeo infantem, vt præterquam in vocales, idque admodum blesè, & impeditè, in aliquas consonantes vocem formare non posset; hic tamen ita promptè, & nominatim Dei decem præcepta enunciabat, vt omnes syllabas, atque literas adnumeraret; matrique ipsi à qua gestabatur voce præiret, magno omnium stupore, & ad discendum incitamento. Hic per Quadragesimam quotidie sub vesperam vno ex Nostris ductore Catechismus à paruulis (nam grandiores totum tempus duris laboribus exercentur) in templo decantatus est, spectabili innocentis ætatulæ alacritate. Videre erat per frigus, plerumque lutum, pluuias, & niues itinere lõgiusculo seminudulos accurrere, minutos à maiusculis dorso vectari, flentes reliquos de fenestris & ostijs si à suis simul non ductarentur. Talia ferè domi fiunt: nunc de excursionibus.

VIRI fœminæque procul dissiti animo alendo ad nos præcipuis festis auidè accurrunt, & quantum licuit per paucitatem, ad quoldam excursum est. Propius quidem ad decrepitos, ægros, aut moribundos quotidianum est: sed sunt qui longius absunt, itinere bidui, quatridui, & accersendi finem non faciunt. Missus est vnus Darocium, qui vicus Comitatus siue Præfecturæ est Beregiensis penè lachrymis expressus; de quo postea. Alter expetitus est plus septenis nuncijs à magnifico Stephano Petho ad extrema

trema Hungariæ, qua contingit Poloniam, qui vir alicubi degustarat nostrum Concionatorem; sed fruendi non fuit facultas ob penuriam.

MISSIO Brussiensis Parocho ibi constituto nunc defijt, nisi quòd iste adiutus est vtiliter Paschali & Natali die Christi: atque hoc die ducentæ confessiones, altero plures, & concionatum. Huius loci Patrono Emerico Iakositio (qui heros Catholicus certamine à Turcis extinctus est) a nostris & Parocho funus est celebratum, magna Nobilium approbatione, etiam hæreticorum qui aderant. Ibidem Prussij viri generosi apud nostrum Patrem confessione se composuerunt ad militiam, cum viritim nobilitas in castra Budam euocabatur. Inter quos D. Ioannes Madachanus, quo die cibo cælesti refectus est, pauperes ad quinquaginta conuiuio excepit, & in singulos pecuniam distribuit. In his excursionibus omne officium Societatis obitur, imò nostri baptizant cum desunt qui faciant, sæpe autem desunt. Dicam vnum. Sacerdos cum socio, qui ei pro interprete fuit, in pagum venerat, seque sacrificio accingebat, cùm nuntiatur inde procul difficili nixu infantem editum de vita periclitari, rogatur vt extemplò adsit, properat; sed quia hic viribus inualidus erat, præcurrit socius, infantulumque vix iam spirantem baptizat, mirum dictu! subitò conualescit puer: mater etiam ipsa quæ præclusa voce animam agebat, visa à sacro fonte incolumi prole, reuixit & ipsa, & conualuit: supervenit gratulantibus Sacerdos, supremamque manum sacra vnctione, & cæteris cœremonijs imponit infantulo, qui hodie superest. Alibi mulier nocturnis spectris, quæ vigilantem & videntem infestabant, nec quietem capere sinebant, remedium ab agno Dei inuenit. Alia febrium ardores aquæ benedictæ hausta extinxit.

ENIM VERO de re familiari quiddam addendum puto, quæ hoc anno confirmata est. Nam hoc domicilium

Digitized by Google

æs alienum suum dissoluit, capsam argenteam cubitalem auro & iunculis distinctam, SS. Eucharistiæ populo monstrandæ comparauit. Eidem venerabili Sacramento sacellum vetus domi restitutum est. Ruri templum vetere labescente nouum ædificatum, in alio pago noua lapidea turri excitata & templo additum decus, ac firmitas. Pro alio loco calix argenteus inauratus coemptus; hæc omnia per Nostros, qui ijs locis, vti initio meminimus, sacra pro Parochis obeūt: quod studiū magna etiam hæreticorum laudatione excipitur. Præterea Nostri bonam stipem sæpe contulerunt in aduenas & inquilinos inopes. Miles Hessus simul cum stipe volens lubens acceptauit religionem, de qua luce multum sibi gratulatur. Eleemosina quoque & sacramentis constitutum alijs militibus, qui labore fracti per viam hæsitabant. Gratum fuit & viris Illustribus officium hospitale, quod beneficium inter hæc aspreta montium est in tempore bis beneficium. Concludo & tamen dico in hac asperitate multa albescere ad messem. Nam populus quidem, ipsique nobiles, quorum non facile in Hungaria alibi tam magna est frequentia, propter ingenij simplicitatem, non multum abhorrent à vero Dei cultu, imò illum palam optāt, si citra odium liceret, & Deo iuuante licebit, siquidem ij qui in propugnanda hæresi priores fuerunt sensim mitescere videntur, & Nostris conciliari.

SELLIA alterum est nostrum in Hungaria domicilium, quod tres hactenus incoluerunt, velut residentiam. Turcarum incursionibus expositi, qui non plus diei itinere aberant, nunc postquam Iaurinum singulari Dei ope, & inopina virtute militis Christiani primo vere expugnatum, & solutiores metu sunt Nostri, & plures. Sunt omnino duodecim, putantque constantiorem sedem hic figere ad regni emolumentum. Nam oppidum cum pagis aliquot vicinis est nostræ Societatis in solidum, habita-

tori

Digitized by Google

toribus frequens,& viatoribus opportunum, quod inhabitant omnes syncero sermonis idiomate meri Hungari; quaquâ versus ad viginti millia passuum; nullis Germanis, nullis Sclauonibus misti, quod vix vsquam repereris per Hungariam. Mortuus est vnus Sacerdos P. Balthasar Gombay Hungarus, in ditione Turcarum puer educatus, qui licet semper corpore imbecillo fuerit, spiritu tamen fortis ac feruens ad suos populares erudiendos erat impiger, ad parendum factus. Memorabat se imperfectum quidem esse, paratum tamen semper ad omnia, quæ superior iuberet, quod re ipsa probauit, etiam æger. Obijt sanctè.

PRIMVS lapis positus Collegij Selliæ fortè collocandi. Hic iam tres scholæ Grámatices apertæ sunt, bona approbatione huius nationis, atq; statim numerati centum viginti quatuor auditores pueri: ad quos in dies fit accessio; illorum etiam qui genere, non item religione sunt nobiles. Habitacula Nostris in vsum non incommodum ædificata. Templum noua supellectili auctum est, & sartum tectumque. Hic infantes pueri centum viginti quinque sacro baptismate lustrati, quorum multi ab hæreticis, & à militibus, sacramenti ergò delati. Confessiones propè quadringentæ exceptæ aliquot de tota vita. Confitentur etiam liberi Haidones dum huc se recipiunt in hyberna. Est hoc genus militum quidnis audes, sine vllo stipendio, hostili spolio victitans, & ad omnem iniuriam cæli ac ferri duratum: homines ferè ante militiam pecoris pastores, sicut vocabulum gentis notat, asperi & agrestes: in quibus laudabiliter est quantum reperias integritatis, nempe alias intenti semper feriendo hosti, prædisque à Turca auertendis. Ad fidem Catholicam conuersi sunt septemdecim, quorum aliqui Germani, ex castris Budensibus reuertentes: hîc confessi mortem ritè obierunt, sepultiq; sunt à Nostris. Alij adiuti rebus com-

Digitized by Google

modis qui aiebant se primum hîc respirasse, ex illo contento labore, quem sustinuerant ad Budam, cum perpetuo imbre, ac simul cum acri hoste dimicantes. Puer tredecim annorum è febri decumbens, expetijt à parente in templum educi, sed ob vim morbi neque se sustinere ipse, neque abs alio sustineri potuit: ergo parentem hæreticum quæstulus adigit, vt Confessarium vocet: statim verò atque absolutus est melius sensit, die postero corpus Christi percepit, & valuit. Puella quoque eandem valetudinem à febri eodem prorsus remedio recepit. Captus miles apud hæreticos, & damnatus, vt equuleo torqueretur, cum equo raptatus tolleretur in rotam, optauit, & obtinuit nostrum Sacerdotem, cui Sacerdos cupienti corpus Christi, impetrauit differri supplicium in alterum diem: itaque mortuus est significatione magnæ in Deum fiduciæ: in quo confirmando ad extremum opera est posita. Idem Sacerdos ad regni comitia missus totam ferè Quadragesimam concionatus est ad populum, & nobilitatem Hungaricam. Posonij audiuit confessiones etiam de tota vita aliquas: duas matronas ab vsu calicis reuocauit, tertiam vacillantem in fide Catholica retinuit. Iuit quoque ad Budam, Societatisque munera, præsertim concionando, exercuit: redieris domum ex via ingressus Vaciam adijt ad iuuenem militem natu prænobilem morbo graui afflictum, qui confessus melius habere cœpit, & qui moriturus putabatur, die in sequête surrexit. Ab eadem confessione, nostri Patris industria, & supplice rogatu miles Haido quęsijt medicinam, & reperit præsentem salutem, qui puluere is incendio ad Strigonium altius in aera eiectus, totoque corpore ambustus fuerat, oculis penitus corruptis, persuasus lucem Catholicam admittere in animum, simul cum fidei lumine lumen vnius oculi recepit postridie a sacra confessione, cui desperatam videndi facultatem acceptam refert. Hanc

messem

messem conatus est Diabolus mala prurigine criminationum aspergere; sed mentita est iniquitas sibi, vel ipsorum hæreticorum constanti testimonio.

MISSIO DAROCIENSIS.

FRANCISCVS Darocius, vir genere & virtute nobilis, olim studiosus Viennæ apud Nostros, de Hæretico Catholicus, palam nunc facit, quàti sit proba iuuentutis institutio. Darocij est huic domicilium, vico hæresibus infami. Darocium autem est regni Hungarici trans amnem Tybiscum ad Daciæ & Russiæ fines, in radicibus montis Carpathi. Hic alicubi meditatur Nostris sedem parare, etiam Turocio, hoc est à ducentis millibus passuum, habet Sacerdotem qui paucis mensibus magnam fert trepidationem Caluinianis. Horum minister Darocio se in fugam coniecit, Domino Francisco pellente, cuius quinquaginta duo clientes, tum coloni, tum nobiles, ad fidem quam ignorabant venerunt, publica doctrina nostri Patris, & priuata congressione exciti. Pluribus longè iniectus est scrupulus, & dubitatio de Caluini dogmate, qui fluitantes adhærescunt adhuc ad opinionem: multi refecti sacramentis, quibus aut perperam usi, aut multos annos abstinuerunt. D. Franciscus, grauis decreti diplomate, à Cæsarea Maiestate armatus, perrexit longiùs nostrum Patrem ducere. Hic in alio pago, quem deseruerat Minister hæreticus, fecit rem sacram quadraginta annos intermissam, atque habuit concionem frequente populo & approbante. Magna spes affulget rei bene gerendæ, si erunt operarij, orandus Dominus est messis.

COL

COLLEGIVM CLAVDIOPOLITANVM, ET ALBENSE, IN TRANSYLVANIA.

CLAVDIOPOLI variè trepidatum est, Transyluaniaque tota, nempe bellum ingruere à Moldauia. Formidatum, deinde gestum fuit ad Lippam, Lugusinum, Chanadmum, denique Varadinum, vbi Turcarum vis furibunda cecidit. Obsidio Varadiensis sex hebdomadas, ciuibus in vindictam, vti palam ipsi confitentur: etenim paulò ante furore Caluiniano perciti, Catholicum templum funditùs euerterant, omni instrumento turpiter perdito, disiecta materia, & victis Catholicis emissis, ministro buccinante nullam à Turca cladem fore vrbi id si auderent. Propugnata est tamen Dei præsidio, qui causam publicam Christianorum misericorditer respexit. Serenissimus Maximilianus pro Cæsare tenebat summam in exercitu Christiano, cum quo duo de Nostris fuerunt. Neque Transyluani, de quorum fortunis agebatur, rei bene gerédæ defuerunt, occuparunt Moldauam arcem in ripa Danubij munitam, cæsis ad Lugusinum octo hominum millibus, & ducum præcipuorum capitibus domum relatis. Interea Michael Vayuoda Valachiæ percurrit totam Misiam, principes vrbes diripit, incendit Nicopolim, Borosterum, Ternuram, fusis duobus Bassis, cum iusto exercitu. Serenissimo Principi Sigismundo misit vexillum regium, sub quo aiunt triginta millia hominum militare, quod hic visum est Claudiopoli eo pódere, vt duo viri bene torosi vexillo ferédo vix sint pares. Reliquus miles captus à Christianis, & pluuijs

uijs, abijt nullo facto memorabili. Hæc causa trepidationis: imminente periculo dimissæ fuerunt scholæ, quæ reuocatæ non fuerunt frequentes amplius ducentis quinquaginta auditoribus: ante bellum frequentiores. Additæ sunt tres lectiones, Philosophiæ vna, duæ aliæ de Sacerdotis institutione & controuersijs, quas etiam hæretici attentè, & libenter audiunt. Conciones tum Germanicæ, tum Hungaricæ verè sunt vtiles. Triginta hîc & quinque Claudiopoli ab hæresi absoluti, & nouemdecim foris in excursionibus, quatuor adulti Arriani sacro baptismate tincti, & duæ Turcę mulieres. Duo viri nobiles ad bonam pacem diu, grauiterque turbatam, item coniuges eodem reducti. Quidam morbo dæmoneque conflictatus, tentatis omnibus Prædicantum allophylorum remedijs, interrogatus à nostro Patre num vellet esse Catholicus, annuit, & aqua lustrali aspersus, malum vtrumque expulit; quæ res dedit multum ruborem hæreticis, qui multa tetrè comminiscuntur, sed profectò solum commenta, vt deterreant iuuentutem, & plebem à nostro commercio: sed turris fortissima nomen Domini. Acceptum est hîc in re familiari detrimentum, & emolumentum. Turris cum omnibus templi tectis Monastorij, quod Collegij est oppidum, de cęlo tacta exarsit: ad quæ restituenda amici & legati Cæsareæ Maiestatis dedêre trecentos quinquaginta florenos, quæ summa est ducênorum nummûm pannonûm. Sereniſſimus Princeps pro innata beneficentia reditibus Collegij adiecit mille florenos annuos: quo postulante ante cladem Turcicam quadraginta horarum preces institutæ. Sequitur Alba Iulia.

HOC anno dum Nostri Alba migrare coguntur, P. Franciscus Gilius ob sedecim annorum quos in Societate pertulit labores, ad præmium immortalitatis, vti pie credimus, emigrauit. Scholæ quæ Grammaticæ erant cum Nostrorum migratione cessarunt. Conciones in templo summo

Digitized by Google

summo in Dominicis habitæ frequentes, & gratæ: octo Mahometicam eiurantes perfidiam baptizati, conuersi hæretici diuersis in locis quadraginta. In pago Collegij præcipuo buccinatori Caluiniano Catholicus suffectus Sacerdos: reliqui Græca Ruthenicaq; imbuti secta, mordicùs suas tenent cœremonias, festa, ieiunia, eoq; ad fidē difficiliores: pane Angelorū pasti sunt, post confessionem vel nunquam factam, vel diu intermissam, ducenti quinquaginta. Supplicationi, Corporis Christi solemnitatem addidit Sereniſſima, & Legati Cæsarei: Episcopus Vaciensis sacro, & ad populum concione eandem illustrauit. Nobilibus per excursiones præstita opera. Siculis item, magno cum fructu, pagis alijs petentibus, sacerdotes Catholici dati; aliqui ad honestam vitam reducti: templa restaurata: plurimi in fide confirmati, vt sunt Siculi ferè Catholici, sed apud eos abusus multi, quos tamen & tolli patiantur, & longum sæpe iter pro concione conficiunt. Addo pœnam ob malum in Catholicos animum. Iudex erat in pago Bochard distante non longo ab Alba itinere: is orthodoxis infestus, multa in eos euomebat temerè: sed non impunè: instrumentum enim suum author sceleris dæmon occupauit, & vexauit crudeliſſimè. Hunc Sacerdos externus & Catholicus variè tentauit: dum nihil proficeret, adstantes aliū è Societate Alba Iulia afforeminati sunt. Dæmon nouisse se hominem ait, quē diceret, sed non expectaturū dum veniat. Factum eodem tēpore dum Noster his vocibus (ego ibo) se venturum promittit, spiritus nequam quasi ludibūdus absentis Patris repetens verba, Ego ibo, effracta ceruice, ore inuerso, exsectis, quod est horrendum dictu, virilibus, miserum hominem suffocat, & relicto fœtore maximo abscedit. Audita sub idem momentum à filio extra domum vox miseranda, Væ, væ, & clara, quæ causa fuit cur āliqui opera Patris aduenientis ad sanam mentem & fidem redirent. Hi successus impediti

Digitized by Google

pediti sub reditum Sereniſſimi Principis in Tranſyluaniam: turbari enim incolæ & Noſtrorum eiectionem pertinaciter efflagitare. Et quidem Alba cedendum erat ad tempus, tribus voluntate Principis relictis, & vno in pagis, qui Societatis bona adminiſtret, cæteri Claudiopolim ſe contulerunt.

PROVINCIA SVPERIORIS GERMANIÆ.

SVPERIOR Germania è Socijs habuit pluſve minuſve trecentos ſexaginta. Ingolſtadium ſeptuaginta. Biburgum quatuor. Dilinga triginta. Monachium 60. Eberſperga 6. Auguſta 33. Ratisbona 22. Oenipontum 16. Hala 17. Landſperga 40. Lucerna 18. Friburgum 16. Brundrutum 14. Oetinga 8. Conſtantia 7. Nobiſcum viuere deſierunt quinque: incœperunt nouem. Iſta vniuerſim, quæ ſequuntur ſingillatim.

COL

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

INGOLSTADII diem supremum obijt P. Ioannes Rabenstain, vir olim & regendi prudentia inter Nostros, & in vulgus dicendi facundia celebris. Excusi euulgatique typis P. Iacobi Gretseri de Cruce libri. Ascetico P. N. Ignatij libello exercitati quindecim. Parochus huc lectica portatus corporis sanitatem apud medicos quæsiuit, apud nos animi medelam inuenit. Impio ausu mulier sacræ mensæ, quam prophanam putabat, se admorat, cùm de subito pauore, horrore hęsitans, in luce omnium concidit: eleuata, rem malam quod adhuc formidaret malè, ad nostrum iussu Decurionis deducta, vt dedoceretur falsitatem. Socrus lautiore generi mensa suum maluit fraudare genium, colu acuque vitam trahere, quàm animæ cælestes Angelorum denegare lautitias. Prohibiti duo qui sibi exosi violenter mori destinarant: ex his alter sutor hæreticus, vltra subulam doctus, nimis acutum voluerat in sacris Biblijs cernere, propterea cimmerijs offusus tenebris, non se, non hæresim, non vitam ferebat, se informi nodo strangulare volebat: retractum noster in Ecclesiæ penetralia intimum intulit, efferendum nunquam ni ceptam bene deserat vitam. Læna castius instituta, fidei reddita, quæ vt blandas lenonibus institueret illecebras, Luthero mentem prostituerat. Functi duo sanctimonia coniugij, quos Lutherus ad innuptas nuptias, inter hæreticos ferè impulerat. Instructissimam à mutis hæreseos suasoribus Bibliothecam, flammis repurgauimus, sicut & turgentes necromantiæ paginas. Morientem in via publica, sub ardente sole nostri fratres dum obumbulant, repererunt, extremisque officijs quatuor ipsis sunt executi horis.

Digitized by Google

ris. Alteri è vita etiam migranti tota adfuerunt nocte, qui putredine, putore, omnique narium peste cæteros fugabat. Nimirum ista sunt quibus Societas bonum Christi spirat odorem. Incurabili duorum inualetudini perpetuam in Nosocomio procurauimus sustentationem. Opportuna importunitate in emorientę vetula viuentę iniuriarum memoriam extinximus. Effecimus aniculæ paterent carceris fores, quæ immani mole ponderum luxata conuinci non potuerat veneficij, quo saga habebatur: emissum ergo mortis simulachrum, vt in luce viueret. Miles stationarius in paruo ex aluta culeo ceram pinumque pro amuleto gestabat, his inuiolabilis, his cuncta se posse amoliri credebat pericula. Sarcinam proiecit, & agnum de meliori cera recepit, vbi noster monuit illum nihil gestare aliud, quàm certissima mentis acumen. Gymnasium vt & conuictorum collegium inclyta Principum, Baronum, Comitum nobilitate floret. Annua scholarum repetitio Iulianum, & Celsum martyres æquo spectantium motu, & plausu in scenam produxit. Tria magnę Matris Sodalitia, quia virtutis currunt viâ, dirigi magis, quàm incitari debent. Tres ex his religiosas familias inierunt. Inuentus nouus Scæuola, qui tamdiu subiectis prunis manum torruit, quamdiu aliam in corpore sensit ardere flammam. Domi, ruricque elementa Christiana, magno puerorum fructu tradita. Vt mortalitatem ab armento prohiberet rusticus, salem, aquamque lustralem pecorum potui miscuit suadente Nostro, prohibuit. Suasus alius mendacij parentem quòd magos veratricesque afflaret, propterea se nullam fidem falsis carminibus habiturum promisit. Ad rem sacram ducenti floreni, ad domesticam monasterium accessit. Hoc Serenissimus Maximilianus Bauariæ Dux, cùm diu à religiosis, quibus olim celebre, desertum nobis cum plena iuris, dominatusque potestate donauit. Opportunus omnino, & amœnus lo-

Digitized by Google

eus fessis studio animis, Biburgumque inter & Ingolstadium situ medius.

RESIDENTIA BIBVRGENSIS.

BIBVRGI hæresim quinque posuerunt. Tres nuncupatis ad D. Virginis ędem, quã curamus, votis à morbo, mortisq; periculo reualuerũt. Similibus votis ad templum D. Leonardi, cuius etiam nobis cura, conceptis, & mulier cælitùs monita ægrotationem depulit, & alius paruos sed charos inuenit loculos, quos amissos dolebat. Quidam sic seruare volebat aurum, vt lentatum stomacho includere optaret, moriturus tandem, vt seruaret animam, æs malè contractum in egenos piè distraxit. Quò res religionis excrescant in his partibus, faciunt Ingolstadienses nostri, qui solemnioribus anni diebus huc excurrunt, pagos, & oppida obituri. Euulsi scelerum stimuli, discissi vetiti contractus. AEs fœnebre redditum. Excussa facinora, quæ peruicaces mentes in confessione diu extundere distulerant. Deferbuit feroci vir ingenio, qui ira feruidus diu ad necem socerum quæsierat. Hæreticus hominis vulpes, carceribus ob crimina conclusus, spe vitæ Lutherum abiurarat, exomologesin simularat. Simulatum animũ prodidit indicta reo mors, ore plusquam ferreo furebat, mori Lutheranus volebat, si Catholico viuere non liceret; & hic ferociam deposuit, quando Noster vultum sumpsit, vt ęternas numinis iras minitaretur, sincerus peccatorum repetiuit enarrationem, fortique animo Catholicus obijt. Duodeviginti annorum rustica ex occulto furto prægnans informe exanimeque monstrum pepererat, vulpem

Digitized by Google

pem diceres direpta pelle, rictu deducto, labris replicatis, dentibus cuspidatis; nihil hominis in humano fœtu. Mater modò gestiebat, modò lasciuiebat cum inaspectabili amasio, modò statuæ instar immota muta iacebat: Accersitur noster Pater, è collo præstigia detrahit, sacrum ceræ reponit signum: iubet orare miseram: illa pisce taciturnior intendit in patrem aciem: cæditur à matre, loquitur aliquando, oratque. Rogitata causam prioris silentij, prohibitam se ab adstante procero, & barbato AEthiope, qui dulcem propinabat haustum, respondit. Mox Noster imperat confessionem, auditque plenam pudoris, plenam mœroris. Etiamnum se deflet tanto melior, quanto sapientiùs se scit fuisse pessimam.

COLLEGIVM DILINGANVM.

DILINGAE ducentis è conuictoribus triginta quatuor Societatis commentationibus exerciti: religiosi plerique. De his vnum ad Thermas valetudo coegerat, aderant frequentes pugnatores hæretici, rati sub attrita veste bardum latere ingenium: è Philosophia, Theologia, Græcè, Latinè argumenta pro telis vibrabant. Sed sic iacula retorsit Noster, vt alij diffugerint, alij reconditam scientiam laudarint, alij superbam Prædicantium ignorantiam irriserint. Ea fama iam de Religiosis nostra informatis disciplina est, vt ad collapsos cœnobiorum mores reuocandos ab Episcopis, & Principibus vocentur. E nostris Pater hoc anno varia obiuit monasteria. Eo auctore arctiorem amant, qui liberiorem quærebant vitæ rationem. Alijs, apud quos ægrotauit aliquamdiu, S. Benedicti regu-

Digitized by Google

las idem expósuit, septemque tum ibidem, tum alibi ex P. Ignatij meditandi formula perpoliuit: duo fuerunt Imperij Abbates: ex his alter ita mutatus, vt dixerint plerique iam facilè esse obtemperare, quando virtute imperium temperatur: alter statim duos parochos ad similem ascesim permouit. Aliâ operâ multorum vitiorum latibulum (paucis multa dico) in virtutis officinam commutauimus, eliminauimusque ea, quæ priscas sanctioris vitæ profligarant leges.

FELICEM Nostrorum industriam non potuit non demirari vicinum oppidum, cui noster concionator ijsdem temporibus Societatis nomen intulit, & operam probauit suam. Domi verò septeni deni ad Ecclesiam redierunt. Septem Virginis Matris alumni religiosioribus se Congregationibus aggregarunt. AEgrotis, moribundis, elephantiacis frequens & grata Nostrorum præsentia. Dimissus è carcere, cui pœna capitis remissa: discedere nolebat, cupiebat mori, vt æternùm viueret, ne malè in terris viuendo æternùm moreretur: viuit tamen, & quidem benè, benè siquidem à Nostro in carcere mori didicerat.

TRADITIO Christianarum institutionum in Vrbe, in pagis viguit. In pagis hoc excogitatum. Post Catechesim pueri dies festos sequentis septimanæ è tabula promulgant, Sanctorumque virtutes breuiter commemorant. Similia pietatis exorsa egregiè iuuit munificentia R.mi Episcopi huius Ciuitatis Principis, iuuit, inquam: nam iuuisse dicendus, quem nobis inuida mors inuidit. Illi parentatum in Academia exequijs, & funebri oratione habita ab Eloquentiæ magistro. Varijs temporibus in septé varia loca excurrerunt Nostri. Conciones, confessiones, explicationes catechismi, cæteraq; Societatis c[illegible] nia munia reticebo, rariora perstringam. Quindecim ab hæresi exempti. Noua sacrarum rerum facies: templa vetustate

Digitized by Google

tuſtate, neglectuque ſqualentia priſtino nitori reſtitutra. Suppellex diuite auctu nobilitata. Diſputatum cum Doctore hæretico non citra ſudorem: obmutuit victus, ſed non mutauit pertinaciam, licet Noſtro non negaret victoriam. Puer è puerorum lectione didicerat quando non liceret veſci carnibus, ideo interdicto die appoſitas canibus proiecit, cauſam facti rogatus: Quia, inquit, iſta edulia mihi non cani hodiè prohibita ſunt: at fruſtillum erat: Nec ſanè, ſubiecit ille, pomum magnum quod primum parentem noſtrum ex horto eiecit. Alterius prandentis fauces bolus intercluſerat, admittendi remittendique aëris propemodum præcluſerat viciſſitudines; adeſt Noſter, properè monet de faciendo confeſſionis voto, vouet, mox bolum aqua diluit deglutiuitque. Exegerunt duo illegitimas tori partes, cauitque vnus ne mulier rediret vnquam, quò veniſſe debuiſſet nunquam. Alia turpem copulam pulchra fuga diſrumpere cogitauit. Agni Dei imago lemures, noctumoſque timores, quibus dux vexabantur, ſic abegit, vt non redeant amplius. Expoſita in nobili Ciuitate Imperij ſacri Chryſmatis neceſſitas.

COLLEGIVM MONACHIENSE.

HAERESI exſoluti vndetriginta. Diuinas ad epulas facilè viginti ſeptem millia conuiuarum accubuerunt. Inimicitiæ ætate, tempore magis ardentes extinctæ. Libri voluptatum illices, ſuperſtitionum pleni, Luthero infecti, in ignem coniecti. Varij ſurdis verberibus, morbo, voce nocturna, vi concionatoris impulſi crimina detexerunt, & conſcientiæ furias ſubmouerunt. Prohibitæ manus, quas ſibi duo vio-

Digitized by Google

lentas adferre cogitarant. Virgo enſem pectori admotum, adoleſcens cultrum pectori impoſitum, contempſerunt, ne violati pudoris poſtea illos puderet. Alia ducentos florenos reiecit: quarta lenocinãtem colapho abegit. Collocatæ virgines, auerſæ libidines, detractæ pellices. Deſerta hæreticorum ſeruitia, ne ſeruilis conditio animæ obeſſet libertati. Compos ſibi reddita mulier, quæ impos propterea, quòd aurum à dæmone oblatum illam nonnihil auertiſſet. Ancilla noſtrum frequentans templum, quadraginta diale ſic peregit ieiunium, vt frugali contenta prandio, ne panis quidem poſtea bucceam acciperet. Ab hera mirante, tribus quot diebus donata teruncijs, omnem illam pecuniam herili animo Chriſto pauperi diuiſit. Ex ephebis Reginæ cæli, aliquot religioſam veſtem induerunt apud Cappucinos, & Franciſcanos. Vni opportunitas, vix enim noua vita placere ceperat, cùm ad æternam vocatus. Omitto ſolemnia cæterorum, vt breuior ſim. Meditationibus Societatis exculti quatuor, tres primarij huius Ciuitatis. Scholæ ſuum tenuêre tenorem. Sereniſſimus Albertus Guilielmi filius huc hoc anno Ingolſtadio redijt, reduci gratatæ Muſæ. Aliquamdiu noſtras adiuit ſcholas. Sæpius dixit ſemel in præſentia parẽtis, cui ſic placuit, vt clam filij magiſtro ad ſe vocato, pleno hilaritatis ore ſignificarit, ſibi eiuſmodi litterarium exercitium vehementer placere. Modò priuatos inter parietes informatur Princeps, & litteris à Noſtro, & Palatinis moribus à Cenſore Ethico. Catecheſis toto anno quatuor in locis in ciuitate: concio ſimiliter in noſtro templo, & aula Gallicè Germaniceque. Aduentu & verno ieiunio ſex in ſex pagos dimiſſi, magno puerorum, & adultorum fructu. Docta mulier amare vitam, quæ mortis deſiderio cacodæmonem inuocarat. Inſanus homo tamdiu ſapuit, quamdiu neceſſum fuit ad peccatorum confeſſionem.

RESI

Digitized by Google

RESIDENTIA EBERSPERGENSIS.

EBERSPERGAE duceni iam, triceniq; antelucano apparent sacro, qui vix deni quini ante intererant. Ex nostro concionatore didicerunt pagani amare Decurionem, à quo mirum quantum animis dissidebant. Scholæ Christiani officij tribus in locis haberi cœptæ. Frequentes ad nos concurrunt rustici, vt scelera cæteraq; animi onera exonerent: in extrema necessitate adiutus senex supplicio afficiendus, ita vt bona mors malam obscurarit vitam. Magnus Eberspergæ S. Sebastiano honos. Ad templum nostrum, in quo cranium magni martyris colitur, remotis è locis in intima subucula nudatis poplitibus proreptant peregrini. Et magnum insigneq; S. Sebastiani suos in cultores patrocinium. Peste correptos curauit, alios ne corriperentur sospitauit. Fascinum depulit: capitis, oculorum dolores, pedum tumores discussit: apostemata sanauit: expirantem, candela enim cerea in morientis manu ardebat, in vita retinuit.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

P. Christophorus Rosetus Augustę finiuit, pridie mortis cùm pios himnos cantitaret, interrogatus quid postero die in templo cantandum esset? ea respondit quæ in piaculari sacro pro defuncti anima fuerunt lecta, Ego sum resurrectio & vita. Felix

Digitized by Google

dum vixit in regenda iuuentute. Ad tres quarta concio acceſſit, in qua cùm Noſter de quæſtionibus Lutherum inter & Catholicos controuerſis diſputat, fit curioſitas aliquibus ſalutis principium. Viginti octo in Eccleſiæ Romanæ album nomina retulerunt. Sua mira iunioris etiam ætatis in retinenda fide conſtantia, quæque perpetitur, Chriſtum ſibi eripi non patitur. Rem duobus tãtum, poſſem pluribus, declarabo exemplis. Adoleſcẽs benè literis tinctus, melior parente filius: quo pertinace hæretico vtebatur, ea nocte, quæ Chriſti nati memoriam renouat, in æde maxima inter beatorũ ſpirituum cœtus ſtare viſus, audireque himnum ſancti Ambroſij, Te Deum laudamus. Sequente die dum eſt, vbi ſe noctu putauerat, ingeminatas in ſomnio Angelorum formas conſpicit, ſimulque attendit noſtrum concionatorem in Dei cum S. Ambroſio laudationes prorumpentem. Miratur vigilanti repræſentari, quæ ſomnianti obiecta. It, redit, reditque, vt Noſtrum dicentem audiat, reſcit parens, vapulat immaniſſimè filius: repetit tamen templum, repetuntur verbera. Clam ad nos adrepit in Collegium: è ſcripto obijcit, inijcit, dubitat, rogitat, capit, capitur; coronam B. Virginis accipit, domum abit, excipitur, excutitur, ſymbolum catholici pectoris latere non potuit: percutit, ferit parens, furit Prædicans, perſtat immotus adoleſcens: ablegatur in gymnaſium Lutheranum, roſa inter ſpinas ſpirat, ſtella inter tenebras ſplendet. Pungitur, videtur ab omnibus, ſed fidem è corde, Deò iuuante, nunquam expungent iſti tenebriones, vt ipſe adoleſcẽs ſuis ad noſtrate promiſit litteris. Virgo Norimbergæ, à mercatoribus Italis, honeſtiſſimis viris, à Luthero deficere ſuaſa, patria exulare propoſuerat. Venit Auguſtam, aduolant nuncij, aduolat mater, omnia fiunt quæ furor hæreticus, mulieriſque impotentia ſuadere poſſunt. Virgo cuſtodia detinetur, dimittitur, à Noſtro abſoluitur. Furunt parentes,

conque

conqueritur Magistratus Norimbergensis raptorem Italum, raptamque filiam impunè è carceribus emissos. Repetitur virgo. Augustani se excusant, significant se insontem è carceribus iustè dimisisse. Non audiunt hæretici, filiam repetunt: timore dissidij inter duas nobilissimas Imperij ciuitates interdicitur virgini Augusta. Fugit hæc in asylum oppidi Bauarici. Adest parens, adest procurator, versutus in litibus actor, petit virginem, raptis non esse ad asylum fugam ostendit. Monet noster, (qui eò casu venerat,) Senatum, puellam non raptam, sed desiderio nostræ religionis profugisse. Res tota ad Serenissimum Bauarum refertur. Quid futurum adhuc incertum. Virgo interim cupit se Deo in Virginum familia sacrare.

NEC priuatas tantum, sed etiam publicas reportauimus de hoste victorias. Quatuor supplicationes pompa maxima, populo frequentissimo hoc anno usurpatæ, & celebratæ, concurrentibus rusticanorum labaris. Personuêre vici patrio carmine, multa felici ausu recuperata, quæ plurimis annis timor hæreticæ audaciæ abstulerat: sic Lutheri caput perculsum, percussumque, vt ipsi aduersarij suam Ecclesiam agere dixerint animam, magistratumque nouitatis affectatæ incusarint: sed responderunt rogati Patres, se nouitatem minimè affectare, priscas Catholicorum consuetudines Catholicis permittere, si quid tale in suis cœrimonijs haberent, exercerent sanè. In istis porrò celebritatibus Rogationum erexerat textorum Collegium materia diues, arte perelegans labarum, ad quod omnes linteones confluerent, tanta nostrorum antagonistarum admiratione, vt per ciuitatem plurimus rumor sparsus fuerit, nos multa millia aureorum in illos diuisisse, qui se Catholicis adiunxerant, propterea non pauci suam nobis fidem vendere volebant, quam ne teruncio quidem putauimus emendam. Quinta supplicatio

Digitized by Google

fuit Canonicorum in noſtrum templum decreta, antequam Auguſtanum Pontificem eligerent.

ELEGERVNT qui omnibus bonorum votis expetebatur, Henricum Knoringer, nepotem Egolphi Knoringer, qui poſt Othonem Cardinalem Epiſcopum hîc egit. Cœterum virgo noſtri templi plurimis annis inquilina, ſanctum deprecata Vdalricum, audiendi ſenſum recepit. Alius diffidentibus medicis, à S. Franciſco, purgata apud Noſtrum conſcientia, valetudinem impetrauit. Illuſtri familia nata virgo cùm ignoto medicis morbo affligeretur, voti cauſa pedibus Oetingam profecta, patronæ Virginis opem ſenſit. Lauretana mater alium aqua liberauit intercute. Puella non multum forma ab Oceani Sirenibus differens per tergum occiput imis plantis iungebat. Sanitatis ſpe ad ſacros cineres, in montem ſanctum adrepſit, vbi reflexis pedum neruis conſtanti veſtigio rectà ſolum inſtitit, veſtemque prius totum tegentem corpus, poſtea vix medium tecturam, anathematis loco è tholo ſuſpendit. Quia in ægros incidi, apud hos multas noctes peruigilauimus. Abierunt ex his aliquot viri illuſtres & fœminę, in quorum laudes excurreret calamus ſine amplificatione, ſed genus ſcripti mei non permittit: ſatis laudaro, ſi Vrbis Prætorem, & M. Fuggeri vxorem obiiſſe dixero. Mors vitæ reſpondit, vita religioſos etiam homines ad imitationem prouocauit. Vocati Noſtri ſæpe in pagos, arces, cœnobia, oppida: ſpes in itu, lætitia in reditu. Lites domi foriſque compoſitæ. Placata mulier, cui inopinata mariti mors vitam ferè ademerat. In gymnaſio dialogi dramatici plauſum tulêre. Sodalis auxiliare carmen ſagæ mulieris nec quidem audire voluit, dictitans, ſe dolere malle cum Chriſto (erant extremi quadrageſimæ dies) quàm dæmonis veneficio valere. Valuit hoc reſponſum, & apud numen ſanitatis impetrauit beneficium,

Digitized by Google

cium, ipso enim Paschæ die surrexit incolumis, nec postea vel morbi vestigium sensit.

COLLEGIVM RATISBONENSE.

P. Petrus Lopersius è Rheno, cum magistro ordinis Teutonici, cui à confessione, huc veniens catarro interceptus extinctus in nostro Collegio, vir tum viuens, tum moriens semper magnanimus. Tricenis ternis horis cum morte certauit, victus, vt spes est, cælum triumphaturus adijt.

COMITIORVM tempore insignis pietas Serenissimi Matthiæ Austriaci, cæterorumque Imperij Procerum. Frequentes illi in comprecatione quadraginta horarum, eorum nutu instituta. Spectarunt tragœdiam Herodianæ crudelitatis. Spectarunt scholas: eos delectauit perspicua ænigmatum obscuritas: felix, & nata anagrammatum traiectio; picta emblematum elegantia; breuis epigrammatum subtilitas, & Epici granditas. Hoc anno è Lutheri libris quatuor Noster exscripsit libellos, libellos quidem, sed magnos bonorum clypeos, & magna tela ad magna hæreticorum vulnera. Hos legerat artifex, mox ad verbi buccinatorem accurrit, sciscitatur veráne, quæ ex Luthero noster scribere. Finxit se Minister negotijs occupari, misitque rogitantem ad alium Prædicantem. Hic ingenuè fassus est omnia reperiri in Lutheri libris, sed non se in Lutheri verba iurasse. His auditis artifex adolescens mox Lutherum eiurauit. Eiurarunt similiter alij triginta sex. Ex his vna, quæ ab vmbrarum rege cacodæmone in Prædicantis forma noctes & dies diuexabatur. Non mirum si hominum hostes momorum istorum

sumant

Digitized by Google

ſumant laruas, cum & illi mendax dæmonis os ſepè aſſumant. At Noſter orator eorum mendacia ſic veritate reuerberat, vt ſeuero mandato hæretici ſuos interdixerint noſtris concionibus. Diabolus enim, inquiunt, etſi fraude inſtructiſſimus, non poſſet non peruerti, ſi Ieſuitam iſtum audiret dicentem. Duo ex alijs Patribus, cum ægrotorum pedes medicato vngunt oleo, tantum effeceruut vt alter ſtatim hæreſim abiurarit.

ITVM ſæpe in varia oppida, in pagos, in Hercyniam ſiluam, magna ſilueſcentium animorum vtilitate. Parochus cum, quas [redacted]minerat culpas, apud noſtrum eluiſſet, à Parœcis ruſticis veniam deprecatus eſt, loquentibus lachrymis. Sedecim fidem complexi. Confirmata Illuſtris fœmina, quam cognatus ſcripto ad Lutherum pelliciebat. Iuſſu Senatus liberi, ancillæ, famuli ad Chriſti doctrinam coacti. Magiæ ſchediaſmata prohibita, ſicut & ludimagiſter eorum ſcriptor monitus. Talia dum Noſtri obeunt charitatis officia, lum diſſitos pagos, vt pluribus proſint inuiſunt, calcanda ſæpe fuit alta nix per montes inuios, tranſeundus pons ſemiruptus, non ſine periculo tranſeuntis, & quidem vnus cæli iniuria grauiſſimis torminibus cruciatus, quibus atque tria ſacra Conſolatrici afflictorũ vouit, ſtatim liberatus. Sodalitas caſtæ Parentis titulis ſuis dignam ſe probat. Ex hac ad excitata Chriſti ſepulchra ſe pia crudelitate diuerberabant aliqui, quos intuens hæreticus, ductis ſuſpirijs, ſuis qui aderant ſocijs inclamauit: Vt vt ſit, præclarè hic multa fiunt. Poſtea ſe triſtis è templo eripuit.

AT vt fluunt mortalia, D. Iacobum Mullerum, lumen Eccleſiæ Ratisbonenſis, fautorem Societatis vnicum amiſimus. Pridie quàm tangeretur apoplexia confeſſus fuerat, feceratque domi noſtræ. Qui nos viuens defenderat, mortuum propugnauimus à canum dentibus, qui mordere volebant, quem ante allatrare non audebant. Heu &

Sere

Sereniſſimum Philippum, Cardinalem, huius Vrbis Pontificem mortis vmbra obſcuraúit. Monachium abiturus valetudinis causâ, ſecum abduxit Noſtrum, cui conſcientiam credebat ſuam. Monachio Ingolſtadium primo vere abijt, vt ibidem mitiore frueretur cœlo. Ingolſtadij ad Noſtros diuertit, moratus octiduum, quæ interim inſtruebantur ad ampliſſimas migrauit ædes: ſed arriſêre magis noſtræ, ad nos remigrauit, hebdomadamque illam, qua lugubri cœrimoniæ defuncto Domino Eccleſia parentat, magna religione nobiſcum exegit. Poſt Paſcha in arcem Sereniſſimi Parentis conceſſit: hic alterum è Noſtris ad ſe iuſſit euocari, cuius ſicut & alterius, quo à conſcientiæ vtebatur, noctu diúque omnia expertus laudauit officia, ingenueque dixit, non ea ſe vnquam in Societatem contuliſſe beneficia, quæ voluntati ſuæ vel meritis noſtris reſponderent. Monitus à Medicis de vitæ extremæ momento, In cœlo, inquit, viuere iucundius. Supremis munitus ſacramentis noſtros hortatur, illachrymantes excitat. Nocte media conuocatur familia: aduenium Sereniſſimi Parentes, Noſtri Litaniam inchoant; Sanctos ille modò nominat, modò orat. Cómonefactus à noſtro de inſignium ſuorum ſymbolo, quod erat, *Dominus illuminatio mea*, mox cum aſtantibus eundem pſalmum recitauit, vt ventum ad illum verſum *Vnam petii à Domino, hanc requiram* cæteros præuertens magnanimo pronunciauit ſpiritu. Paulò poſt accepta candela de Parentis manu, feliciſſimè obijt, abijt accepturus illam, quam à Domino petierat. Parentatum optimo Societatis parenti, huius Collegij fundatori. Ratisbonæ, Monachij, Ingolſtadij luxerunt Muſæ, luxerunt aræ, luxerunt ſuggeſtus, luxerunt typographi.

INGENTEM de morte tanti Principis dolorem mitigauit Fuggerus in Epiſcopum à ſacro Canonicorum Collegio vnanimi conſenſu poſtulatus: huic de more Noſter gratulatus Societatem commendauit, commendatiſſi

Digitized by Google

datissimam esse dixit senilibus humeris graue pondus impositum gaudens in eo loco, vbi non deessent, qui aliquam in laborum partem venirent. Iam olim, inquiebat, cum Patribus Laynes, Salmeron, Bobadilla, Lanoio, veterem iunxi amicitiam, nunquam disiunxi, cupio quod reliquum est vitæ vobiscum exigere, apud vos si non filij, vel saltem serui loco ero. Hæc cum dicebat, Patres cum nostros nominabat, lachrymas insignis in nos amoris indices abundè fundebat. Sæpe Patri nostro confitetur, sæpe vel audit, vel facit apud nos rem diuinam. Quàm verò Deo gratus sit, vel ex illo colligas, quòd hæreticus qui illius inaugurationem riserat, aquis suffocatus sit. Et verò Collegium nostrum hoc anno publicis litteris relatum est inter Monasteria Bauariæ, ijsdemque quibus illa dotatum immunitatibus. In templo binæ aræ, opere, statuis, auroque insignes, quas liberalitate tum aliorum, tum præcipuè generosi Comitis Conradi à Chuen persoluimus.

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

PRAEVALVIT mors in P. Petro Deckio, viro suæ prodigo vitæ si alienæ salutis affulgeret spes. Ad Ecclesiam reuersi sex. Quidam ruente plaustro, ne vita obrueretur, Dei matrem voto emisso in auxilium vocauit: adfuit: etsi enim feno fuerit oppressus, extractus tamen sanus & incolumis votum soluit, vbi prius in nostro templo peccatis se soluit, gratiæque sacramentum sumpsit. Reuerendissimus Chiemensis Episcopus & opera & conuentu gaudet Nostrorum: ad sanctiorem sacerdotij honorem aliquos in ede nostra ordinauit. Dirempta lis Dynastas inter, Nostro arbitro;

Digitized by Google

arbitro ; cessit vterque,vt vterq; vinceret.Die quo Christus Dominus in niuea panis imagine sub thensa deferri per Vrbem solet , recitati dialogi quatuor ad pietatem compositi. Errones duo hæretici petulantiùs in Christi parentem oblatrabant.Blateronibus se opposuit noster discipulus.Vibrassent nebulones pugionem in adolescentem , ni aduenissent , qui pugnaces animos retunderent. Eiusdem Parentis Congregatio sua pietate sibi nomen & reuerentiam apud ciues conciliauit. Imperantis Cæsaris magna in nos liberalitas,data vini plaustra tria,remissum æs alienum ducentorum amplius florenorum. Iussi Tyrolensis Curiæ magistri Collegij augere censum ; scholas pridem ademptas restituere. Assignatæ vini nobilis quatuor vrnæ ad sacrosanctam libationem:decreta perpetua cera,oleumque ad lumen in templo alendum.

COLLEGIVM HALENSE.

P. Lucas Schogglerus vix Rectoris munere abierat, cùm & è vita exijt, optimi vir exempli , & nostræ disciplinæ admodum retinens. Rerum fidei explanatio celebrior, cum quatuor abecedarij Magistri sua cogerent ad Catechismum agmina : ex his noluerunt ingenua pectuscula dependentem è collo gestare agni bullam, ni prius labeculas eluissent:nec mirum, talibus enim è cera orbiculis sontico morbo comitiales liberati ; vt & puella terriculamentis nocturnis,quibus domestici alicuius manes illam infestabant. Vt Halæ sic in tribus pagis explicata puerorum doctrina,vno die finita explicatione, ducenti supra triginta conscientiam explicuerunt. Vni cui desperatæ valetudinis

Digitized by Google

nis persuasio morbum producebat, sanitatis spem persuasimus; suasisse benè recuperata probauit valetudo. Alterum vindicibus facinorum curis tanto eius gaudio exsoluimus, vt effusis in pedes lachrymis, quas ore non poterat, egerit gratias. Non nemo etiam obiecta Patris nostri per insomnia specie, intellexit, quis interturbatrices somni & quietis cogitationes ex animo deturbaret suo. Dissensiones animorum in perniciem erumpentes in consensionem mutatæ. Redhibitum æs iniustè retentum. Pellex confessione elota, ne in cœnum obscena reuerteretur, aliò amandata. Aliqui quibus abiecta desperatione salus causa erat proiectæ in flagitium vitæ, nostrum per Patrem ad frugem reuocati. E Sodalibus pauca de multis, meo more, adiungam. Tres Cappucinis se addiderunt. Vnus epota lustrali aqua febrim, sitimque extinxit. Alteri infractæ alapæ bis, quòd sana suaderé non cessaret. Vt quiesceret aliquamdiu operarius, Sodalis laborem continuauit, ne interrumperetur merces.

DOMVS PROBATIONIS LANDSPERGENSIS.

RATER Matthias Schoertfirb, homo plurimorum in Societate laborum, vbi paucis diebus decubuit, mox linquente inopinanter spiritu, mortales deseruit, contraxisse putatur morbum ministrando ægroto patri, quem huc ex Heluetijs adduxerat. Nunquam amantiùs amas, quàm cum, vt alteri commodes, tibi incommodas. Aliquot à peruersa fide ad veram conuersi. Placatæ graues inimicitiæ. Tres ad fortem mortem, dum ducuntur ad patibulum incitati. Duo doctrina & sacerdotio insignes certum vitæ genus delecturi, ex præceptionibus P. Ignatij, apud nos delectum

Digitized by Google

ctum fecerunt. Illustris Comes peripneumonia licet tabescens ex arce ad templum & à diuinis epulis ad frugalem triclinij mensam deportari voluit. De Xenodochijs, gerontotrophijs, carceribus publicis sat dixero, si gymnasia tyronum dixero. E nouitijs duo Patres duos in pagos rem sacram verbaque facturi eunt quot septimanis, operam benè collocari arguit fructus, tantum apud animos paganorum effecit vterque, vt Assumpta in cœlum Christi Mater cœlesti mensa Filij participaret omnes, vnum alterúmve si detrahas. Ex altero horum pagorum quidam Societatis homines contemnebat, vt sacris interesset, aliò se conferebat, vel domi hæsitans, nec intererat quidem; in pessimo exemplo imitationis legem vxori statuerat. Moritur hæc prior, nec multo post ipse sanus lectum petens repentina morte extinguitur miser. Vox populi improuisum funus contemptoris fuisse pœnam.

DIVERSIS temporibus dimissi varij Patres in varia loca, vbi etiam diutiùs commorati sunt, eaque effecerunt propter quæ missi, in vno loco extremam vnctionem reuocarunt. Missi quoque per mensem peregrinatum tyrones. Sæpe ab integris etiam oppidis irrisi. Ter prohibiti ciuitates intrare, vel stipem emendicare, à tribus hospitijs in eodem loco reiecti. Alibi hospitium vix introgressis, en intemperiæ, homo ingenij ad scommata salacis inclamat, dandum vinum stanti pro foribus mulieri, sic impetrasse Iesuitas diuersores, vt quæ sarcinulas ferret. At Nostri ad conuitiantem surdi, vel potius muti, gaudebant se pro nomine IESV contumeliam pati. Alij alibi Societatem sic probarunt, vt renouata concionandi opera renouatam meruerit laudem. Iniectum frenum linguis ad iurandum promptioribus. Retectis inuolueris nudatam aliqui obstupuerunt hæreseos deformitatem; sed rumores & opes ponuntur ante salutem. Monitus

Digitized by Google

helluo qui ioco alijs imprecabatur, videret ne Deus iocos in seria verteret. In monte sancto aures prębuit Noster rustico, qui sacrę Communionis voto perditam recuperarat sanitatem. Mulier millenos florenos nobis assignauit.

COLLEGIVM LVCERNENSE.

REVLSAVIT non penetrauit fores Collegij Lucernensis mors. P. Theodoricus Canisius epilepsia tactus reualuit quidem, sed retinuit etiam fœdas morbi reliquias, sic enim labefacta memoria, vt nomen proprium pronunciare non possit. A turpitudine duæ, ab incestis nuptijs reuocati quatuor. Concordati discordes: prohibitus non nemo sacram Eucharistiam in vitiorum demittere sentinam. Vxor maritum morti obluctantem ad peccatorum expiationem impulit, expiatus obijt. Triceni septeni Ecclesiæ Romanæ additi; vni suasor fuit casus ligni, hoc enim grauiter sauciatus permisit accersiri Nostrum, à quo ita in fide cõfirmatus, abiurata hęresi, vt pro illa vitã profundere optaret. At mortis desiderio vitam impetrauit apud Deum; paucis enim diebus, quod nemo sperare ausus, conualuit. Inter Lutheranos Catholicus carnes vorarat, intumescebant fauces cum ingenti dolore, detumuerunt, vbi promisit, se nunquam amplius ad carnariam ingluuiem rediturum. Inhibitæ superstitiones. Elicitus liber, qui in animę dispendio falso credebatur corporis præsidium. Laudata fœmina quæ vulneris, mortisque minas, & herum contempserat impudicum. Apertæ initio Quadragesimæ scholæ, quas anno priore lues clauserat, antequam Nostri redirent

Digitized by Google

redirent è cœnobijs, ad quæ defluxerant, sollicitandus fuit Senatus: nostra siquidem præsentia aliquamdiu carere volebat, ne semper careret, si prius rediremus, quàm cæli contagium aura melior purgasset. Reuocauit tandem, egitque gratias religiosorum Collegijs, ad quæ nos commendatitijs literis dimiserat: dimiserunt ergo nos Religiosi tanto suo dolore, quanta maxima nos hospites beneuolentia obseruarant. E varijs missionibus (vt omittam quæ silentium loquitur) hoc insigne. Quod alij incassum tentarant perfecimus. Sacras Deo virgines ad vitam suis legibus conformem, à qua procul longè abierant, reduximus. Speratur in bono constantia, cùm sublata sint quæ illas inde depulerant, quò se redijsse gaudent.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE, ET Brundrutanum.

FRIBVRGI abeunte Decembri concessit è vita P. Petrus Canisius, parens huius Prouinciæ, primusque è Germanis cui Societas placuerit, vt in eam adlegeretur. Septem supra septuaginta erat annorum; defectus ætate; hiberna, eaque diuturniori affectus grauedine; morte confectus est 12. Kalendas Ianuarij, die qui S. Thomæ Apostolo festus fuit. Paruo ante mortem momento quasi diuinum quid intuens fronte, vultuque in hilaritatem composito, manu certum in locum protenta: Videtisne, inquit, videtisne eo in loco? Mortui corpus in principe Ciuitatis æde, summa Collegij Canonicorum voluntate, humatum est: vbi spectabilis D. Præpositus (cui Pater, aliquotque alijs, emo-

Digitized by Google

rientibus vocibus benè precatus, Societatem & Remp. Friburgensem commendarat) post preces vesperas è loco superiore, confluente concione de tumulati laudibus dixit. Dicerem & ego de mortui vita, ni illa longiorem deposceret narrationem. De socijs quindeni deni fuerunt hoc anno Friburgi. In ciuitate conciones statæ tres: in pagis, sicut & catecheses frequentiores. Ab hæresi reuocati decem. Effectum apud aliquot coniuges tecti toriq; seruarent societatem, apud alios vt ad desertam redirent. Suppressa odia; exemptæ scelerum conscientiæ: oppressæ superstitiones, vt & desperantis animi intemperiæ. Deiectus sacra confessione hominum hostis ab importunitate, qua se captiuæ fauces strangulaturum minitabatur. Nostris deprecatoribus quatuor è carceribus in libertatem emissi, qui mox nostro in sacello de peccatis ritè expiati sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum perceperunt. Retracta mulier à scelere quo præceps se aquis suffocatum abibat. Coniugi meliori tentabat maritus ferro, mortisque minis Ecclesiæ fores claudere, sed pia matrona suis apud Deum precibus marito aperuit, sicque iam vterque templa frequentat, vt de frequentia dicas ambo certare.

DE maiore Sodalium Collegio hoc ad memoriam. Ciuis quidam bono amici dolo attractus, in confessum Parthenium, Patrem nostrum de operum bonorum communitate, quam Sodales inter se participant, differentem, audiuerat: inclinabat animus ad Congregationem, necdum procumbebat, dum germanus frater è scalis semimortuus decidens inclinatum impulit. Hic igitur sollicitus conclaue intrat, pro fratris sospitate Matrem Clementiæ precatur, meliora pollicetur, se nomen Sodalitio daturum vouet. Votum ratum habetur: æger sensim sensus, animosque reuocat, post noctis medium incolumis sibi restituitur: retractabat adhuc alter votum exsoluere, pecunias

pecunias pro voto offerebat, donec ancilla furore nescio quo acta dominum inuadens differentem compulit se Sodalibus adiungere. Adiungenda & his paucula foris gesta.

FERVENTE æstate cum in Præfectura Vauruana, loco hinc non procul dissito, fons salubritatis fama coepisset celebrari, ad eumque sublatis signis supplicantium ritu conuerent homines, missi his è Nostris aliquot, qui diuinam bonitatem in salutari prædicarent aqua, quod tanta fecerunt audientium siti, vt lachrymis verba exciperent, pro exceptis pecuniam offerrent, gratiasque maximas agerent. Trecentæ triginta tres confessiones auditæ. Octo mulieres quæ à malo genio credebantur infestari confessionis sacramento sibi quietique redditæ. De his vna sensit postea sibi è pedibus, sicut & ore aliquid elabi. Altera præter varias gesticulationes varijs loquebatur linguis, resque longè abditas indicabat: & huic malus vexator excussus piaculari apud Nostrum peccatorum dinumeratione, sanctaque panis Angelorum perceptione. Consuluit ibidem noster religionis asylum viro nobili, qui quo numinis voluntatem intelligeret, aspero tectus cilicio varias peregrinationes obibat. Lustrati à Nostro vtiliter Dolemontanæ vallis pagi, vt & ipsum Dolemontum. Instituti sacris initiandis, disputatum de sacerdotis officio, concurrentibus ex vicinis, remotis etiam locis ad nouam lectionem parochis. Explicati conscientiæ nexus. Docta multa, quæ à multis pridem sciri debuerant. Aleæ prohibita. Concio, catechesis frequens in frequenti turba. Repressæ discordiæ variorum. Excitatus Christo Domino honorarius tumulus: castigata priorum temporum impietate, quibus temporibus sacram hostiam in sordido, fœtidoque loco statuebant. Electæ mulieres impudicæ. Vna ex his inimicitiarum, malorumque multorum fax diu fuerat.

Digitized by Google

SEQVANIS etiam grata Societatis missio. Datæ aures confitenti Sereniſſimæ Lotharingi ducis vxori. Auditi alij duo Comites. Vt ruſtici monticolæ Noſtrum veniſſe intellexerunt, maximo concurſu linquentes laborem, ad concionem aduolarunt. Supereſt Colmaria Imperij ciuitas in Alſatia: hîc religionis ſumma impunitas: Senatores, ciues magnam partem Lutherani, cæteri ferè nomine Catholici. Eò miſſus Pater ſuaſu Baſilienſis Epiſcopi, preſſo Societatis nomine, Noſter ſe agebat concionatorem. Admiſſus in ſuggeſtum tribus concionibus effecit, vt triginta expiatis animis cælesti epulo communicarentur, quos dilaudans iniecit alijs pudorem, quibus pudor ſimilem laudem eripuerat. Super menſam cum à tribus primarijs conuitia ex Haſenmulleri ſcriptis in Societatem iacerentur, Noſter prudentia vſus, nactus occaſionem ſe Ieſuitam dixit, mendaciaque occulta veritate (mentiebantur enim heretici quendam Doctorem Ingolſtadienſem à Noſtris deceptum miſerrimè mortuum, qui piè inter brachia eiuſdem Patris noſtri obierat) refutauit tanta modeſtia, vt eam poſtea in triuijs, Senatu, conuiuijs vehementer laudarint. Redijt per dies quadrageni ieiunij; conatus multa, nihil apud Senatum promouit quidem, ſed dicendo tantam concionem conciuit etiam aduerſariorum, vt ſubſellia fuerint in templum inferenda. Permoti Catholici vt tales eſſent quales nominarentur. Ab hæreſi reſipuerunt quatuor, plures impediti ne ad Lutherum tranſirent. Poſt diſceſſum ſparſus per totam ciuitatem rumor, præcipitantem hæreſim leui impulſione prorui potuiſſe, ſi Ieſuitæ conciones longiùs prorogari potuiſſent. Alius Pater in pagis Colmariæ adiacentibus ad rudimenta Chriſtianorum, & ruſticorum exhortationes incubuit. Duo perfidiam deteſtati, noſtram profeſſi ſunt fidem. In alijs proſtrata in malo pertinacitas. Docti qui aliter, quàm debebant, ſacramenta adminiſtrabant.

Inſtructi

Digitized by Google

Instructi pagani numerare peccata, qui nec ante id fecerant, nec faciendum sciuerant. Firmati fideles contra hæreticos astus: dati libelli pro clypeis. Ista dum fiunt, fuerunt duo Prædicantes, & quia maiori molitione Nostrum insequi n[illegible]iebant, petulanti consectabantur lingua. Duos flebiliones, inquiebant, in istam venisse Prouinciam, qui ficta pietate pijs mentibus insidiarentur. At respondebant Catholici, quid vos iactatis cum Iesuitas longè abesse scitis, iam adsunt, congredimini, videamus quanti assurgatis in hastam.

RESIDENTIA OETINGENSIS.

OETINGAE me rara vocant, propterea solemniora Societatis officia vel non attingam, vel leuiter perstringam. Exercitamenta P. Ignatij quatuor Monachos exercuerunt, emansores duos, quorum alteri reditus ad Monasterium, fuimus auctores. Ab obscena familiaritate ad castum pudoris amorem traducti sex. Vndecim amatam oderunt hæresim, vt exosam prius amarent Catholicorum fidem. Tanta confitentium multitudo, quæ solido diei noctem cogat addere, tanta frequentia ad conciones, vt elato suggestu sub dio sit concionandum. Morbus contagiosus familiam prostrauerat, nullus periculi metu cibo iam defectis alimenta ministrabat, Noster ista inaudiens sui immemor, at non Christianæ charitatis, ægros adit, conscientias emundat, corpora sorbitiunculis, quibusque potuit culinæ fomentis curat, stipem corrogat: tamdiu adfuit, quamdiu sanitas abfuit. Alia familia, vt ab extrema emergeret penurie, ad quotidianos labores recitationem

Digitized by Google

inaniarum, vespertinam factorum examinationem, frequentem coelestis panis vsurpationem addidit. Emersit, tantumque pietatis exemplum alijs statuit, vt Religiosorum familiam repræsentare videatur. Sciomachicus vmbras tartareas nostro suasu conciere desij[illegible]bi æternum cieret perniciem. Exemptus alius à plurimis vexationibus diaboli omnium rerum promittentis scientiam. Mulier cupida prouidere futura, coniectores erat percontata. Diuinarabat harioli fœminam se adhuc in multa coniecturam flagitia. Sollicitam propterea desperatio agebat: nulla quies suspensas leuabat curas. Dum è cœlo iussa Oetingam ire, & se eijcere de peccatis, in quæ se abieçerat, eiecit, & iam diuinatos contemnit euentus. Mulier alia liberata est à nocturnarum strepitu laruarum, à gelato, aliquando igniso palpantis contactu, quando hic piatis animi piaculis Matrem misericordiæ inuocauit subsidium. Eadem Virgine sospitatrice impedita mater, quam dederat filijs, adimere vitam. Duo vorticibus impliciti iam iam mergendi emerserunt, diuina Virginis ope, confessionisque & sacrificij voto. Infans quoque aquarum violentia abreptus in profundo hæsit, dum puer alter parentes abrepti inclamaret. Accurrunt celeres quamuis vlla fine spe, quia tamen amata, etsi adynata tentamus libenter, auersis pedibus suspensum tenent filium. Mater voto facto Oetingensem Virginem pro auxilio ferenti prece vocat, haustas puer exgurgitat aquas, recuperatæ vitæ motu dat signa, parentesque lætitiæ reddit. Nauigium scopulo impactum non progredi, non regredi, tantum in gyros dirigi poterat. Naucleri seruus in cymbam alligatam, nescio quid allaturus dum se demittit, ab extenso fune imprudens in flumen excutitur in imo cerulea veste fulgentem matronam videre visus simul, puncto temporis ignarus modi restitutum se cymbæ obstupescit. Oetingæ, quo gratius gratias ageret Matri gratiæ

apud

Digitized by Google

apud nos conscientiæ labes emaculauit. Emortuus præterea fœtus reuixit tamdiu, quamdiu illi necessum ad æternam vitam. Post Clementem B. Virginis benignitatem dicerem de liberalitate munificentissima Principum Bauariæ in nos multa domui nostræ, multa templo dederunt hoc anno. Aſt ne dicam me ipsi prohibent, cùm sic dent, vt nunquam dedisse videantur quicquam.

MISSIO LVNÆLACENSIS.

LVNAE LACVM, vulgò Marsoe, cœnobium est peruetus in finibus Austriæ, supra Anysum. Antistes vt subditos qui sunt plurimi, Ecclesiæ Romanæ subderet, ex octo Parœcijs iam octo magistellos errorum submouerat. Calice populo interdixerat, secus volentibus sex intra septimanas solum vertendum denunciarat. Quò cœpta succederét feliciter, aduocantur duo Nostri Oetinga. Rem illi aggrediuntur magnis animis, pari labore, publicis cunctos, priuatis singulos sermonibus hortari, Romanæ fidei symbola, Christianæ vitæ officia docere, demonstrare non opus esse, vt totam in Eucharistia Christum sumas, calicem vsurpes. Arietata sæpius ductim procũbebat hæresis: citati omnes rusti, ciexaminati, refutati errores, inducti ad inuisam odiosamque primitùs peccatorum enumerationem. Octinginti septuageni septeni ab omnibus noxis, quas à pueris contraxerunt absoluti. Sexageni quini ab hæresi expliciti. Ab inueterato calicis vsu trecenti septuageni reuocati, vsurpabant enim illum, non vt S. Sanctitas olim indulserat; sed vt hæretica perscribit perfidia. Omnes qui sub Antistitis dominatu erant, tactis Euangeliorum libris

Digitized by Google

ex præscripto Pij quarti fidem professi sunt Catholicam, quod non vno, sed pluribus diebus ob multitudinem fieri debuit. Aliquis scelestus pejerarat. In fidem Romanam iurantes, postquam iusiurandum sacrosanctam Hostiam accipientes ridebat, dicebat omnia quæ fiebant, fieri in gratiam Antistitis. Sed non tulit istam numen diu blasphemiam: postera enim luce inter ientandum miser, cum offam ore conuoluit, de repente sanus, æger viuens, mortuus conspicitur. Nec pœna grauior petulanti linguæ, nec cautela cæteris melior esse potuit. Confessi ergo omnes ciues vnius oppidi, rustici plurium pagorum, sub vnaque panis specie communicati, iam sic viuunt vt ex præsenti statu præterita ipsi tempora obstupescant, tanto feliciores iam, quantò se miseriores fuisse cognoscunt. Mirabilem Dei mutationem miratur alius Abbas, iamque pia æmulatione incitatus suis calicem sustulit. Enimuerò & cœnobium ipsum Lunælacense Nostrorum approbauit industriam monachi vnà, & Antistes ipse omnes P. Ignatij meditationibus exculti, à peccatisq; expiati, cum vniuersa cætera familia. Pacificati dissidentes. Alia vita alij mores introducti, qui vt continuarentur, euocati ex alijs Monasterijs aliqui qui exemplo præessent.

RESIDENTIA CONSTANSIENSIS.

AB hæresi resipuerunt septeni deni. Virgo agens animam à nostro Patre compellata clausos aperuit oculos, vixitque dum de peccatis instituisset confessionem. Auctata bibliotheca varijs libris. Auctæ aræ duplici catapetasmate opere plumario, & particula de cruce, sicut & spina de corona Christi

Digitized by Google

Christi Saluatoris. Illustrissimus Princeps Eluacensis in nostra domo proceres Ciuitatis epulo, quod alibi inscijs nobis magnificum imperarat, excepit, facturus mentionem meliori occasione de loco Societatis Collegio assignãdo. Crebræ admodum excursiones è domo Constantiensi ad oppida, pagos, cœnobia tum virorum, tum virginum. Vna concio viginti quinque auditorum millia dicitur habuisse. Quatuordecim pagi, qui syluam Brigantinam incolunt, nostrorum opera perlustrati Anabaptistarum fraudibus intricatos explicuimus; suspectos monuimus: infectos hæresi libros ne perniciem legentibus oblinirent, in ignem misimus: purgatos à vitijs pane vitæ impertiuimus. Religiosus in ijsdem locis diuturna vexatus inualetudine, ab aliquot non litarat annis, vix Societatis institutus exercitationibus, sibi restitutus rem diuinam facit, diuini beneficij, nostrique Patris minimè oblitus.

PRO

PROVINCIA RHENANA.

CONTINET hæc Prouincia Socios in sedecim locis, ter centum quadraginta quinque: Sacerdotes centum sexaginta octo: magistros triginta sex: studiosos quadraginta octo: Adiutores rei domesticæ nonaginta tres: octo vita functi sunt, vndecim in Societatem cooptati.

COLLEGIVM COLONIENSE.

VERSANTVR in hoc Collegio Socij duo supra quadraginta: Sacerdotes vigintiquinque: Magistri sex: Adiutores vndecim. Duo è Sacerdotibus nostris, qui cum Sereniſſimo Coadiutore Ferdinando commorantur, præter consuetas statis in locis catecheses & conciones, cùm Sereniſſimus Princeps partem suæ Diœcesis obiret, varia oppida, pagosque cum memorabili fructu peragrarunt, multi per eos è pernicioſorum errorum tenebris, multi ex peccatorum

Digitized by Google

torum sordibus extracti: praui mores, quos longa consuetudo roborauerat, correcti: mundicies in templa, pietas in animos inducta: Doctrina Christiana magna audientium voluptate, nec minore discentium alacritate fructuque tradita: quam rem Sereniſſimi Coadiutoris distributa munuscula mirificè promouebant. Actum cum Parochis, vt cum alia præclara vellent, tum hanc puerorum institutionem seriò complecterentur.

EXCVRSVM in ducatum Montensem, vbi inter alia vtiliter facta, cœnobium vnum confessione expiatum, & oppidi cuiusdam incolæ, quos iam quadragesimum ferè annum hæresis oppresserat, pro concione admoniti, vt ad Ecclesiæ communionem redirent, non irrito conatu. Mox enim insequente Paschate CLX. sunt numerati, qui sub vna specie sanctissimum sacramentum sumerent: nec expertes Nostrorum solatio fuerunt infirmi, captiui, mortisque damnati. Atque hæc foris sunt gesta.

DOMI verò sacris commentationibus exercitij sunt varij ordinis, decem numero, in quibus primas merito tenet Sereniſſimus Coadiutor, qui singulari sua modestia, animique dimissione, domesticis omnibus magno tum solatio fuit, tum admirationi. Idem vt suos quoque ad solidæ probitatis virtutisque studium pelliceret, non rarò in Ecclesiasticorum virorum cœtu, magnaque populi frequentia, diuersis in locis, ad sacram Synaxim accessit. Ex scholis & Deiparæ sodalitio suus etiam collectus est fructus, non doctrinæ magis quàm pietatis. Ad duodecim enim partim Carthusiæ, partim alijs Religiosorum domicilijs transcripsimus, vnum ad nostræ Societatis Tyrocinium egregia indole iuuenem interea præmisimus, dum plures ad salutare hoc iter sese accingunt. Non defuimus illis qui pestilentia correpti, magno cum ægrotorum emolumento, tum domest corum approbatione, & voluptate. Hoc anno Canonicorum Collegium ad gra-

dus

Digitized by Google

dus Mariæ ſuo in templo doctrinam Chriſtianam, ad eam rem peridoneo, quippe cùm ſit opportuniſſimo totius Ciuitatis loco, doceri petijt & impetrauit. Vſus ciliciorum viros inter & fœminas hoc anno viguit, vt cum maximè, ſuntque qui nunquam, ne ipſo quidem nocturnæ quietis tempore, ſalutaria hæc pœnitentiæ inſignia ſibi detrahi patiantur. Ab hæreſi ad Eccleſiam reducti decem & octo: fidem etiam publicè profeſſi non pauci. Templi ornatus, ſacrum inſtrumentum multorum præſtanti liberalitate creuit.

DOMESTICAS neceſſitates pia complurium munificentia ſubleuarunt, inter quos vterque Sereniſſimus Archiepiſcopus, & Coadiutor primo loco meritò numerandi, qui nullam occaſionem augendæ dotis huius Collegij prætermittunt, quibus tamen Sereniſſimus Dux Guillielmus, frater & parens, ſua aſſidua pietate, & paterna in nos ſollicitudine nihil cedit. Hoc item anno, cum ſub vernum tempus peſtis remitteret, numinis, equidem reor, inſtinctu, & vicinæ domus virginis cuiuſdam teſtamento nobis legatæ occaſione, cogitari ſeriò cœptum eſt, num qua ratione forſan ſcholæ à Collegio diſſitæ in viciniam transferri poſſent, quod multis retrò annis ſummoperè fuerat expetitum; & quoniam penes Senatum omnem illam transferendi gymnaſium poteſtatem eſſe conſtabat, ſupplici is libello fuit adeundus & ſollicitandus. Et quamuis aduerſarij non defuerint potentes, qui non ſolùm præſenti negocio vehementer obſiſterent, ſed grauibus etiam nos calumnijs onerarent: ſuperauit tamen eorum pars, qui cauſæ noſtræ fauebant, vſque adeò vt Societas publico ab omnibus tum huius tum ſuperioris temporis calumnijs mirificè vindicaretur, omniaque ex ſententia noſtra contra aduerſarios in hoc negocio decernerentur; Senatuſque inſuper & Conſulum in nos benevolentia creſceret in tantum, vt ab oneribus

& ſer

Digitized by Google

& seruitute quibus scholarum futuræ domus subiectæ erant, nos liberos, datis codicilis, libentes pronunciarint. Quare opus aggressi, vicinas ædes precio coëmptas in Nostrorum auditorum vsum aptare & ædificare cepimus, Dei, bonorumque ope confisi. Neque verò nostra nos spes fefellit, multorum enim ex omni ordine sexuque Deus corda permouit, vt ædificationem ceptam volentes, libentes, rogati, vltrò quibus possent suppetijs adiuuarent. Qua in re amplissimus huius Vrbis Senatus, vt cæteris exemplo suo præiret, materiam primò non exiguã, tum verò pecuniam quoq; suppeditauit. Nec defuêre nobiles & primarij viri mercatores, qui cum de suo non pauca dedissent, spontaneam operam nobis in corrogandis emendicandisque impensis, non alacriùs obtulerunt, quàm fidelius præstiterunt, quantumuis apud complures egregiè Nostri causa sese ridendos esse non ignorarent. Est verò quod Dei in nos beneuolentiam, prouidentiamque imprimis admirêre, qui eo potissimùm anno quo grauissimis maleuolorum iniurijs, mendacissimisque calumnijs tantum non oppressi penitusque extincti fumus, Societatem tam egregiè defensam, euectamque voluerit. Spargebatur de nobis, & verò à multis credebatur, nos pestis tempore virginum, ditiumque matronarum testamenta compilasse, vel in ea miris quibusdam artificijs irrepsisse, magnas opes confeciisse: quæ calumnia non paucorum in nos liberalitatem, qua vehementer egebamus, retardauit: nonnullos etiam à nostro congressu, temploque, & pietatis studio reuocauit. Neque his inclusa terminis stetit mentiendi calumniandique libido: immanissima quoque & dictu fœdissima de nobis iactabantur in conuiuijs, in circulis, in cauponis, quæ tamen subinde proborum nostrique amantium oratione acriter efficacitérque sunt refutata.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM TREVIRENSE.

IN Treuirensi Collegio è Societate nostra vixêre octo & viginti: Sacerdotes seni deni, Magistri tres, reliqui Adiutores. Ad vitam beatam transierunt duo: R. P. Petrus Burgundus, & Matthias VVellen: natus hic anno 47. Societatem nostram inijt, quarto supra septuagesimum, votis publicis emissis, in Coadiutorum temporalium numerum cooptatus est, vir bonus, pius, obediens. Ille verò Monte Sancti Gerardi oppido Flandriæ 22. natus anno, 59. Panormi in Societatem adscitus, politiorem literaturam multos annos docuit, & 72. trium votorum professionem edidit, in quo demissio animi, charitásque cum obedientia & simplicitate certare videbatur. Nam præter quàm quòd perpetuò lectoris officio super mensam fungeretur, & operam suam quotidiè coco ponebat in comportandis ad focum lignis, scutellis eluendis, & aquam abluendis Patrum fratrúmque manibus, viginti gradus bonus senex sæpe iterúmque remetiens, curabat: à quo charitatis opere nunquam auocari potuisset, nisi seriò superior ingemiscenti seni paucis ante mortem mensibus, eo labore interdixisset. In horum locum successêre adolescentes duo, vterque Philosophiæ Magister, eximiæque spei.

MIRA Christi Deiparæque in nos eluxit benignitas. Nam excepto quod dura in necessitate constituti, nunquam deserti planè sumus: quidam certum etiam infirmitatis malum à corpore suo depulsum existimat. Is enim cùm annos ante aliquot eruptus esset, doleretque se minus iam Collegij laboribus idoneum, & parem fore, statuit quotidie ante aram Virginis matris certis vicibus miseriam

Digitized by Google

miseriam suam eidem commendare, nec vana ipse patrocinium illius implorauit : ea enim commoditate iam menses aliquot in ministerijs versatur, vt periculum inclinasse, morbumque ex toto solutum esse planè confidamus. Reuerendissimus Archiepiscopus noster longo senio defessus vitæ modum prope fecerat, cùm grauiter affecto corpore, nostram operam in percipiendis ad leniorem excessum sacramentis placuit experiri: integras octo hebdomadas periculum vitæ mortisque dubium principem exercuerat : quo temporis interuallo cùm nos vsque noctes & dies fatali lectulo coram præsentes adstare voluisset, sæpenumerò quàm gratum ipsius Celsitudini Nostrorum accideret peruigilium amicissimè fuit contestatus. Adiuimus item & firmauimus sub mortem Reuerendissimi Archiepiscopi Treuirensis, Suffraganeum, D. Petrum Binsfeldium, pestilenti febre paucos intra dies extinctum, virum doctissimis Litterarum monumentis in lucem vulgatis celeberrimum, Germaniæ quondam Collegij alumnum, & Societatis Collegijque nostri patronum, ac fautorem amantissimum.

VRBANIS adhæc plerisque sub vltimam valetudinem animorum auxilia præbita. Permulti domi nostræ spiritalium commentationū exercitationibus exculti, inter quos varij cœnobitæ, veteres, noui, nec vulgari cum fructu, primariæ vir auctoritatis, cuius egregia pietas & prudētia magno multorum bono cœlestibus inflammata desiderijs videtur. Exegesis catechistica extra Academiam ædemque nostram, vni per hanc Vrbem templo primùm, ternis alijs reuocata, fructuosior hoc anno fuit. Inter offensas suppressis odijs condonatas illustris fuit ad Christianam concordiam reditus duorum coniugum. Fratres qui oblita charitate acerbis inter se odijs exarserant, reuocati tamen & serenati à Sacerdote nostro. Vir & mulier tricis hæreseos explicati, post publicam erro-

Digitized by Google

rum eiurationem ad Ecclesiæ cœtum sunt aggregati. Emollita quorundam durities, ne malè premerent silentio quas aduersus Deum offensas perpetrarant. Mulierculæ aliquot ad corporis sanctimoniam ex improbo quæstu, quem perdito pudore factitarant, reductæ. Persuasum nonnullis æs alienum vt redderent, quod plures annos iniquè tractarant: ex quibus tres ducentos circiter taleros ad legitimos dominos retulêre. Latro scelerum suorum conscientia tactus, cum lachrymis etiam ad crucem abijt. Alium peregrè ad nos criminum conscientia compulsum nobilis cuiusdam viri consilio, nostrorum opera non fefellit, cui & Ecclesiam & animi tranquillitatem restituerunt. Villatici quidam ab hæreticis circumsessi, Nostro quidam eò accurrenti conscientiæ latebras aperuerunt; & præterea triginta alij ex vicinis hæreticorum pagis eò accurrentes: plures etiam viginti famulos Noster eò flexit, vt quorum consuetudo moribus officeret, ijs nec operam suam locarent. Veneficium detestatus est octogenarius senex, fœduſque omne dæmoni renunciauit. Similia prope ludicra terriculamenta prædoni dispulsa, qui confessionis causâ in Vrbem ingressus, ex eaque irrito cœpto dæmonis consilio regressus, in Nostros incidit, quorum sermonibus ad omnem vitam aperiendam ita familiariter adductus est, vt in Vrbem & Collegium etiam regrederetur. Diuerterat ex itinere Sacerdos noster ad oppidum vt rem diuinam faceret, adfuit qui post Sacrificium confiteretur: rediturum eò breui comperiunt nonnulli, qui vt eodem medico vterentur, redeuntem etiam in agris obseruarunt, ne tanta purgandæ conscientiæ occasio elaberetur. Egregia fuit cuiusdam artificis in aliorum salute cura, quos ad exemplum suum diebus non festis laboribus abstractos ad sacram confessionem adduxit.

IVVENTVS scholæ nostræ facilis & obediens: egregij

egregij sunt Parthenij sodales: apud eos piæ flagellationes & cilicia satis in crebro vsu. Feria quinta maioris hebdomadæ tãm gratis animis sodales Passionis beneficium complexi sunt, vt diem noctemque in oratione iungerent, nec ibi finem precandi fecissent, nisi ad templa religiosè obeunda eos pia consuetudo auocasset: ijdem egenis tribus & decem præbuerunt epulum, nec minori laude demissionis, contentio, dum abluendi pedes Præfectus Theologiæ licentiatus peluim cæteris præripuit, reliqui sacerdotes lintea sibi extorqueri non sunt passi: pari largitate subuentum affectis Sodalibus, quos morbi cum rerum penuria nonnunquam grauiter afflixerant: istos ære numerato leuarunt, sacrisque monitis ipsi præsentes sunt allocuti.

DOMVS PROBATIONIS TREVIRENSIS.

NVMERANTVR in domo Probationis septem & triginta tyrones, ac veterani sacerdotes septem, studiosi vnus & viginti: cæteri rem domesticam curant. Diem obijt Melchior Mohr, rei familiaris adiutor, natione Franco, annos natus vnum & quadraginta, quorum vndeviginti in Societate nostra laudabiliter exegit. Frater eximiè studio orationis, mortificationis, & obedientiæ deditus, in laboribus indefessus, omnibus facilis & comis, sibi durus & seuerus exactor: in morte demum qualis in reliqua vita fuerit, illustri pietatis argumento satis ostendit.

VNDECIM porrò hoc anno in Societatem coopta ti sunt, ex quibus vnus Magisterij laurea decoratus, inuito parente viro litterato, magnæque apud suos aucto-

Digitized by Google

ritatis, ad nos transijt. Quare parens grauiter commoueri cœpit, nostróque suæ Ciuitatis Collegio turbas ciere, certos homines huc ad nos amandare, qui filium nolentem volentem sibi sisterent. Idem Nostri turbationis vitandæ causa literis vltrò citroque missis efflagitabant. Ergo coacti sumus adolescentem molestis exactoribus tradere. Hic adolescens Dei ac hominum fidem implorare, se proditum queri, reditum ad suos pernegare, si hinc abijciatur longissimè gentium, vnde parens de se nunquam cognoscere possit abiturum, donec voti sui compos fiat. Orare obnixè eos qui missi fuerant, vt hanc sibi gratiam præstent, parentem vt pacatum & contentum reddant; nam sibi planè constitutum esse propositum suum constantissimè retinere. Hac constantia qui missi fuerant debilitati iter relegêre. Adolescens verò in cœtu tyronum modestia, humilitate, obedientia, cæterisque virtutibus elucet: & dum suæ perseuerantiæ securus est, nihil tam pertimescit, ne parens Nostrorum animos importunitate sua expugnet.

IDEM penè certamen inijt alius ex eodem tyronum numero, nobili familia natus, quem sui varijs mundi vinculis & pedicis intricare cœperant. Et verò non frustra: nam facilis adolescens, quæ carni gratissima sunt non difficulter admittit, donec tandem admonitus pedem retulit: profecturo namque ad consuetas epulas, paratasque nuptias, accidit, vt instar trunci quaquà versus immotus hæreret. Adhæc sensit occulta quadam vi se brachio prehensum retrahi. Quid multis? agnoscit dextram Excelsi: quacunque illa ducat certum est sequi. Obstant parentes, familia, propinqui, & amici. At bonus adolescens vim vi opponens tanta animi magnitudine ac felicitate obnitentes expugnat, vt compositis rebus omnibus eum comitati sint, & ad nos procul ex media hæreticorum colluuie deduci curauerint.

CAETE

CAETERI verò tum domi, tum foris in solidarum virtutum studium magna contentione incubuerunt. Domi frequentes in humilibus & abiectis officijs, in mutuis obsequijs, quibus se inuicem præuenire student. Foris autem in mendicationibus & peregrinationibus, quas & frequentes & longinquas magno cum fructu susceperunt; maximè circa ferias Paschales, in quibus simultates sopitæ rudes & agrestes præcipua Christianæ Doctrinæ capita edocti, in fide fluctuantes confirmati. Parochis persuasum vt partes & functiones suas castiùs & syncerius obirent. Impuræ vitæ consuetudines dissolutæ. Profana & intempestiua comuuia, præsertim diebus festis impedita. Numerus communicantium in nonnullis locis tantus, vt iniri commodè non posset. Tantus ardor eorum qui catecheses exceperunt, vt octagenarij senes non erubescerent in formando signo S. Crucis instituí, rogarentque Catechistam se non aliter ac pueros informaret. A multis milliaribus accurrêre ad nos confessionis faciendæ causa. Pauperes qui maxima multitudine cõfluere solent ad vicina monasteria eleemosynæ causâ, quot hebdomadis in necessarijs Christianæ fidei præceptis instructi. De peccatis confitentes auditi tanto cum fructu moderationis & modestiæ, vt eo nomine Præfecti eleemosinis nobis peculiares agerent haberéntque gratias.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

HABVIT Collegium Moguntinum Socios tres & quinquaginta: Sacerdotes tres & viginti: Magistros quinque: studiosos octodecim: rei familiaris adiutores tredecim. Ex hoc numero

Digitized by Google

etsi paucorum valetudo nonnihil afflicta fuit, nunc tamen Dei benignitate sani sunt omnes. Diem suum obijt vnus, in cuius locum duo sunt in Societatem admissi. Euocatus est igitur ad cœlum, vti speramus, P. Iacobus Finæus, vir bono spiritu plenus, qui sicut ab anno sexagesimo primo, quo ingressus est Societatem, magnis laboribus docendo, concionando, confessiones audiendo, ægrorum etiam pestiferorum corporibus recreandis, & socijs & externis sanè quàm charus erat, ita iam propè sexagenarius, omnibus cum festis tum dominicis diebus, concionibus habendis, excipiendisque confessionibus satagebat, neque quemquam sibi substitui patiebatur. Cum autem correptus intellexisset à medico morbum contagiosum esse, seiunxit se ipse ab alijs statim, ac neminem, ne superiores quidem, solatij sui causa, se conuenire cupiebat, quin etiam quamuis morbi genus crebriorem Infirmarij opem flagitaret, tamen vt eidem parceret, ablegato illo & absente, quoad mouere se potuit, suam sibi operam impendebat: vbi verò plane languescere cepit, tamen vno plures sibi administrare nolebat: quo tempore insignis Sociorum charitas eluxit. Complures quanquam quotidianis prælectionibus, Philosophicis, Theologicisque distinerentur, superato nihilominus professionis labore, contemptoque infectionis periculo, certatim petebant vt apud morientem liceret vigilare de nocte.

SODALITAS B. Virginis si vnquam alias & numero & egregijs virtutum exemplis efflоruit, atque in primis sacris Quadragesimę ferijs, in quibus creberrimus fuit ciliciorum, diuerberationum, siue publicarum, siue priuatarum vsus. Nam qualibet feria sexta, post prælectionum finem, plurimi in oratorio Sodalitatis, prælato signo crucis, & Psalmo, Miserere, mirificè decantato, in sua corpora desæuierunt: sæpe etiam pluribus ordinibus vt multorum expectationi fieret satis, nec defuerunt qui repulsam

Digitized by Google

pulsam licet passi, tamen arte quadam alijs locum præripuerunt. In festo autem B. Virginis Annuntiatæ, qui hoc anno in diem Sabbathi ante Dominicã palmarum, huius patriæ more translatus est, in totius Sodalitatis conspectu diuerberatio illa maiore apparatu ad commouendos spectatores instituta. Diuerberatione porrò facta, à tribus adolescentibus colloquium de præsenti materia est institutum, multisque rationibus & antiquitatis exemplis hoc genus pœnitentiæ probatum: & quæ contra obijciebantur argumenta cum magna auditorum voluptate depulsa. Ipsa verò hebdomada sãcta tribus diebus extremis, vt omnium voluntati fieret satis, tum publicè, tum priuatim, & semel eadẽ ferè cœrimonia, qua in festo Annunciationis, à tam multis contra carnem pugnatum est, vt non facilè numerus iniri queat. Quodam etiam die epulum non exiguo sumptu duodecim pauperibus post ablutos eorum pedes, alijs alia officia sustinentibus, etiam eluendarum patinarum, præbuerunt. Quæ priuatim facta sunt opera pœnitentiæ, longum esset persequi: Alij singulis hebdomadis aliquoties durius cubarunt: alij cilicijs creberrimè vsi sunt: alij in precibus multum temporis posuêre. Hoc etiam anno post Pascha noua Sodalitas instituta nomine Angelorum, miro applausu, & fructu pueritiæ, quæ nulla in re cedere vult maioribus. Itaque & isti ad suorũ Præfectorum pedes accedunt promptissimi, pœnitentiam in honorem sancti sui deposcũt: corpuscula sua, licet alioqui ætas illa fugiat dolores, flagellis, & cilicijs affligere contendunt. Ex hoc numero puer nobilis cum in vacationibus vindemialibus ad suos redijsset, id effecit, vt ne se præsente carnes apponerentur diebus vetitis. Constat Sodalem quendam, cum ad suos redijsset, & sacellani Parochi munere fungi cœpisset, quando clerici omnes ob ingraueſcentem pestilentiam fuga dilabebantur, solum constanter apud suos posito metu permansisse, vt omni-

Digitized by Google

bus peste laborantibus adesset, atque adeo, ita placeret Deo, etiam animam in charitatis officio profunderet. Cùm nuncius allatus esset de obitu Serenissimi Bauariæ Principis & Cardinalis Philippi à Sodalitate magno sumptu publicè pro anima ipsius parentatum extra portas Vrbis in æde B. Virginis insigni miraculo clara, sacra operante Reuerendissimo Suffraganeo, duobusq; Theologiæ Doctoribus ministrantibus: sacrum musicè decantatum, cenotaphio ante aram posito, appensisque Cardinalis insignibus, multis candelis facibusque accensis colluxit: parietes quoque omnis generis Epicedijs, tam à Rhetoribus, quàm à Poëtis exornati. Postremò è suggestu de virtutibus, quas vel in sola Academia Monguntina declarasset, dictum. Interfuit funeri Illustrissimus & Reuerendissimus Nuncius Apostolicus, qui quo tempore Moguntiæ fuit quanti Societatem faceret, multis argumentis demonstrauit.

A B hæresi ad fidem reducti sunt 25. Publicis aliquot scortis confessio criminum & vita frugi persuasa. Eorum duo quo in morbis è flagitio natis diutiùs putruerunt, eo Sacerdotis nostri amorem illustriorem fecerunt, qui suis humeris eos extulit in idoneum locum, vt seorsim ab alijs ægris confitentibus operam daret: idemque post animorum procurationem, etiam corporibus, quoad licuit, subuenit. Circa Pascha, vt ægroti cuiusdam Nosocomij & corpore & animo recrearentur, effectum est vt expurgata domo, & nouis tabulatis instaurata, in commodiorem infirmorum vsum, sacellum item neglectum hactenus exornaretur. Deinde vniuersi post peccatorum expiationem pane cœlesti saturati sunt. Ad extremum nequid ad plenitudinem beneficij deesset, è Collegio cibus, potus, vestes donata, vt qui per valetudinem laborare possent, sine intolerabili verecundia vicatim stipem corrogarent. Consimilis benignitas extra Vrbem in mendicorum

è Gallia

Digitized by Google

è Gallia huc delatorum magno numero, redundauit, corpore menteque refectis. Puella Hebræa à Noſtris inſtituta, & baptiſmo deinde regenerata, in Virginum Monaſterio Deo ſe dicauit.

AD carceres itum & frequenter permagno illorum bono, qui extremo ſupplicio afficiuntur. In his dum quidam impatiente & deſperabundo ad moriendum eſſet animo, Patris noſtri hortatione vehementer ad æquitatem confirmatus eſt: cùm enim quandoque huiuſmodi percelleretur tentatione, vt optaret funem ad ſuſpendendum, vel iſtiuſmodi vitæ extorquendæ facultatem, ecce ante pedes reſtis ad frangendam gulam accommoda, & maximè apta. Sed cùm Patris admonitiones, ne hanc vitam ſimul amitteret & æternam, ſubeunt animo, cohorruit ſubitò, & cogitauit dæmonem tam ſubitò ad eripiendam vtramque vitam præſtò eſſe: laqueum pòſt Sacerdoti noſtro tradit ſemuſtulatum, & inſolenti fœtore grauem, vt appareret haud dubiè è tartaro reſtim adfuiſſe, cùm præſertim diligenter caueatur, ne capite damnandis violentæ mortis inſtrumentum relinquatur: ſed cum nihilominus crebris moleſtaretur ſpectris, à quibus nunc ſpecie mulieris, nunc ebrij furioſique hominis, nunc magni canis impetu petebatur ad necem, ea tandem ſuſpenſa ad collum cæleſtis agni ſacra effigie, & aqua benedicta, diſpulit. Poſteaquam verò ſacra confeſſione animum expiauit; ita mutatus eſt non modò vt tranquillo animo pœnam ſuſtineret, verùm etiam Deo gratias ageret, ſibique gratularetur plurimum, quando moriendum eſſet, quòd non in hæreticos, ſed Catholicos incidiſſet, quorum ſtudio ab hæreſi, & alijs peccatis liberatus, caducam vitam cum immortali commutaret. Fuit alius qui quòd inter hæreticos educatus fuiſſet negligentiſſimè, atheus potiùs quàm hæreticus erat. Is initio ad omnem culturam lapideus & ſterilis, quatriduo ante mortem,

Digitized by Google

Deo ita per nos agente, se vertit, vt penè semper lachrymaretur: rogatus causam, duo respondit, alterum quòd tam serò Deum nosse cœpisset, cuius rei culpam totam in ministros hæreticos reijciebat, vtique id sibi euenturum fuisse nunquam, si puer ad nos venisset: alterum, quòd Deum in se tam benignum, tanta tot peccatorum iniuria toties afficisset.

VENIO ad missiones, quarum tres præcipuę. Prima in oppidum vicinum, tanto cum fructu, vt, quod ab incolarum memoria nunquam factum fuerat, in natali Domini omnes de peccatis confiterentur, & sacram Eucharistiam sumerent: quatuor omnino reperti sunt, qui se tanto bono indignos præberent. Secunda VVormatiam, vbi quicquid temporis à concionibus superfuit, id totum sacris confessionibus, Nosocomijs, & ægris impensum est. Tertia missio facta est in oppidum, quinque supra Spiram milliaribus: nam Spirense Collegium, quia plures, quàm pro numero sociorum benè de proximis meredi occasiones habebat, hanc ad excolendam nobis concessit vineam; missus hinc est sacerdos, in arce quadam, quà iter faciebat, duos ad fidem Catholicam reduxit, & decem post exomologesin cœlesti pane satiauit: In ipso oppido supra trecentas confessiones generales exceptæ, odijs infensissimis dissidentes reconciliati: multi à milliaribus viginti circiter eò se contulêre confessionis gratia: totum penè oppidum, quod in medio nationis prauæ sedet, in melius mutatum est.

AVGVSTO mense defunctus est huius Collegij totiusque Prouinciæ benefactor Ioannes Latomus, Collegij Canonicorum Francofurti Decanus, qui sicut in ea Vrbe Lutheranismo corrupta, clerum, cæterosque Catholicos contra hæreticorum furorem, ad summam vsque senectutem præclarè tutatus est, ita simul ac Societas Moguntiæ sedem fixit, toti Prouinciæ, ac imprimis huic Collegio

Digitized by Google

Collegio benignè admodum fecit: nam, vt alia præteream, quotquot è noſtris quandocunque Francofurtum venerunt (commeant autem eò ſæpe, tum quod hic locus Prouinciæ velut vmbilicus eſt, tum ob binas nundinas mercatu frequenti celebres) in aliud hoſpitium, quàm in domum ſuam diuertere non eſt paſſus. In eam rem certam ædium partem ſecreuit, cubiculum & lectos ſtratos ad quieſcendum, hypocauſtum ad comportandos libros, reliquumque inſtrumentum pro re domeſtica emptum, ſtabulum pro equis, & alia neceſſaria toto anno parata habuit. Et quanquam nonnunquam octo Socij è diuerſis Collegijs conueniſſent, omnes tamen humaniter accepit, menſæ adhibuit, retinuitque gratis, quoad ſingulos commodum eſſet diſcedere. Dicere ſolebat, ex quo noſtros in domum admiſiſſet, Deum ſibi vt olim Laban, & Putiphari ob Iacob & Ioſeph benedixiſſe, vt copioſior fieret. Itaque hoc inſtitutum etiam poſt mortem continuare inſtituit: nam præter centum taleros, quos huic Collegio legauit, ſucceſſorem non ſolùm enixè rogauit, vt Noſtros ſimiliter exciperet; verùm etiam lectos ad inſtruendum cubile reliquit: ſin recuſaret, hæc ipſa Collegio huic dari mandauit. Verùm ſucceſſori Societatis noſtræ amanti facilè perſuaſum, vt idem liberalitatis & beneficentiæ inſtitutum libens amplecteretur.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

ALIT hoc Collegium Socios tres & triginta: Sacerdotes nouemdecim: magiſtros quatuor: ſtudioſos duos: Auditores octo. Georgius Seuffrid è vita deceſſit, Moguntia huc deportatus

Digitized by Google

tatus vt à tabe hectica curaretur: quod tamen malum medicorum arte superius fuit. Pro hoc omnes quibuscum vixit, vno ore testimonium dixerunt, optimum, & religiosum fratrem fuisse, exemplum quoddam coadiutorum temporalium, adeo dum integra fuit valetudine, omnibus se probauit; dum affecta desiderium ostendit conferendi aliquid in commune. In morbo nullam iucundiorem narrationem audiuit, quàm de cœlo, & Sanctorum exemplis, in quam cogitationem prorsus defixus sæpè grassantis mali sui vim non sensit ab animi gaudio superatus: postea intercluſis faucibus cum verba amplius eloqui non posset, manuum & digitorum gesticulatione ad orandum & narrandum præsentes est hortatus. Cæteri Dei gratia valuerunt. Scholæ floruerunt numero, & nobilitate & pietate auditorum. Numerus eorum, qui ad nos attinuerunt, propè octingentorum fuit: nam Academicos in numerum non colligimus.

PIETAS imprimis eluxit in Sodalibus Parthenijs, quibus ex Academia multi se adiunxerunt honestissimi adolescétes, ex clero, optimi Prælati. Cœptus fuerat mos ante biennium, vt statis Quadragesimæ diebus conuenirent, & post decantatum psalmum, pœnas, qui vellent à se exigerent publicis disciplinis, quæ res apud rudes ob superfluam verecundiam; apud sciolos propter flagellantium hæret icorum memoriam, in Germania penè infamis, (meminisse enim volebant nonnulli ex superioris æui historijs, quàm illi per Prouincias Palati & Principum edictis proscripti fuissent) hoc anno detersa suspitione ad pristinam originem reuocata est, factoque Partheniorum in vulgus probata. Numerus eorum in septimanas creuit: itáque nocte pareſceues est auctus, vt septuaginta visi sint in hoc certamé prodijsse, viri graues Doctores, Nobiles, Academici. Instituebatur certamen in publica aula, ad quam omnibus aditus pateret. Exciti sunt fama è ciuitate multi,

Digitized by Google

te multi, & ex Canonicis cathedralibus aliquot, quos omnes non tam permouit quàm obstupefecit noua pietas, qualem Herbipolis nunquam se vidisse meminerat. Nam erat magnum silentium, & quies: alij in preces supplices incumbebant, alij cantu & fidibus spiritus excitabant, qui in stadium erant defcenfuri (quod fiebat per certas turmas:) prodibant alij protenfis brachijs, alij coniunctis manibus instructi flagellis, ipsoque habitu & gestu non minus quàm flagellationibus animos fauciabant, vt multis lachrymæ per ora defluerent, & confiterentur omnes ad diei istius veterem carnificinam in memoriam Christianis reuocandam, Christique passionem exprimendam, nullum spectaculum accomodatius, nullam illecebram maiorem excogitari potuisse. Cines sane excitati sunt, vt exemplo studiosorum Sodalitatem etiam ipsi mirè cupiant, hactenusque multis precibus rogarunt Magistrum sibi dari, à quo similibus legibus in pietate Germanicè informarentur. Admissi sunt aliquot, sed cum Academicis tantisper coniuncti, tametsi Latinæ linguæ imperiti, donec à superiore, ille quem petunt, vernaculus Magister ipsis præficiatur. Illustrarunt Sodalitatem, qui Magistratum gesserunt, viri in Ciuitate & Academia conspicui: quin in hoc tempore clarissimus Prælatus, ita gerit, vt omnia ipse Præfecti munia obeat: Ventitat in concilium, sententiam dicit, ad officium singulos, publica priuata oratione hortatur. Cupiuerunt ab hoc studio tanquam humiliori & se indigno nonnulli eum auocare, quibus ipse constanter respondit, se in castissima Virgine post Christum omnes suas spes fixas habere, nihil dolere grauius, quàm quod à prima ætate magistros non habuerit quibus ad colendam maturius fuerit edoctus, nunc velle iuuentutis iacturam refarcire, & omnes, quos posset suo exemplo ad idem pietatis studium pertrahere. Fuit de ea peruulgata opinio virtutis, vt quos calamitas aliqua

aliqua exciperet, ad hoc asylum opem flagitaturi perfugerent. Aliqui votiua munera obtulerunt: aliqui morituri particulam suæ hæreditatis in Sodalitatem transcripserunt, non sanè frustra: Idem enim hic, qui legatum D. Virgini reliquerat, quam reddita pro hereditario dono mercede, cæleſtes consolatores in vitæ exitu habuit. Adstabant morienti duo ex Noſtris, quibus subitò ille, Aperiantur subitò feneſtræ; non auditis suauem sanctorum Angelorum cantum? qua in voce animam lætus expirauit.

TRES in oppidum patrium inuitati sunt ad hæreticorum cognatorum nuptias die piſculento, maior cum rogaretur, induci non potuit, vt cum hæreticis accumberet: Duo iuniores auctoritate superati, assederunt quidem ad mensam, sed cibo quo vesci illo die non licebat, ipsisque patinis prorsus intactis. Minimo per fraudem in orbem intulerunt carnes, animaduersa fraude, vtrumque indignabundus à se reiecit, aduersatus etiam orbem quem illiciti cibi attigissent. Natu alij grādiores in arctas Religioſorum familias seſe abdiderunt, quidam etiam in noſtram. Nullus dies celebrior agitur quo non apud nos sacram synaxim ineant aut 300. aut 400. aut 500. In ferijs Natalitiis, quemadmodum & in Paschate, duo hominum millia sacræ mensæ accumbentium, & aliquot AEdituus noſter subduxit, certantibus inter se ciuibus, quis alterum in occupando templo præueniat propter loci angustias, ac nunc tandem in certos se dies, vt cum mutuo impediri videant, in proximum biduum triduumve si solemne sit, communionem differant, ne alibi quàm apud nos sacra participent. Sunt nihilominus nonnulli reperti opinionibus hæreticis imbuti, sed ferè exteri, qui studio noſtro ad Catholicos se adiunxerunt: eorum numerus duodenarius fuit. Viri non obscuri vxor ad fidem sanctioremque vitam conuersa. In vicina oppida & pagos, bis ab octo Sacerdotibus excursum est: aliqui tres, aliqui septem,

Digitized by Google

ptem,aliqui quindecim dies in erudiendis animabus vtilem operam posuêre. Vnus in pagum venit nomine solo Catholicum,omnes à confessione non minus quàm hæretici animis abhorrebant, palamque dictitabant, non abituros se à veteri triginta annorum consuetudine, quibus,quod libuisset Parocho dixissent, fecissentve:trecentos ab hac peruersitate reuocauit, quadraginta alios persuasit,vt repetita priorum annorum memoria, totius vitæ sordes emacularent.Diffundit se paulatim pietas extra Herbipolim in totam diœcesim:erigendis renouandisq; templis.Cum Herbipolensibus cæteri Francones certant: quadraginta tépla vnius anni spacio, aut de nouo excitarunt,aut vetera renouarunt.Ad Religiosorum septa quatuor inquinatissimi homines reducti sût,vnus septem,alter duos & triginta annos exuto monacho orbem peruagatus fuerat,tertius nuptias palam meditabatur, quartus perfractis seris è carcere profugerat, superiores inopes consilij, nostræ eos sententiæ permiserunt. Pronum fuit ad benignitatem consilium vt confessi culpam, gratiam sibi fieri à superioribus supplices peterent, qua nobis interceſſoribus impetrata, hactenus in disciplina constantes perseuerant.Iidem superiores, quoties se difficilioribus negocijs implicatos senserunt, quàm vt exire possent,vel ipsi nos consulturi adierunt, vel ad se rogantes euocarunt:quidquid in rem communem consuluimus, quasi acceptis oraculis læti lubenteſque paruerunt, adeò omnes Nostri obseruantes sunt.

COL

COLLEGIVM SPIRENSE.

RECENSITI Socij viginti: Sacerdotes duodecim. Scholarum Magistri tres: Adiutores quinque. Ad triginta & amplius loca, & oppida, & arces, & pagos euocati Nostri, & post iterum, sæpiusque concionum, & sacramentorum causa repetiti, magnum plerisque sui desiderium reliquerunt, adeò vt non rarò nos, alijs ad diuersa loca euocantibus, singulorum votis satisfacere nequiuerimus. Nonnulli etiam, quamuis festiuos dies semel stato cum Ecclesia tempore habuissent absque nobis, ad nostrum tamen aduentum aliquot post diebus concordi pietatis consensu, cultuque maiori eosdem quasi repetitos, diuinorum exomologeseos ac synaxeos mysteriorũ frequentatione agitarunt. Princeps quidam in Ciuitate Imperij sex ab hinc milliaribus, hæresi perditè fœdata, Nostrorum operam petijt, eamque expertus est cum cleri præcipuo fructu, cuius penè vniuersi confessiones exceptæ, cum Virginum Deo dicatarum, tum aliorum quoque quorum non nemo ab hæresi est expeditus, alij totius vitæ confessionem fecerunt. In vna eiusdem Ciuitatis Paroecia, sex & septuaginta numerati sunt, qui è nostris manibus ad aram cœlesti epulo reficerentur. Maior hoc in alio oppido Imperiali ex nostra inter ciues opera fructus constitit, in quo pro tempore aliquanto, defuncto Parocho, vicariam necessariam dedimus. Dies certè confessionibus excipiendis insumpti multi: conciones & catecheses habitæ, & ab incolis certatim frequentatæ. Res famaque de Nostrorũ in ea ciuitate præsentia increbrescit per loca circumiecta,

Digitized by Google

iecta, Caluino partim, partim Luthero imbuta: aduolant Ministri verbi, concionibus se immiscent, sed accuratè Nostrorum congressum vitant.

PROMVLGATI Sanctissimi D. N. Clementis Octaui Iobilei, Noster sic excitauit desiderium sermonibus, vt beneficium grati non agnoscerent tantum, sed grandæui etiam & fide digni propalam asseuerarent, à sua memoria huiusmodi quid, nec auditum, nec vsurpatum fuisse vnquam: qua re permotus Noster alios quoque Ecclesiæ thesauros similes, vt Extremæ vnctionis & Confirmationis sacramentorum perinde incognitorum vsum, in agro & Vrbe pandit. Hoc cum vulgus percepit, mirum quantis deinceps votis ea sacramenta expetiuerint, adeò vt Confirmationis sacramentum in quatuor aut quinque pagis cis Rhenum aliquot millibus hominum omnis ætatis expetentibus id, conferendum fuerit, singulis præuia confessione in gratiam restitutis. Positum illic orthodoxæ militiæ tyrocinium: gemina solemnium supplicationum excepit pompa, diuersis temporibus, animorum pietate ac feruore similis sibi vtraque: vtraque noui istic exempli, altera quidem Iobileo, altera festo Dominici corporis concelebrando. Ad vtramque tanquam rem nouam, vt assolet, videndam confluxus plurimus, admurmuratio varia, nemine tamen non summopere admirante & comprobante grauitatem ac maiestatem, quam Ecclesiastica illa pompa præseferebat. Iidem diebus sacris pari feruore Missæ sacrificio, catechesi, vesperarum psalmodiæ interfunt. Præterea pagus est altero ab hinc milliari, qui Lutheri amplius quàm à triginta annis assueuerat erroribus: eum Nostri Reuerendissimi voluntate attentarunt: nec pijs Nostrorum conatibus diuina bonitas defuit: vix enim pauci menses lapsi, exul in totum pagum redit Christiana Religio: gratulantur sibi incolæ, Nostros suscipiunt, quòd tantum laboris & itineris toties susce-

Digitized by Google

perint,ac oblata ab eis beneficia & commoditates recusarint.Mirantur non pauci horum Neophytorum pietatis & Christiani nominis feruorem:eiusque rumore excitati primarij viri ex confinibus, & ipsa Vrbe se eò contulerunt,vt quæ auribus perceperant oculis præsentes contuerentur. Omnibus igitur cum Deo in gratiam ritè repositis, Pastor est assignatus: templum nouum in pago extruitur,& cœmiterium, quo ante hac carebant, designatur.Sub Pascha emissi Nostri ad Gallos exules, per incerta vagos in vnum collectos adierunt:Diuinis animos, corpora verò epulis humanis refecerunt, excitata per Nostros nobilium virorum aliorumque prælarga beneuolentia.In numeroso quodam sanctarum Virginum Collegio eo fructu singularum confessiones exceptæ, & mentes instructione, exhortationeque perstimulatæ, vt nihil simile ad animorum motum ac perfectionis calcar acriùs se vnquam sensisse omnes copiosis lachrymis testarentur. Qui hæresim hoc anno eiurarunt numeramus quatuor & octoginta,quorum duo postposito fortunarum periculo, amicorum offensa,indignatione sui Principis,se commentationibus perpoliendos nobis tradidêre. Alius Iurisperitus haud vulgaris, cum persæpè humano pudore atque timore parentis etiam in nos aduersa voluntate,retraheretur,ne animi sui fluctuationem Nostris aperiret, tandem cum Deo peruicit omnia, & victoriæ coronidem professionis Catholicæ triumphator imposuit.Anabaptistæ in quædam loca vicina irrepserant, à suis, vt aiebant, maioribus missi,sed Præfectorum vigilantia notati, detenti, duo victas manus Nostris dederunt. Prædicantes hæretici nostris colloquijs ita in mitiùs attemperati sunt, vt quidam non obscurè suam professionem falsitatis insimularent,vltroque affirmarent ac promitterent contumelias & contemptus Religionis Catholicæ deinceps penitus se remoturos. De tota vita confessiones exceptæ

quadra

Digitized by Google

quadraginta nouem: consilio & sacramentis subuentum è locis hæreticis ad nos clam excurrentibus. Spiritualium exercitiorum commentatores per nos instructos habuimus viginti duos, viros Nobiles, Ecclesiasticos, Principũ consiliarios, oppidorum Præfectos ac Prætores. In exercitijs positi seipsos & internam mentis suauitatem admirari satis non potuerunt: quidam ob vehementes animi commotiones à meditationibus abstrahendus fuit. Alius non nisi humi cubare voluit, & nixis in terram genibus cibum sumpturus orare, ac vix tenui cibo famem pellere. Horum quidam in familia sua fabricari curauit proseuchin, vbi cum familia statis temporibus oret. Capitis rei, Confessione, Eucharistia, & consolatione adiuti; aliqui etiam nostro rogatu sibi donati. In his atheus, quicum Noster quidam expertus fuerat omnia frustrâ, tandem nemine id opinante, in gemitus lachrymasque cum clamore ingenti perrumpit, sacramenta efflagitat, ac postridie in ipso supplicij loco rursus inspectante populo & ingemiscente confitetur. Crucibus in altum multis per dioecesim erectis, ac collapsis restitutis Nostrorum suasu, suum in Christianam Religionem zelum plures Communitates publicè ostendere voluerunt. Confirmati sumus in hoc pietate cuiusdam, qui à quo tempore eiusmodi crucem erexit, nunquam prædiorum vt antea perpessus est calamitates. Rosariorum vsurpatio latiùs quàm vnquam alias in dioecesim inuecta. Pij item libelli inter amicos Nostrorum hortatu distributi plurimi. Non defuit nobis aliquorum beneuolentia in eleemosinis liberaliter conferendis, vt cæteros taceam, à generoso DD. Marco Fuckero Augustano, & consortibus eius 600. Imperiales floreni nouo templo, vt speramus, extruendo collati. Sacra supellex aucta est.

Digitized by Google

COLLEGIVM FVLDENSE.

VERSATI sunt in hoc Collegio Socij viginti: Sacerdotes decem; Scholarum Magistri quatuor: rei domesticæ coadiutores 6. Morte sublatus est R. P. Petrus Lopperſius quatuor votorum professus, Romæ sub annum 67. in Societatem admissus, & huius Collegij multo olim tempore Rector: cui viro quid ad omnem charitatis perfectionem defuerit difficile est inuenire: confessionibus audiendis, concionibusque ad populum habendis Germanicè, nunquam defatigatus est. Egentium ciuium & ægrotorum, præsertim Catholicorum, non tam patronum, quàm patrem se gessit, nec in præsenti tantum calamitosorum inopiæ eleemosinis vndequaque collectis subuenit, sed in futurum prospexit: Nam eius industria effectum, vt amplius mille floreni collecti censum annuum in Catholicos pauperes, distribuendum quotannis modò reddant, quæ summa dum vixit, vt augeretur, mirum, quàm laborauerit. Collegij Nostri reditus, incertum an Rector, an deinde priuatus plus auxerit: cùm enim rara quadam morum comitate, & humanitate præditus esset, effecit, vt Gregorij XIII. liberalissimi Pontificis munificentia, Seminarium Fuldæ erectum sit, in quo quadraginta nobiles adolescentes alantur: vt item sexcenti coronati in sexaginta pauperes studiosos perpetuò diuidantur, vt hoc anno à Viceprincipe ducenti floreni Collegio donati, & mox centum taleri pro horologio in vsum Collegij & scholarum: alumnorum censu recuperando strenuè laborauit: obijt porrò

Ratis

Digitized by Google

Ratisbonæ, quo negociorum causa cum socijs profectus erat.

DOCTRINA Christiana domi foriſque floruit, nec vno in pago, ſed in pluribus & longius ab Vrbe remotis vtiliter tradita, & catechiſmi, roſariaque in vulgus diſtributa. Inde frequentes admodum exomologeſes extiterunt. Curatum eadem opera, vt ſacra templorum ſuppellex inſtauraretur & niteret: & data opera eſt, ne alumnus prius parochiam & animarum ſuſciperet curã, quàm ſe ipſe, ſuamque vitam priùs apud nos ſpiritualibus exercitijs reformaſſet. Monachus ordinis & inſtituti ſui deſertor, monaſterio ſuo reſtitutus eſt. Confeſſiones etiam generales totius vitæ à pluribus confeſſarijs exceptæ plurimæ, multaque flagitia impedita. Magno cuidam viro detractum eſt ſcortum, cui iamdiu conſueuerat, non ſine ſcandalo: & hoc exemplum vt imitarentur alij laboratum cum fructu. Noſocomia, domuſque pauperum frequentatæ, ibidemque confitentibus aures datæ: neque cum grauibus periculoſiſque morbis conflictantes vnquam deſerti. Vir quidam Catholicus longa tabe ferè conſenuerat, nemini curæ erat, hæreticis etiam contemptui: huic certa mors imminebat, niſi pecunia in pharmaca, cibo etiam potque quotidiano prope impenſo, inopiam leuaſſemus.

E VARIIS hæreticorum ſectis ad Eccleſiam adducti hoc anno viginti octo. Mulier quædam partui vicina cùm ſummis angeretur cum corporis, tum animi angustijs, à Catholica fœmina ad confeſſarium adducitur, euomuit venenum, domum continuò abit, celerrimè feliciſſimeq; parit; confeſſionem à puerperio iterat, & quod prius non potuit, ſacra Euchariſtia reficitur, nunc Catholicam religionem veneratur & colit, & pro tam multiplici beneficio Deo gratias agit. Adoleſcens qui educatus apud Lutheri malè ſanam ſobolem, hæreſim eam imbi-

Digitized by Google

berat, ad nos studiorum causa cùm aduolasset, iamque in viam per Patrem nostrum vtcumque reductus esset, hæretici cuiusdam id sentientis insidijs petitus est: sed Nostri industria & constantia molitiones illæ nefariæ in fumum euanuêre; gaudet modò domito hoste, se Catholicum factum; & in dies de hæretico hospite, qui identidem Veneris & Sabbati diebus nonnisi carnes apponit, præclaras reportat victorias. Maior fuit labor in conuersione cuiusdam ciuis, duobus ferè ab hinc annis inchoatus, nunc demùm constitit operæ fructus. Pari cum fructu, sed minore cum hæretica fœmina peste decumbente, actum labore, cui cum Catholici mariti monita lachrymæque nihil contulissent, primis nostris adhortationibus ita mox paruit, vt catholicè mori haud grauatè voluerit. Plures ex discipulis ad Catholicam Religionem traductos, non paucos in fide roboratos, alios re auxilioque adiutos, ne longior sim lubens prætereo.

SCHOLAE tametsi ob grassantem luê numero fuerint inferiores, virtute tamen solidaque in Deum religione præstantes fuêre. Hoc par iuuenum, cùm res ita ferret, suo exemplo luculenter demonstrauit: Alter enim, cùm in visceribus grassantis pestilentiæ vim diu sustinere se non posse animaduerteret, de confessione instituenda seriò cogitare cœpit, sed cum per matris hæreticæ pessimaque fœminæ indignationem id se non posse nec audere sciret, clam sacerdotem nostrum, se in domum insinuare iubet, facit ille, quod rogatur, domũ ingreditur aliud acturus: sensit illa, suspicatur quod res erat, fremit, indignatur, obmurmurat. Interim confessio latinè expeditur: mox sacerdos noster domum, ille in cœlum lætus (vt speramus) euolauit. Mater impia non multò post tempore dignam vita mortem consequuta, eademque lue extincta sepulturam asini meruit. Alter adolescens nobilis, hinc ad suos se receperat parentes consanguineosque hæreticos in Hassiam;

Digitized by Google

siam; vbi cum imprudens degit, lapsu quodam ita grauiter allisus est, vt longioris vitæ spem omnem medici parentesque abijcerent. Tum ille animæ potius lapsu, quàm corporis dolens, confessarium postulare, parentes amicique negare, ille non acquiescere, donec tandem magnis itineribus Catholicus cõfessarius accerseretur. Hinc voti compos factus, de tot tantisque triumphans hostibus, hæresimque detestatus ex hac vita, in illam beatiorem (vt par est credere) translatus est. Alumni, conuictoresque non postremi fuêre in pietatis exercitijs: plerique ex his D. Virginis Sodales sunt. Cõmunia fuêre misericordiæ & pietatis opera, ægros inuisere, eleemosynas elargiri, ignorantes cœcosque hæreticos erudire, catechismum tradere, cilicijs flagrisque carnem edomare, à lecto & ferculis abstinere, flexis humi genibus, expansis brachijs precari, & id genus innumera. Horum è Sodalitio vnus relicta patria hęretica familiæ religiosæ ordinis S. Francisci nomen dedit. Coronidis loco sit ciuium in nos amor, & beneuolentia in religionem & ordinem nostrum animorum inclinatio; munera templo nostro data supra 200. florenorum.

COLLEGIVM HEILIGENSTADRANVM.

HABVIT Socios tredecim; duobus in Erfordiana Missione degentibus, annumeratis: Sacerdotes octo; Magistros duos; tres rei domesticæ adiutores: salui omnes, Dei beneficio, quamuis inter quotidiana pericula grassantis passim luis.

Digitized by Google

præsertim hybernis mensibus, quando in his locis animaduersum est, contrà quàm assolet alibi, cõtagionis vim maximè serpere. Discipulorum è superioris anni naufragio, remittente iam morbo, hinc inde collectorum, minor quidem solito frequentia, sed maior apparuit industria pietasq; , eorum præsertim qui sub tutela vocabuloq; Dei parentis militant. Argumenta sunt crebræ noxarum expiationes iam à plerisque denuo octauo quoq; die iterari cœptæ; frequentior vsus Eucharistiæ: Zelus in reuocandis ad Ecclesiam errantibus: orbitæ cum pio sensu & habitæ supplicationes. Ex his qui ad montem quem Adiutoris vocant, votiua peregrinatione cõfluxerant, 80. apud nos confessi, & plerique cœlesti cibo refecti. Impetratæ deinde indulgentiæ dicto monti opera vnius è nostris, loci deuotionem ita auxêre, vt ibidem celestis mensæ conuiuæ numerati sint ad ducentos: cum ante nostrum huc aduentum vix vila hic sacri conuiuij vestigia, ob vicinas hæreticorum popinas, extarent. Non procul à monte Adiutorij Deiparæ est sacellum in rubo positum (vnde & nomen habet) religione quondam celebre, sed multis iam annis celebrari desitum, extincta per hæreticam luem pietate. Missi duo Sacerdotes non absque fructu: auditi confitentes 35. plures, quòd nonnulli pridiè in oppido conscientiam expurgassent, Diuinis epulis recreati spem nobis fecerunt vberioris quondam ex agro Parthenio messis.

VENIO ad Vrbem, hic ciuium pietas, vt seipsam vinceret, non frequẽtior solũ in sacris apparuit, sed nouis insuper legibus adstringere se ad arctiorem cultum cogitauit: Nam præter cœtum fœminarum, qui ante aliquot annos sub nomine Matris Dei coaluit, hodieque crebriore sacramentorum vsu viget, sata est hoc anno virorum ex opificibus maximè, quibus id stadium est, cum sacra mysteria ipsi frequentius viurpent, tum alijs suadeant.

Nostri

Digitized by Google

Nostri inter se sortiti prouincias, ad sedecim pagos bis qualibet hebdomade excurrerunt, serendæ doctrinæ Christianæ & prædicandę pœnitentiæ causa: neque cessatum ab his, qui domi remanserunt, sed iidem labores in D. Virginis templo continuati: Et fuit operæpretium. De totius vitæ noxis auditi fermè ducenti: tres quatuorve à pellicatu abstracti, intestinis diffidentes odiis in mutuam gratiam reducti, vnius familiæ rusticanæ pacificatio multis admirationi fuit, quòd eam ante multi viri primarij frustra tentassent. Porrò ex ijs qui Lutheri dogma sequuti sunt redierunt ad Ecclesiam circa Paschatis ferias vno in pago partim Parochi, partim Nostrorũ opera quadraginta. Præter hos diuersis in locis ab hæresi absoluimus duos supra triginta, quorum vnus iam penè in errore consenuerat. Alius qui Lutheranorum cœnæ diu assueuerat nunc longè præfert Angelicas dapes: plurimi nutante in fide confirmati, dataque documenta nonnullis qua ratione molestis, crebrisque hæreticorum insultibus occurrerent: deterriti quidam à frequentandis hæreticorum gurgustijs, audiendis concionibus, contaminatis libris euoluendis, persuasum iisdé multò gratius Deo cordium inspectori fore, si priuatim domi suæ, quàm publicè in prophanis hæreticorum conuentibus preces fundant.

FVERVNT tres, quos malus dæmõ tetris imaginibus noctu diuque territans, modò præcipitium, modò laqueum suadebat. Hi cum è Nostris remedium quæsiuissent communi animarum pharmaco, expiatione noxarum, optatam mentis sanitatem tranquillitatemque adepti sunt. Vni immanis draco sese obijciebat, horrendo rictu, quasi extemplò miserum deuoraturus, exclamat ille, Deique misericordiam implorat; sed audit ita demùm impetraturum, si exomologesi peccatorum virus eiecerit. Inde hominem trepidatio inuadit, conscientia scelerum adeo perculsum, vt nulli mortalium sese pecto-

Digitized by Google

ris arcana tutò credere posse confidat. Verùm in hisce tenebris, ac timore nocturno, affulget mox diuinæ bonitatis radius, secundum quietem aspicit Sacerdotem è Societate nostra, tanquam erigentem manum, & draconem virga pellentem. Hoc confirmatus visu venit ad nos Heiligenstadium, elutisque totius vitæ maculis facilè obtinuit candore animi, vt deformis monstri terriculamenta facesserét. Mulier cum partus doloribus plures dies conflictari solita, hoc anno cum speciem diuini agni appendisset ad collum, primò statim die feliciter enixa est. Fuit & alijs infirmis opera Nostrorum vtilis, cum non animarum modò præsidia, sed & corporum subsidia procurarentur. In his vicinum Monasterium Virginum pestilenti contagione occupatum, Societatis charitatem prædicare non cessat: Corripitur cœnobij Præfectus, aduolant extemplò Nostri, ritéque expiatum, supremo simul viatico ad mortis iter, simul vnctione ad luctam instruunt. Porrò Nostri diuino beneficio salui & incolumes, ad nos rediêre, mirante factum & commendante Ciuitate.

RESIDENTIA ERFORDIANA.

SVNT in hac Residentia duo Sacerdotes ex Nostris: vtrumque diuina bonitas à sæuissima superioris anni pestilentia conseruauit, ad vineam Domini excubantem; & nonnulli periculo domi foriscque expositum, dum non modò in templo cuiuis operam præbebant ad animi labes expurgandas, sed eandem quoq; infectis contagio, si quando rogarentur, non denegabant. Inter eos, qui apud Nostros animæ sordes, qua in Vrbe, qua in pago abstersérunt, fuêre circiter

Digitized by Google

tes quindecim, qui extra Ecclesiam vixerant, tres item, qui ex intimis hæreticorum regionibus expurgandæ conscientiæ gratia aduenerant. Ex quibus vnus cùm graues ob religionem, quam intrepidè profitetur, molestias sustineret, & iuberetur à verbi ministro aut religionem, aut locum mutare, consiliũ nostri Patris apud alios prædicauit, quo credebat se deinceps & sedem, & fidem, & conscientiam integram conseruaturum. Cum cęlestem opem implorare, ac crebris supplicationibus Diuinum numen placare pro auertenda pestilitate Clerus decreuisset, confugit ad Nostros, Capituliq́ue decreto rogauit, vt dum supplicationes essent habendæ prius verba ad populum facerent. Habuêre conciones quauis hebdomade binas, magna, vt fatebantur auditores, afflictorum ob quotidiana funera, consolatione: nec minore etiam in plures annos fructus spiritales pollicente ad salutem curandam instructione: maior verò fuit expectatio concionis illius, & ferè apud aliquos trepidatio, quando liberata Vrbe ab hac clade ad consequendas pontificias Indulgentias instituta fuit solemnis supplicatio, & de Indulgentijs in omnium ferè Catholicorum consessu copiosè è cathedra disputatum, cum de eiusmodi remissione sacra concio, vel publica supplicatio ab hominum memoria instituta non fuisset, gratularentur sibi Catholici, se ab hoc pio opere à nemine turbari, de quo vel ante paucos annos tutum non fuisset consilia inire. Factum Capituli ædis Marianæ nos ad concionem postulantis, sequuti sunt per Vrbem Parochi, qui non rarò vt eorum vices suppleremus, expetiuerunt, vt intra anni spatium plus minus tricies à Nostris è suggestu fit dictum, nullumque extet Catholicorum templum celebrius, in quo non sint aliquoties conciones habitæ, cùm nullus interim obseruatus fuerit, qui verbo contra illas mussitaret. Capituli & Curionum exemplum imitati quoque ciues laici, Parochiæ curatores, qui cum

suum

Digitized by Google

suum Pastorem morte ereptum amississent, rogarunt Nostros, vt donec alium per tempus nacti essent, festis saltem diebus, sacro & concione populum ibi pascerent: curauimus aliquoties donec alius substitueretur, & haud obscurè fatebantur, ingratum sibi accidisse, quòd tam citò certus obtruderetur, optantes diutius nostro pascuo vti. Nec ad vulgus modò, sed & ad litteratos latinè oratum in exequijs tum magnifici Vicedomini, tum Abbatis ordinis S. Benedicti: qua vtraque vice valde sibi gratulabantur, qui dicentem audierant.

COLLEGIVM MOLSHEMENSE.

COLLEGIVM hoc potiore anni parte è Nostris incoluêre duo de triginta, Sacerdotes 12. Magister vnus: Theologiæ studiosi septem: Coadiutores octo: quorũ omnium pro sua cuiusq; virili, quâ domi, quâ foris, fructus operæ nõ malignè cõstitit, cum communis quædam latéq; serpens contagio Alsatiam etiam vexaret, & nos Deus huius sui flagelli seu beneficij immunes esse noluit: Equidé vt pestis anno elapso Magistrum optimum: ita currente Patrem æquè bonum cruenta alui deiectio miserè depasta est. P. Iacobus VVilichius, is erat annos natus triginta, decennium circiter in Societate compleuerat, vix vnum in Sacerdotio, vir admodum sui contemptor & exactè obediens ac simplex, in iuuentute moderanda diligens, & industria singulari, verecundiáque. Dissenteriæ lue correptus perfecti Religiosi numeros compleuit, vt Nostris magnum perfectionis exemplum, externis verò moriens sui desiderium reliquerit. Biduo vltimò quo ei lucta cum morte acerbior fuit,

Digitized by Google

fuit, cœpit in lachrymas quandoque resolui, sæpe per preces Christo supplex fieri, Deo se totum suáque omnia offerre & consecrare, crebriusculè confessarium expetere, & quicquid superstes erat voculæ, & valetudinis ad Deiparæ patrocinium impetrandum, id omne conferre, identidem in ore habere, Maria mater gratiæ, Maria Mater gratiæ. Denique sic ad S. Obedientiæ numeros omnia componere, vt absque curatoris sui concessu nefas duceret pedem loco mouere, quantum licuit per morbi vim: ergo post sæuum cum morbo, cum morte, dæmonibúsque vt apparebat duellum, inuitatu Domini Deique sui, quem coram adesse palam affirmabat, dum circunstantium quispiam rosarium cum ipso percurrerat, ex hac mortalitate ad immortalitatem (vt vita ipsius ac mors nobis fidem faciunt) sacramentis omnibus munitus lætus emigrauit. Sex alij paulò post eodem modo laborare cœperunt, sed Dei beneficio conualuerunt. Conciones tum statæ, tum extraordinariæ magno populi concursu domi forisque frequentatæ sunt. Ex varijs etiam conscientiæ labyrintis alij septem erepti. Vnus Catholicus metu quodam inani ad nænias Lutheranas itans, in Ecclesiam est repositus. Triginta ab hæresi ad Catholicam fidem traducti sunt: vni persuasum, vt ab hæreticis se reciperet ad quos migrauerat. Libri hæresi infecti non pauci ablati. Nostræ Societatis commentationibus exculti sex. Vnus & alter conscientiæ stimulis exagitatus, à multis milliaribus huc vsque excurrerunt remedij gratiâ. Cùm superioris anni æstate lues exorta non ante adultam hyemem remitteret, ad noui anni exordium, duo è Nostris à Collegio separati diu noctúque ciuium solatio patuêre & auxilio. Elaboratum vt eleemosyna partim Collegij, partim piorum hominum inopia multorum qui huc confluxerant, subleuaretur. Solemnioribus festis in æde nostra refecti ex illis 150. communione sacra, quibus Collegium

delit

dedit prandium. Euocati nostri Obernehemium Imperiale oppidum festis Natalitijs, feriisq; Christi resurgentis, maximo cum fructu totius Ciuitatis, quæ nos vt Patres suos impendio amat: vbi minimè prætereunda cuiusdam patris, qui ad natalem Christi eò abierat, industria: Nam cum aliquanta esset à Confessionum laboribus remissio, ne omnino vacaret, etiam respirando scholas adiit, numerosamque iuuentutem pro captu ad festa instruxit. Hospitale itidem ciuium inuisit, prandentibusque alijs ipse ad concordiam tuendam & animi aliquam præparationem pro eodem festo exhortationis epulum animabus præbuit, & iucundum & opportunum.

SVB finem verni ieiunij duo Sacerdotes è Nostris Hagenoam, præcipuam Alsatiæ Vrbem profecti sunt inuitatu saniorum ciuium partis: nec abfuit operę precium: datæ aures plus trecentis confitentibus è plebe summatibus, tredecim è Senatu. Conciones habitæ magno cum concursu & applausu ipsorum etiam hæreticorum, quibus rei veritas & dicentis industria, vel inuitis hoc epiphonema expressit. Si quidem sic semper fuissemus instructi verbo & exemplo, nunquam huc miseriarum deuentum esset. Catholici occasione vtendum rati, facinus audax aggrediuntur, in templum Vrbis princeps, nostrum quoque concionatorem (quod ante hac nisi me fallit opinio nunquam quisquam facere ausus fuit) traducunt, nequicquam frementibus hæreticis, Catholicis verò summè gaudentibus, occultas tamen machinas vel vim apertam subueniri consules duo Catholici, penes quos tunc temporis regimen erat, bene hastati cum satellitibus, Nostros rei totius ignaros ad hospitium vsque ponè sunt insecuti. Verùm nihil æquè Catholicis gratum, ingratum hæreticis accidit, iisdem sacris diebus, atque vnius præcipui consulis egregriè Lutherani mors, qui cùm perfidiam suam occasuram timent, Catholici sperant. Eius

funus

Digitized by Google

funus Catholicorum nemo propemodum est comitatus. Momordit hoc sectarios, eo acrius: quòd aliàs primarij quique Catholici pompam eam lugubrem deducere soliti præsentia Nostrorum (vt ipsi suspicantur) essent repressi, vt nos credimus, ardore audiendi Nostrum de Christi Domini cruciatibus differentem. Iucundum præbuit spectaculum 20. circiter puellulorum hæreticam oppidi scholam frequentantium, qui tamen parentes habent Catholicos, aduentus ad confessionem faciendam. Idem cum lachrymis tres alij fecêre. Dissidentes reconciliati & inter se, & cum Deo. Vnus aliquis qui sua culpa quadriennij spatio pane illo Angelorum se ipsum priuarat, & ad saniorem mentem, & ad veri Christiani hominis officium est reuocatus.

FINIS non sit omnia persequenti. Hoc postremum, idemque pulcherrimum. Reuertentibus Nostris comites sese obtulerunt viri duo primarij, alter consul, alter penè consul, experturi reipsa fructum & dulcedinem meditationum R. P. N. Ignatij, quarum laudes auribus tantum hactenus accepissent: fructus operæ stetit. Parochus quidam spiritalibus exercitijs excultus, magno suo suorumque commodo, prout ex confessionibus, ad quas excipiendas de Nostris accessêre, intellectum est satis: ad quam rem non parua Toparchæ pietas contulit & exemplum: ipse Princeps tridui præparationem accuratam inspectantibus omnibus & stupentibus ad pedes Sacerdotis nostri se supplex abiecit, de scripto errata pandit, quem è vestigio vxor, vxorem familia tota cum rustica turba sunt insecuti. Sunt postremò ibi explicatæ confessiones hominum plus minus trecentorum, & sedes confessionales ad modum nostrum curatæ. Huic par penè laboris ac operæ fructus extitit in alijs tribus pagis, in quibus Germanicæ ac Gallicæ catecheses, conciones, & confessiones auditæ. Sunt in ijs qui prædicant se hactenus (fortè

Digitized by Google

(fortè quod ad radices Vogheſi mõtis adhęreſcant) ritu ferarum victitaſſe, cum noſtro aduentu pariter veram lucem mentibus ſuis obortam. Multi multos ad confeſſionem ad nos adduxerunt, inter eos quatuor, qui nunquam antea fuerãt Noſtris confeſſi. Seminariolum cœtus parthenij, & quædam quaſi appendix eſt Sodalitas Angelorum; quæ annis & corporibus alteri abſq; controuerſia cedit, minus forte virtute atque animis. Acceperat ex illa adoleſcentulus verſiculos quoſdam abſque mora memoriæ imprimendos, quos breui poſt Angeli cuſtodis officium repræſentans eſſet recitaturus. Dum itaque ad catarractam molæ inter diſcendum aliud agit, vt pueris mos eſt, inque rotas molares forte oculos intendit, pede fallente fermè ipſis rotis eſt interceptus. Iam ſupinus ſecundo flumine ad eas ferebatur, cum ſimul ipſi Angelus cuſtos in mentem indit, vt pariter neſcio quod vimen male fidum arripiat, pariter vocem auxilio poſcendo intendat. Molitoris ergo accurſu aquis extractus, periculum euaſit tenens mordicùs manu chartam cui verſiculi inſcripti erant. Sereniſſimi & Reuerendiſſimi D. Cardinalis & Epiſcopi noſtri, tum Decani & Capituli beneuolẽtiam in nos nihil imminutam, hoc iudicio ſit, quòd quemadmodum ſuperioribus proximis annis quinque vicariatus ad integrandam Collegii fundationem liberaliter contulerunt, ſic hoc anno literas ſigillis ſuis munitas gratioſè dederunt.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM CONFLVENTINVM.

CONFLVENTIAE vix erunt de nostris septemdecim: Sacerdotes 9. 2. Præceptores: reliqui Domestica cura occupati. Ex his 12. Aprilis mortem obiit M. Henricus VVimmerus patria Iuliacensis, anno ætatis suæ ferè 30. cum annos octo partim tyrocinio, partim humaniorum literarum professione, partim casuum auditione compleſſet. Huc missus magna nobis submissionis & patientiæ documenta dedit. Anniuersario die fundationis, qui D. Ioannis Baptistæ natiuitate sacer est, Reuerendissimus Archiepiscopus Treuirensis fundator noster, ægro licet corpore, lectica tamen ad Collegium vectus, cereum sibi fundationis offerri voluit, qui & 27. Septembris, quo die dedicatio nostri templi celebratur, & rei diuinæ, & prandio, cuius impensas ad Collegium miserat, cum viris primariis lætus interfuit: & paulo post 400. coronatos ad æs alienum soluendum R. P. Rectori donauit, facta maioris beneficentiæ promissione. Superiore etiam Martio Treuiris ad medicorum desperationem laborans, cùm præter Nostrorum Patrum Treuirensium eximiam charitatem, etiam nostri Sacerdotis ipsi dies nocteſque inseruientis obsequia probasset, multa huic Collegio priuilegia Archiepiscopali diplomate concessit: nimirum quòd Parochiam Gulsensem, & primi sacri beneficium sua etiam auctoritate incorporarit: atque vt ibidem coloni non nisi nobis monitis & approbantibus vindemiationem inchoare possint, inchoataque in diuersa loca partiri, & decimas commodè & integrè percipere valeamus: quod priuilegium hoc anno cum insigni nostra vtilitate viur

Digitized by Google

patum. Donatum nobis à Reuerendis Patribus Carthusianis brachium S. Seruatii Episcopi, cuius illi maximam corporis partem habent, quod tanto gratius fuit, quòd patronus sit Gulsæ, vbi decimas habet Collegium, & ibidem finitimorum religione & concursu valdè celebretur. Explicata Christi Redemptoris nostri passio quinque diuersis in locis, tertio & sexto etiam ab hinc milliario. Dolorem auditorum de suis noxis, déque Saluatoris cruciatibus, satis profusæ vbertim lachrymæ, & exceptæ paulò post confessiones testabantur. Deplorabant nonnulli, qui ex pagis eò confluxerant, suam infelicitatem, quòd talibus destituerentur Magistris, per quos & peccata agnoscere, & veniam consequi addiscerent. Sanctiori hebdomade Cockemij Sacerdos cum socio Pastori decumbenti, & per eosdem dies è vita decedenti, præsidio fuerunt: ille Ecclesiæ functiones in Ecclesia peragebat, hic domi charitatis officia ægro præstabat. In metu erant nonnulli ne propter confessionem sæpius inculcatam, tamque seuerè, vt putabant, explicatam, plerique Sacerdotem nostrum refugerent: sed documento fuerunt assiduè ab illo exceptæ confessiones, pluris illis esse vulnera diligentis, quàm oscula blandientis.

EXCVRSVM etiam ad duo Monasteria septem hinc milliaribus distantia, cincta vndique hæreticis, vbi religiosi per Nostros in sua vocatione confirmati, confessiones auditæ, habitæ conciones. E Virginum cœnobio (vbi disciplina monastica ob circumfusas hæreses oppressa & sepulta iacebat) consilio Nostrorum virgo vna missa est ad Monasterium, vbi completis probationis annis, de integro Nouitiatum auspicaretur, & haustam inde sacram disciplinam in suas transfunderet, suumque cœnobium cui vehemèter Principes non Catholici inhiant, admissione plurium personarum conseruet. Adductus pagus Nostrorum hortatu, vt præter suam consuetudinem,

Digitized by Google

70. exomologesin, die Assumptæ Virgini festo, instituerint, & sacram adierint Synaxim. Adstricta sanctimonialium, vbi concionis fama ad eas peruasit, maior quàm decebat egrediendi licentia. Pellices tres à nefarijs amoribus abstractæ. Libri hæretici vbi à concionatore eorum cognita pernicies, traditi: quatuordecim numerati, qui ab hæresi ad Catholicam fidem traducti: in his quidam Caluiniani dogmatis adeo erat tenax, vt omnes preces matris nihil pensi haberet: illa demùm extremum de vita periclitans, accersito Patre nostro, rogat, si qua ratione filium ab illa mentis obstinatione dimouere queat, se quidem munitam omnibus sacramentis, nihil porrò esse, quod animum angat, dummodò filium in gremio Ecclesiæ repositum videat, tum facilem sibi iucundumque ex hac vita fore exitum: obtestatur hominem noster, vt moribundæ matri, cui tot nominibus sit obnoxius, hoc det solatij, nec multa: exporrecta fronte & manu se deinceps pollicetur Catholicum fore, inspectante & gestiente præ gaudio matre, viribus paulatim conualescente. Duo grassatores & latrones, quorum alter nunquam de peccatis confessus fuerat, alter etiam in hæresi educatus, expiatis totius vitæ noxis & S. Eucharistia confirmati, comitantibus nostris, mirantibus spectatoribus vltimum supplicium piè & constanter pertulêre. Hoc anno, vt superiore magna fortitudine & charitate externa & spiritualia adiumenta adhibita peste laborantibus. Reuerendissimus noster, vt ipse Nostris confitetur, ita fratre suo hydrope laborante tempestiuè ad nos misit, vt eius confessionem exciperemus, & sacra Eucharistia muniremus, eique essemus solatio in extrema necessitate: quod & factum. Erectus cuiusdam animus ex desperatione, qui violentas manus sibimet inferre moliebatur.

COCKEMIO adductus iuuenis, quem à malo spiritu obsessum esse metuebant parentes. Hunc mater,

Digitized by Google

cum indignatione à se abeuntem, diris deuouerat: quare proficiscenti in mœrore iuueni, dæmon in specie iuuenis apparens, sciscitatur num se sequi velit; facturum se, vt mox optato loco consistat; quod cum ille probaret, data vi magna pecuniæ, quam post triduum in stercus asininum conuersam deprehendit, præhensum sistebat subitò quò iuuenis cogitabat. Hinc illi nulla quies, hirco impositus varios patiebatur raptus, nunc vt vineta omnia cum veneficis, quæ certis locis conueniebant, & quidquid virorem haberet perditum iret: nunc vt laqueo sibimet ipsi mortem cõciscereret suadebat; sed negabat ille semper excelso animo. Interrogatus num in Paschate ré Sacerdoti, explicuisset, voluisse ait, sed retétam semper à spiritu linguã, qui tunc ad cor assedisset. Deniq; præ nimijs diaboli infestationibus vltrò rem omnem aperuit: quare ad nos vnà cum parente missus est. Nos confessione sacramentali piatum, & spiritualibus amuletis contra hostem munitum dimisimus. Quædam fœmina pestilenti curiositate incensa suum sibi riualem repræsentari desiderabat, & ecce è vestigio adest dæmon in illius adolescentis specie, ita tamé vt ex hircinis pedibus agnosceretur: offert ei pecunijs oneratam crumenam, quæ altero die in simum equi num conuersæ fuêre, & magnificis promissis ipsi vt fidem obsequétiamq; addicat, pellicit: sed hebdomadis inducias postulans impetrauit, quibus ferè exactis ob facinus suum perterrita ad nos confugit: & ecce in silua diabolus occurrens exigit promissum, & ni præstet strangulationem minatur: illa prætendit conditum tempus nondum præteriisse, & Deo opitulante præsens euadit periculum. Itaque ad nos veniens monita vt fœderi renunciaret diabolico, & nouum iniret cum Christo, de peccatis omnibus confiteretur, S. Eucharistia se muniret, vitam piam ageret, & scuto fidei ignea impijssimi impostoris tela repelleret: libens promptaque obtemperauit, obsecundantemque

Deus

Digitized by Google

Deus infinita bonitate æternæ salutis discrimini subduxit.

CELLIS decumbente pestilentia parocho,& auersantibus omnibus locum, cum quoscunque Monasterij Sprengerbacensis Abbas, cuius id intererat,in suppetias rogasset,missus est Sacerdos de nostris cum socio.Præter Cellensem Ecclesiam duo alia loca, per quæ eadem lues grassabatur,curanda erant.In aditu difficultates sese offerebant:domum enim Parochi petere,aliquot iam funeribus fœdatam,temerarium:integris verò,incontanimatisque recipi ædibus intutum ciuibus, quamuis toto oppido parum esset reliqui,quò non peruenisset contagio.Accidit tamen Dei ope,qui animas illas deseri noluit, vt ciuis quem metus expulerat,domum suam commodaret, vacuam quidem,at Nostris vsibus accomodatam. Pastorem vita iam functum terræ mandarunt primùm:tum incolis morbidis pariter & sanis allata medela. Nullâ ferè, dies intra tres hebdomadas transibat, quâ non ægroti adirentur: nullus dies sacer quinque septimanarum spatio, quo non pœnitentiæ & Eucharistiæ esset vsus. Irrepserat in illa sacramenta magna ignoratio:in extremam vnctionem multę superstitiones, in mores fœnus,& intolerabilis iniustitia,in cultum diuinum neglectus. Effectum concionibus vt modum ritè confitendi peccata & communicandi addiscerent,& id genus alia:in discessu dolere se significabant, quòd diutiùs nos retinere non liceret, per quos Ecclesiæ suæ breui melius futurum sperarent. Reconciliati, quorum animi grauibus discordijs erant distracti, ciues coniuges,vicini, & duo viri primarij affinitate coniunctissimi, acerbo & capitali odio dissidentes.

Digitized by Google

COLLEGIVM PADERBORNENSE.

NVMERATI sunt Paderbornæ de Nostris, duodecim: Sacerdotes 7. Magister vnus, Adiutores temporales quatuor. Grauiter Vrbem lues peruagata sub autumni initium Sacerdotem afflixit; beneficio tamen diuino saluus euasit: reliqui semper incolumes, nisi quòd tres nonnihil tentati quotidiano malorum vsu malum auerterant. Laboratum in scholis paucis admodum præsentibus, tum ne præteriti temporis fructus omnino interiret, tum ne maleuolos, quorum hic magnus numerus, perperam de nobis loquendi materia præberetur. Cum alij studiosorum perterriti aliò commigrassent, nihilominus in rebus, quæ ad religionem pertinent constanter agere conati sunt. Recepêre se ad Ecclesiam aliquot. Itum etiam ad illos quibus ob ingraueſcentem luem non corporis modò, sed animæ etiam periculum in procliui erat. Reductus aliquis imminente iam morte in viam, à qua multo tempore aberrarat, à duobus hæreticorum ministris praua persuasione inductus, qui in Saxonia animas suas pro eius salute pignori opposuerant. Mirus in eius conuersione fuit filij labor, qui etiam aliquãdo plagis exceptus, quòd feruentior esset in Catholica fide, nihilominus nullas molestias subterfugit, quoad parentem Nostrorum auxilio ad meliora induxisset.

EXCVRSVM ab aliquibus in vicina loca fructu non pœnitendo. Satrapa nobilitatis præcipuæ Sacerdoti nostro charitatis exercendæ materiam, cùm morbo laboraret, non exiguam dedit. Insecuta ipsius mors nemini non videbi

Digitized by Google

videbitur luctuosa, tum publici boni, tum Religionis & Societatis nostræ: sed hoc damnum abundè resarcit alter in eius locum suffectus Satrapa, qui cum Sacerdotis consuetudine & institutione publicè in Ecclesiam, coram tota plebe, execratus errores ad Ecclesiam redijt, factusque ex hoste Societatis benefactor, vtpote cui salutem suam acceptam refert, eamdemque beneficijs prosequi non destitit. Administrata à Sacerdote nostro Parochia oppidi alicuius sat opulenti, ac incolarum multitudine celebris, vbi licet omnes Lutheri venenum, si vnum excipias, imbibissent, frequentes tamen magno concursu ad conciones vsque eò crebras, vt octiduo nonnunquam haberentur sedecim, ventitarunt. Sustinuerat ad tempus prouinciam illam Monachus sui ordinis desertor, homo non tantum indoctus, sed etiam insigniter improbus. A ciuibus cõsilio & studio Sacerdotis nostri effectum est, vt acceptis centum aureis, homo malicioſus intra 24. horarum spatium vrbe exigeretur, cum quo æquè feliciter eodem tempore scholæ moderator, qui iuuentutem hæresi informarat, ritusq; Ecclesiæ penitus subuerterat, exactus est. His igitur submotis, & Parocho catholico in locum substituto: spes fore vt & ipsi incolæ meliora consilia capescentes resipiscant, & vberiores quotidie fructus à iuuentute proueniant. Missæ ex oppido distante iter vnius diei ad Collegium literæ, quibus instabat Doctor Iurisperitus, vt quamprimùm daretur occasio, aliquis profectionem suam ad se dirigeret, à quo peccatorum vinculis exolueretur, illicitum affirmans, cõfiteri ijs, quos excommunicationi putaret ob concubinatum subiectos. Illorum enim alioqui quotidiè facta fuisset copia. Huic desiderio, vt factum est satis, tanto in nos exarsit amore, vt vicinas portæ ædes sibi compararit, quo commodior esset Nostros excipiendi facultas. Alibi diuina à diuersis multo tempore peracta; apertæ è multis peccatorum no-

Digitized by Google

xæ, quas hactenus suppresserant, nonnulli à turpi concubinatu ad sacrum coniugium perducti, atque vt præter morem loci ad sacrum Christi corpus accipiendum non inuiti, sed sponte sua ducerentur, permoti. Effectum literis nostris apud Magistratum, vt duo, quibus vis iniusta inferebatur, in ius bonorum hæreditariorum reponerentur.

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

NVMERATI sunt in hoc Collegio è Nostris septemdecim: Sacerdotes 10. Magistri duo, Coadiutores 5. omnes à contagio grassantis pestilétiæ immunes. Ciues pariter & aduenæ, etiam è locis hæresi infectis magno numero apud nos sacramenta frequentarunt: confirmati vacillantes in fide multi, conuersi ab hæreticis aliquot. Miles atheus antequam pœnam debitam morte lueret, ab errore reuocatus, & Eucharistia munitus decessit. Adiuti qui pestilentia desperatè laborabant. Fœminarum quarundé religioni & pudicitiæ consultum. Fuit qui sponsalia rescinderet, quòd sponsam è religione nostra alienam intellexisset. Alia contracti cum hæretico matrimonij catholico spreto, pœnas dedit, marito à dæmone de lecto pertracto, & paucos post dies mortuo. Reconciliati duo pertinaci odio dissidentes: alij à noxio fœminarum consortio abducti. Clara cum primis & Illustris fuit conuersio clarissimæ Comitissæ Elisabethæ Mansfeldicæ, quæ orta ex natali solo Lutheri, eius perfidiam cum lacte nutricis imbiberat: factum est verò cum in Belgium fortè ad curiam profecta, vt pietatem populi Catholici susperceret primum:

Digitized by Google

mùm; deinde lachrymis precibusque optimæ pedissequæ perculsa quæreret Nostros, quæsiuit, inuenit, audijt, capta est, atque post tridui solitariam deplorationem peccatorum est absoluta, & cuecta denique ad hanc Vrbem, quam aliquot iam annos incolerat Lutherana, in stuporem dedit oppidanos. Adijt nos palam, cum gynicæo, sæpius in publico expiauit animum confessario, & Sanctissimum Sacramentum, Christi & Deiparæ ferijs, in templo nostro religiosè percepit: nunc in curanda & augenda sacra suppellectile tota est. Interdictos ab Ecclesia cibos familiæ suæ proponi nullo modo patitur: & ne quà contagio erroris domi resideret, libros vndique conquisitos, etsi argento ornati, & à charissimis donati essent, plena sporta ad Collegium misit, & filiolos nobis in disciplinam dedit. Profuit in animandis Catholicis mira Dei animaduersio, in sacrilegis hisce locis celebrata sermonibus.

BATAVVS miles expugnatis regijs præsidijs, iram omnem in templa conuerterat, horribilem passim altarium & imaginum stragem ediderat: sed vt agnoscerent violari Deum sacrilegi, duo præcipui luerunt furorem in exemplum multitudinis. Alter cæmentarius oppidi Rhenensis precio accitus in Lingentis territorij pagum, ab imagine corruente obrutus est: Alter nobilis missus cum Iconomachorum manu ad disturbanda altaria, cum in Monasterio iam vastato iconculam D. Virginis reliquam inuenisset in eam calces allisit, addito impio & nefario conuitio, sensit illicò vitulari pedem ea parte, quæ temerarat Deiparæ effigiem; & vt certa sit causa mali, cœpit indidem enasci ex pede in pulpoca verruca specie violatæ imaginis. Adhibiti vulnerarij peritissimi, excita vindex imago, sed frustra: persequebatur hominem impium magna mater, neque intermisit antè poenam, quàm ille superante incendio, vitam. Catholici cuiusdam in exterminandis libris impijs eluxit zelus; conuenit is precio

Digitized by Google

cum bibliopola, vt quisquis quocunque loco reperisset mendaciloquos auctores, eximere sibi liceret, & cùm argentum mutuum posceret, solam hanc piam vsuram addidit. Exculti spiritualibus exercitijs apud nos sex, cùm has sanctas epulas his in locis vix quisquam externorum attigisset. In his Vrbis non ignobilis Senator, qui & ordinibus sacris initiari voluit, vt in patria Caluiniano iugo oppressa, reliquias veræ pietatis fouere posset. Religiosis duobus transfugium meditantibus opportunè subuentum. Reuocati incolæ cuiusdam loci ab importuna vtriusque speciei in venerabili Sacramento flagitatione. Cohibita zelo Sodalium & Ecclesiastici cuiusdam, procax quorundam impietas, tectis capitibus in sacro loco versantium. Vindicatæ ab iniuria Diuorum reliquiæ, & bona pars è manibus AEdituí Lutherani, atque è situ ad nos translata.

SEQVITVR gymnasium: habuit illud auditores discipulos circiter mille, pluresque multo habuisset, si omnibus aditus patuisset. Multi discipulorum ad Ecclesiam reducti, à qua magis parentum quàm suo vitio aberrauerant. Iuuentutis ardor in literis, vel cum pestilentia hinc inde serpente, constans perstitit, vel sum eleganti dramate ex Actis S. Luciani de duobus Nicomediensibus dato, frequentissima se ad studiorum renouationem fecit. Postularunt à scholis nostris Iuuentutis suæ Doctores oppida multa, & impetrarunt aliqua. Pueri in secunda Grammatices schola, vndecim pauperes honesto vultu ab se ornatos, confirmandos addunere ad Praepositum. In annua supplicatione tantum valuit exemplum discipulorum nostrorum, religiosè sanctissimam Eucharistiam prosequentium, vt se certatim alij, nouo his locis more in coenum ac lutum proiecerint venenabundi. Plures cum parentibus & amicis hæreticis egregie certarunt. Duo à parente ad vetitos cibos inuitati, ita restitere, vt ipse remittens

mittens filios ad nos gratias egerit, pro tam fideli, piaque institutione. Alteri cùm per vim ingererentur cibi vetiti in os, expuit in faciem ingerentium hæreticorum. Fuit qui parentem morti propinquum ad salutarem pœnitentiam adduxit. Alij qui in medio nationis prauæ, constantissimè in auita religione, quam hic hauserant, decessere, etsi quidam ex ijs nobilis iuuenis, à tribus Satanæ Ministris oppugnaretur.

SODALIVM vt aliàs, ita hoc anno illustris pietas fuit. Adscripti in Sodalitatem plures viri primarij, quorum vnus discedens testimonium petijt inferendum testamento, vt haberent posteri suæ in B. Virginem obseruantiæ certissima vestigia. Irrisiones ob religionem constanti animo pertulêre quidam. Vnus 40. taleros sibi coram socio à parente iniectos in manum & amplas promissiones, si à scholis nostris ad Caluinianas transiret, generosè contempsit. Extulêre Sodales, vt noua, ita iucundissima pompa adolescentem filium ciuis Monasterienſis: conficiebatur tabe iuuenis, nec quidquam adeo angebat, quàm non adscriptum esse in numerum Sodalium, id vbi infimis precibus extorsit, lætus discessit; subibant feretro nobiles adolescentes, subsequebatur ordo Sodalium, effusis ad spectaculum plurimis, ita placuêre exequiæ, vt optabilem dicerent huiusce modi mortem, nec vnquam Consuli tam honorificè parentatum. Duæ certè Virgines nobiles argenteis donarijs & veste holoserica Sodalitati donata, animum suum, & piam, quam è funebri pompa hauserant voluptatem, testatæ sunt.

ABSOLVTVM hoc anno templum est, amplum, elegans, & nostris vsibus peraccomodum è collectis piorum 4090. extrui cœptum: In quo nescias an Dei optimi Max. benignitatem, & prouidentiam in nos singularem, an piorum liberalitatem magis admireris: illa in medijs periculis, grassantibus vndique prædonibus, nostros plaustrarios

Digitized by Google

strarios materiam conuehentes ferè tutata est: hanc largæ eleemosinæ, & sumptus ad tantum opus necessarij liberalissimè submiuistrati declararunt. Benefactorum è vulgo non est numerus: Eximij fuêre Serenissimus Elector Ernestus, cum Reuerendo & nobili Collegio Ecclesiæ Cathedralis: quin imo & auersi à Catholicis Principes Brunsuicensis, & Luneburgensis, ducentos ille, hic centum taleros in structuram templi contulerunt. Aram maiorem Serenissimus Elector Coloniensis ex marmore & alabastro, vel vsque è Lotharingia huc aduecto, eleganti opere faciendam curauit. Scholarum nobilitas frequens & lecta sane celebri pompa fundamenta iecit: E binis reliquis alterius Sodales Parthenij maiores, alterius minores cum festo carminum & orationum apparatu Encoenia celebrata ad VIII. Idus Septembris, non minori liberalitate, quàm frequentia amicorum. Legatus Reuerendissimi Ernesti centum taleros obtulit; nobilis Collegij Secretarius duplum. Sequuti hos è clero multi Gubernatores Prouinciæ, Consules duo, alij magno numero: Atque ex hoc tempore ferè suppellex varia, aurea argenteaque in templum nouum collata: cui honorem singularem conciliauit corpus Haduuigis Polonorum Ducissæ, quæ matertera S. Elisabethæ fuit, factis admirandis per omnem Sarmatiam clarissima, à Clemente IIII. anno 1267. inter diuas recensita. Hoc corpus habuêre olim magno in precio nobiles VVestphaliæ virgines prædiuites, coenobij à filio Ducis VVedekindi exstructi: post collapsa disciplina infectæ veneno hæreseos facilè passæ erant dissipari: sed cum virgo nobilis Margareta à Mandesso illa sacrilegia detestaretur, proiecta temerè S. Haduuigis ossa collegit, obsignataque fideli chirographo sepossuit. Inde venerunt in potestatem viri nobilis catholici, ab eo denique in ius nostrum. Accepit ad has diuitias os magnum Sancti Bartholomei Apostoli, aliarumque reliquiarum

liquiarum non exigua copia, cum ab alijs amicis, tum ab Antistite quondam Grouingensis Monasterij in Vrbe hæretica latitante ad nos transmissa. Excursum etiam hoc anno in vicinos Osnaburgensem & Mindensem Episcopatus, nec sine fructu. Præpositi Osnaburgensis, qui nos in hanc messem euocarat, tanta in nos beneuolentia, vt ab hæreticis Iesuitarum Patriarcha vocetur, & graue sibi Nostri causa ipsorum in se odium concitauit, & ea potissimum de causa à Batauo milite per summam iniuriam in carcere aliquamdiu detentus fuerit.

COLLEGIVM HILDESHEMIANVM.

SOCIETATIS nostræ familia in Collegio Hildeshemiano vnà cum missione Hamburgensi, censetur capitibus duodecim, Sacerdotibus sex, duobus Grammaticæ præceptoribus, ac quatuor rei familiaris administris. Cum tetra pestilentiæ & dissenteriæ lues toto hoc oppido latè desæuiret, & Catholicis laborantibus operam Nostri non infrequentem darent, illustre illud in nos diuinæ clementiæ argumentum extitit, quòd Angelus percutiens ædes nostras præterierit; & quòd duo, quos malum hoc afflarat, vnius pharmaci hausta intra horæ spacium sanitatem receperunt; quòd tertius æstum febremque qua iactabatur sacro S. Godefridi scipho (ex quo religiosa animi intentione bibebat) plenè restinxerit. Præter consuetas summi templi conciones, in suburbanum oppidum introductus est catechismus, magno pietatis fructu, auditæque ibidem confessiones, & habitæ conciones. Vndeuiginti a Lutheri

Lutheri fæcibus ad Ecclesiam sunt translati. Adolescens vnus monasticen est amplexus: Virgines tres in Religione Christi nupserunt. Agebatur quidam diuturno desperationis spiritu, sed per visum Diuina vox eum ad pristinum Confessarium, Sacerdotem nostrum, postliminio redire iubebat, à quo certam sibi salutis viam cernebat demonstrari: paret ille & expiatis ad Confessarij pedes animi sordibus, etiamnum tranquilla mente in diuino seruitio perseuerat. Adolescens à Nostris alibi ad fidem conuersus in patria hæretica peste corripiebatur, vnde æger octo millibus passuum & amplius ad nos contendit, vt saltem inter Catholicos sacramentorum præsidio tutior ex hac vita migraret: facta igitur exomologesi, cum sacro etiam Christi corporis viatico instructus esset, animam Deo piè inter orationes reddidit, eiusque à Nostris funus curatum fuit. Quamuis duabus classibus exiguum studiosorum numerum ineamus, si reliqua Collegia respicias; florent tamen scholæ tum iuuenum nobilium frequentia (qua aduersarios superamus) tum eruditione & diligentia, tum veræ fidei ardore & constantiæ quàm maximo. Crebrę ipsis cum Lutheranorum discipulis de studijs concertationes. Tres diuersi adolescentes ex Lutheranis facti Catholici, cum in patriam suam quisque rediret, & stipendia illis, tum à consanguineis, tum à senatu, & alijs hac conditione offerrentur, vt scholis auitæque fidei nuncium remitterent, forti ea animo reiecerunt, eligentes potius abiecti esse in Domo Dei, & apud Catholicos victum ostiatim quærere, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Alius necdum se Ecclesiæ adiunxerat quidem, sed tantum sub disciplina nostra profecerat, vt in patriam hæreticam reuersus non solùm pro Catholico se gesserit, & acerrimè cum hæreticis etiam pro veritate Catholica dimicaret. Corripiebatur alius morbo periculoso apud parentes hæreticos, qui neque

vi, neque

Digitized by Google

vi, neque minis efficere poterant, vt Prædicantem cum cœna sua admitteret, cumque præter spem sanitatem recuperasset, & hæreditate se à parentibus priuandum intelligeret, in postliminio ad Lutherum rediret, spreta domo paterna ad nostras scholas magna alacritate recurrit. Alius autem Lutheri consanguineus à nostris anno superiori Ecclesiæ adscitus in patria itidem hæretica extremum diem clausit. Duo adolescentes cum febribus diuturnis laborarent, ex scypho S. Godehardi sanitatem hauserunt. Nouem ex aduersariorum lue, in nostram se disciplinam tradidêre, ob quod plerique hospitijs exclusi, ac per lictores eiecti in duro pauimento & asseribus, magno patientiæ argumento aliquot hebdomadibus cubarunt, & etiamnum constantes in disciplina nostra perseuerant: vrit autem hæreticos tam fœlix nostrarum scholarum progressus, ideoque tum in Nostros, tum in discipulos non solum contumelias iacere, sed lapides ac tela variasque quisquilias interdum. Dira quoque, cædes, eiectiones nobis intétare: quòd si verò per vim quosdam à senatu conuocari, & oppidi portas de die claudi contingat (quod aliquoties hoc anno factum) clamor est vulgi Iesuitas capiendos, trucidandos, aut Vrbe pellendos. Acuunt populi furorem Prædicantes, quorum vnus pro concione, non sagas solum, sed etiam ipsum Satanam in dementandis iuuenibus inferiorem esse docebat: alius tamen ex ipsis didascalus ingenuè fassus est, ad eum eruditionis gradum, quo patres suos perducerent, se cum suis discipulis pertingere non posse. Ex piorum donatione non solum bibliotheca creuit, sed etiam res 300. aureis aucta est. Vicina etiam domus, vsibus nostris opportuna ac necessaria, permutatione quadam Societati nostræ cessit. Sacra quoque suppellex varijs tam aureis, quàm argéteis monilibus: præcipuè verò S. Anscharij primi Hamburgensium Apostoli & Episcopi reliquijs præstantibus

aucta

Digitized by Google

aucta est: Hæ enim cum in Monasterio Ranisola (quod ipsemet olim S. Anscharius exstruxerat) neglectæ & pulueribus obsitæ delitescerent, quidam summæ ædis apud nos Canonicus, Collegij nostri præcipuus patronus studio quæsitas reperit, repertas precio ab hæreticis comparauit, comparatas Collegio nostro obtulit: quibus sacris pignoribus non solùm ab incursantium hæreticorum furore tutiores nos fore confidimus: sed tanta etiam maiora incrementa Hamburgensis missionis speramus, quæ ex hoc Collegio initium sumens hoc anno instituta est. De qua nunc dicendum.

MISSIO HAMBVRGENSIS.

HAMBVRGVM nobilis est inferioris Saxoniæ Ciuitas, celebris Elistri & Albis coitione, portuque insigni, qua se Albis in Oceanum Germanicum effundit. Eam anno 1532. ita Lutheranismus occupauit, vt licet subinde incolarum aliqui disparem religionem & peregrinos ritus pertæsi ad ortodoxos respicerent, & legitimam sacramentorum administrationem frequentiùs exoptarent, nunquam tamen eò vsque progredi fuêre ausi, vt reiecta Ministrorum, operam Catholicorum sacerdotum implorarint. Altena verò proximus est Ciuitati locus, separatus ab ea semihoræ itinere, extra ius & Imperium Hamburgensium, quem sua potestate & ditione tenet Illustris Comes Schaumburgensis. Immanet hic Albi, vbi ille profundior stationem præbet grandioribus nauibus, quæ ibi grauiore onere leuantur, priusquàm portum subeant. Hunc Catholici sibi deligunt, & prohibito in Vrbe Catholicæ religionis suæ exercitio

exercitio destinant, obtentaque ad id ab Illustri Comite, alioqui Lutherano, potestate, proprioque chirographo, conducunt exiguam domum, quam pro ratione angustiarum adaptant diuinis mysterijs tractandis, atque in eam transportant Sacerdotem D. Michaelem ab Isselt, qui totum quinquennium in ea posuit, vacans Catholicorum vtilitati & historijs contexendis. Interea contingit, Deo sic disponente, vt Sacerdos è Societate nostra (P. Iacobus Gordonus) ex Scotia huc appelleret, qui cum hîc aliquamdiu substitisset, seque in mercatorum familiaritatem dedisset, tandem parat reditum in Scotiam: operiens itaque commodam nauigandi occasionem, quam neque hic, neque Rostochij, quò eam exploraturus se contulerat, adipisci potuit, repetit Hamburgum, quò dum peruenit, discit, Sacerdotem D. Michaelem lecto affixum lethali cum morbo conflictari, quem ab omni spiritalium armorum instructum genere ad feliciorem vitam (vt piè credendum est) transmisit. Iam orbæ oues pastore, in quo post Deum spes suas defixerant, vnanimi consensu nostrum Sacerdotem in locum defuncti sibi deposcunt, tantum valuerat integritas conuersationis illius, qua sibi ad vnum omnes deuinxerat, vt beatos se fore sperarent, si Societatis nostræ ductum sibi sequi liceret. Quid faceret Pater? ad tempus operam suam promittit, sollicitus interim, qua ratione Societati ostium in inculta hæc loca faceret. Petit itaque vndequaque auxiliares copias, quas ægrè admodum obtinet. Primas submministrat Collegium Hildesianum, vtpote vicinius & à quo hæc missio dependet, curatorem rei domesticæ; secundas & tertias, binos scilicet sacerdotes Heiligenstadianum. Atque his principijs Missio Hamburgensis exorta; quam mercatorum liberalitas sustentat, ducentis in singulos annos collatis taleris. Subolfecit repente Sathanas, hinc sibi exitium parari, atque hæreseos iugulum, aliquando inde in Septentrio-

Digitized by Google

ne petendum, si tenuia hæc principia intacta relinquerent; quare omnibus admotis machinis nascentia opprimere nititur. Cum defuncto sacerdote priore simul expirarat religionis exercendæ ab Illustri Comite libertas: noua ergo procuranda fuit, qua vix tandem ad triennium impetrata Nostri se ad consueta Societatis munia applicarunt.

IAMDIV intermissæ conciones Germanico idiomate restitutæ, tanto cum applausu auditorum, vt tunc primum sanam doctrinam postliminio sibi redditam dictitarent: Tanto numero ad audienda tremenda mysteria sese effuderunt, vt & excluderentur angustijs sacrarij, nec duo sacerdotes eorum pietati possent satisfacere. Confluxit aliquando solemni Pentecostes festo, tanta nationum & gentium in illud varietas, vt primordia Ecclesiæ Hierosolimitanæ exprimere videretur. Cernere erat Italos, Hispanos, Lusitanos, Germanos, Anglos, Scotos, Francos, Belgas, Græcos, Cretas, AEthiopes, atque ex Anthropophaga quondam Brasilia viros religiosos Brasilienses. Stabant hi arrectis auribus, Petrum aliquem omnibus linguis loquentem audire cupientes, quo quidem caruêre; audiuerunt tamen alios vario etiam linguarum dono præditos, vt gaudio repleti abierint. Neque hic stetit auditorum pietas: promouerunt illam, ab eo tempore, quo ipsis innotuimus, octoginta & vnus Eucharistiæ participatione & sacramentali confessione. Enituit verò præ cæteris virgo pestifera lue infecta, quæ patrem hæreticum adeo precibus flexit, vt accersito sacerdote nostro, sacræ synaxis particeps facta fuerit, & salutifero oleo tincta, omne mortis periculum non sine euidenti miraculi suspicione euaserit, licet Pater ad id se à filia ægrius exoratum nostro fateretur Sacerdoti, quàm si caput carnifici præcidendum porrigere debuisset. Similis eluxit constantia vnius, quem Dominus prauis de religione opinionibus imbutus,

Digitized by Google

imbutus, nunc ad esum carnium contra Ecclesiæ decreta pellicere studebat, nunc ad conciones hæreticas pro imperio pertrahere, quas ille cum declinare nequibat, obstructis auribus percipiebat: quotiescunque iniquum Domini imperium eludere poterat, ad nostrum sacrarium diuertebat, peccatorum exomologesi & prophylactico dominici corporis, aduersus acriores insultus mentem roborans, quoad tandem Dominum hæreticum cum Catholico commutauit. Tres adiuti qui ab Ecclesia diu dissociati errorem abiecerunt, & in veritatem Catholicorum amorem transfuderunt. Inter hos fœmina vna, maluit diu ab amicis exagitata hæreditate paterna exui, quàm fidem semel agnitam leuiter eiurare. Fuit & altera, quæ antequam sponso Catholico insolubilibus matrimonij legibus iungeretur, iuncta est eidem prius fidei societate, publicaque hæreseos detestatione, quo nomine magis exultabat is, quam quòd eam sibi associasset. Laboratum etiam cum matre eius, quam adeo brutefecerant dogmata impia, vt tota Epicurea existimaret animam simul cum corpore sopiri: discussus hic aliquantulum veternus illi, licet non penitus sopitus. Languentibus animis medicina quoque corporea, peste laborantibus adhibita profuit, & propensa populi in nos voluntas conciliata. Hinc & inopia nostra quorundam liberalitate subleuata, & sacrum instrumentum auctum. Discedentem hinc Superiorem in Scotiam instruxit eleemosyna 100. talerorum nobilis mercator Florentinus, cum nauim eius, qua centum propè aureorum millium merces in Italiam vehendæ essent, prius sacris precibus expiasset.

MANARVNT longè lateque hæc studia Nostrorum, penetrarunt aulas Principum, peruagata sunt ad iacentes ciuitates, Lubecam, Limeburgum, Brunsuicum. Attraxerunt ad se binos, alterum ex aula Ducis Saxoniæ, qui ab hinc annis aliquot Nostrorum auxilio cum Ecclesia in

Digitized by Google

gratiam redierat, & contubernio Parthenio adscriptus fuerat. Transmittebat is sexagenarius licet Quadragesimale tempus ieiunij in pane & aqua. Asserebat idem se iam reuera comperisse, quantum momenti habeant verba illa orationis Parthenicæ, quibus ingressuri Sodalitatem promittunt, se non permissuros vt quidquam contra honorem B. Virginis agatur, dicatúrve; fieri enim non posse, vt studiosus honoris eius naufragium fidei faciat. Alterum ex aula Ducis Holsatiæ, nobilem genere, & libro de cõtrouersijs fidei in lucem emisso, qui inter aulicas delitias longa cum animæ fame luctabatur, qua apud nos illibata hostia expleta vegetior lætiorque suis restitutus est. Non eodem affecit modo hæc fama occupationum nostrarum ministros boreales. Açuunt proinde linguas & calamum in nos, licet vulgari Ecclesiasticorum habitu tectos: clamãt Hamburgi, Lubecę, Luneburgi, Iesuitas habitum mentitos Altenæ delitescere, emissarios esse Papæ Romani, in eum finem ablegatos, vt collapsam eius in Septentrione tyrannidem reparent, esse pestilentissimam sectam, toto cœlo à Catholicis dissidentem. Hortantur pro concione auditores, colloquio Iesuitarum abstineant: dum ita contra nos stomachantur, prudentioribus ansam præbent inquirendi in mores & doctrinam nostram; quod dum faciunt, comperta innocentia nostra & maledicentia illorum, de deferendis Lutheranorum castris nonnulli cogitant. Idem Sacerdos Lubecæ latentes Catholicorum reliquias visitans, confessione expians, & communione refocillans, incidit in summæ ædis Vicarium, Sacerdotem Catholicum centenario maiorem, qui Luthero quondam familiariter vsus fuerat: cui, cum de Prædicantium rabie quereretur, respondit ille, se eam non mirari, vtpote qui eundem cum Luthero spiritum imbiberint: detestatum se sæpius illam in homine, cum secum mensæ accumbens varios sermones miscuisset, quos spurcitijs & maledicentia con

Digitized by Google

tia condire consuesset. Aiebat idem, se à famulo Lutheri aliquoties inaudisse; sepiusculè illum conspexisse dæmonem tetra velatum larua, cum eo colloquentem.

RESIDENTIA EMBRICENSIS.

EXCOLVERVNT huius Residentiæ vineam Socij decem, quibus exeunte anno vndecimus accessit, sic vt septem habeat Sacerdotes, duos magistros, totidemque rei familiaris adiutores. Cum pestis, lethiferaque febris in Vrbe serpens multos tolleret, omnes tamen seruati Dei beneficio sumus, nisi quod cum febri duo aliquamdiu conflictati sunt. Ex quo autem bellum in has oras transferri cepit, ad rem Catholicam tuendam Nostri preces & verberationes quoque adhibuerunt crebriores. Res domestica in ijs rerum temporumque difficultatibus amicorum benignitate benè stetit: Nam præter cæteras minores eleemosynas, nec infrequentes, vidua quædam nobis mille sexcentos florenos in præsenti pecunia donauit. Confessionis & Communionis vsus longè magis in sacello nostro increbuit, festis maioribus centum, ducentis, trecentis sacræ mensæ accumbentibus, compluribus adhuc propter loci angustias exclusis: summa eorum, qui sacram Eucharistiam acceperunt superat quatuor millia ducentos. Consilij auxilijque causa plurimi ad nos, tum è Ciuitate, tum alijs locis ventitarunt, maximèque qui ab inimico humani generis se appeti quererentur, quorum magna fuit hoc anno copia, quos S. Agni effigie, aqua lustrali, & in primis Confessionis & Eucharistiæ sacramentis, non sine certo sæpe auxilio recreauimus. AEgroti frequenter aditi.

Digitized by Google

SACRA suppellex multum aucta, cum magni pretij mappis aliquo præclaro artificio vel textis, vel elaboratis, tum in primis argenteo inaurato ciborio S. Eucharistiæ conseruandæ. Tabernaculum item visendo opere & auctius & magnificentius factum, vt pixidis dignitati responderet. In iis qui nostro sacello dant operam, studia pietatis mirabiliter inflammata, sic vt non consuescant solùm preces & misteria frequentare, sed etiam alacriter tum in edomandis cupiditatibus, tum in subleuandis pauperum & miserorum incommodis se exercere, cum vel ipsi eorum tuguriola inuisunt, vel ex familia, qui fomenta illis ferant, emittant. Amicorum officia adhuc in nos constant, & bonam primorum Ciuitatis gratiam retinemus. Illustrissimus quoque Cliuiæ Dux, & eius soror Sybilla, suam erga nos benevolentiam multis argumentis declararunt: Cum enim Princeps inauguraretur, & in eius gratiam iuuentus nostro apparatu magnifico drama de S. Martino Vrbis patrono, publico in foro, in corona multorum millium exhiberet, attentissimè ab initio ad finem vsque spectarunt: in discessu autem postridie liberalem nobis eleemosynam cum summi amoris testificatione submiserunt: post verò aliquanto dato diplomate, annuum nobis vectigal frumenti ex aula assignarunt.

SVB exitum Octobris periculum adiimus omnium prope quæ meminimus maximum. Cum à Rheno naues Hollandorum bellicæ in anchoris starent, & terrestri parte copiæ expeditæ consisterent, Vrbem expugnaturæ, Nos in hac trepidatione omnium, ad preces conuersi, diuinam opem implorabamus, & simul omnes Sanctos, quorum tum solemne erat, deprecatores adhibebamus; quod simul nobiscum piorum corona sacello nostro summo manè diffusa, cum multo gemitu & lachrymis factitauit, eò impensius, quòd timebant, ne ille dies vltimus Catholicæ Religioni Embricæ foret: Et visus Deus benignis

Digitized by Google

gnis auribus suorum preces accepisse; nam cum silentio noctis scaphis ad superiorem Vrbis partem circumuecti essent, & extemplò inter interruptum aggerem & moenia munitionem excitare aggressi essent, ecce tibi, vix luce exorta, Regiorum signa apparuere, eosque cum suis nauibus infra Vrbem propulerunt: Ita illo discrimine erepti, Catholicam fidem retinemus, licet ex altera parte noua mox calamitate afflictari coeperimus; præsidio intra Vrbem accepto, & hæreticis ad nos acriùs & liberiùs vexandos deinceps irritatis: quibus rerum perturbationibus schola modo floreas ad magnam paucitatem redacta est, plus dimidia auditorum parte dilapsa; nec facile hoc statu temporum redicura. Iam verò exercitus propinquitas vberem nobis & ciuibus charitatis materiam præbuit. Inde enim multi partim ægri, partim saucij in Hospitalem domum delati sunt, qui primum non admodum curabantur, sed vbi Nostri miseros illos inuisere, confessione expiare, sermonibus solari instituerunt, eorum exemplo, & monitis permoti ciues frequentes afflictis succurrere, & eos cibo, potu, medicamentis, tegumentis, pecunia copiosè subleuarunt. Vir cum vxore in gratiam redijt, ob dissidium ferè in desperationem lapsus. Retracti aliquot qui ob valetudinem leuandam veneficum consultum ibant & factis antidotis adiuti. Multi in pœnitentiæ sacramento ritè obeundo instituti: Restitutio Nostrorum suasu rei alienę facta, & vnius, qui 300. taleros malè peperarat. Multæ confessiones auditæ omnium quæ in vita peccauerant, multæ item multorum annorum, & in his duarum, quæ hæresim vnà cum peccatis euomuerunt, licet eam antea pertinaciter defendissent. Vnius vita Nostri interuentu seruata, qui peregrè rediens, prædones inuenit rustico cuidam ante pectus gladium apponentes, ni extemplò argentum quod poscerent numeraret: de suo enim pecunio aliquid promens, miserum illum

Digitized by Google

è manibus latronum eripuit, secumque in Vrbem adduxit. Festa Natalitia & Resurrectionis ingenti Pœnitentium concursu celebrauimus, Confessarijs in multam vsque noctem salutari opere detentis.

SED ad Gymnasium veniamus, quod ad autumnum vsque trecentis & quadraginta auditoribus est frequentatum, in quibus conseruandis singularis Dei prouidentia non minus quàm in Nostris apparuit. Cum enim, vt suprà dictum est, passim pestis grassaretur, nemo tamen discipulorum interijt. Fuit hoc eorum pietatis meritum; qui magistrorum monitu, diligenter Deum, vt à Gymnasio periculum auerteret, obsecrarunt. Multi ex auditoribus suos ad confessionem adduxerunt: quidam sanè quatuor, qui ad hospitium ipsius diuerterant persuasit, vt antequam domum repeterét, crimina confessione eluerent. A choreis, iuramentis, & id genus peccatis alios deterruêre. Duo ex discipulis genere nobiles, dum litteris imbuuntur, hæresim dedocti sunt, eorumque alter ita in pietate prouectus est, vt in Sodalitatem reciperetur. Sodalitas autem proximo anno instituta, hoc anno euasit ornatior, quo cum Romana se coniunxit, cuius diplomata, cum ex Vrbe Rheno deueherentur, & in hæreticorum manus veniissent, fecit B. Virgo ne inuolucrum retegerent. Specimen virtutis Sodales non semel dedêre, sacramentis frequenter atque octauo quoque die obeundis. Quadragesimæ tempore, præter quotidianam Dominicæ passionis meditationem, etiam singulis hebdomadis sese aliquot flagris ceciderunt; sed hoc ipsum Paraseues die sacro à longè pluribus factum est alijs submissionis & pœnitentiæ exercitationibus adiunctis. Templa Vrbis ab eisdem eodem tempore religiosè obita, tam bono exemplo, vt ciues à Parocho ad id ipsum inusitata frequentia illos imitati sint.

QVAM verò grata adolescentum pietas Deo sit, duo,

Digitized by Google

duo,quæ commemorabo exempla,iudicium fecerint:fuit mulier à territorio Gruennigensi Idæ nomine, quæ annis ante decem dum famulatur, nescio quò sub vesperã prodiens, insolito terrore prostrata & à dæmone occupata est,adducta deinde Gruẽningam à Sacerdotibus lustrata, aliquam leuationem mali obtinuit:postea hæretico militi nubit,& Nouiomagum Geldrię oppidum,tribus hinc passuum millibus illum persequitur,vbi de integro miserandum in modum rursus agitari,nisi cum vtero prolem ferret.Ministri Caluiniani ad ferendam mulieri opem appellati,tantam in se fidem esse negarunt,vt dęmonem ex humanis corporibus eiicere possent. Tandem certior factus maritus eius nuper à Nostris energumenam liberatam, reluctante acriter dæmone & ministris,coniugem huc aduexit;vbi satis signi fuit eam obsideri,in sacello nostro,dilutis primum confessione peccatis exorcizata est. Interea vir Ecclesiæ reconciliatus,& è Sacerdote nostro criminibus absolutus,binos liberos baptismatis fonte initiandos curauit.Tertio die coram maxima hæreticorũ & Catholicorum multitudine, repetitis iterum iterumq; exorcismis, horrendis eiulatibus diabolus templum compleuit, & iam iamq; excessurus videbatur: sed Matri hoc beneficium Deus reseruauerat:Nam sacellum in finibus vrbis erat insigne miraculo repertæ ibi Deiparæ Virginis imaginis, nec alio se loco poni passæ: huc mitti energumenam Sodalibus placuit,& rursum nouis exorcismis lustrari.Facto sacro,Sodalibus omnibus Christi corpore refectis,ad horas fermè duas frustra laboratum est, cum venit in mẽtem,ipsam D. Virginis statuam ex ara proferre, cuius aspectu,cum nihil se ante commouisset,mulier statim eiulare,mox ingenti hiatu os diducere, tum linguam fœdissimè promittere.Vbi præsens B.Matris numen apparuit,Sodales ad eam ardentius inuocandam, Sacerdos noster ad hostem acriùs persequendum, sunt cõuersi.Ergo miser se

Digitized by Google

in omnem partem vertere, manibus pedibusq; se velle à complexu tenentium eripere: clamore ingenti lædi mulierem simulare: sed cum finem non faceret, Noster, pueriq; illum ingenti ardore inuaderent, victus tot insultibus cessit, redditaq; sibi mulier Deo, Beatæq; Virgini gratias egit: iamq; missa militia cum marito labore manuum victum hic sibi quærunt. Kalendis Martij gesta res est. Postea Iunio mense alia mulier è Ducatu Iuliacensi ad nos missa. Sesquidies in opere sine effectu consumptus, nisi quod clarissimè cerneretur quantum diabolus recitatione rosarij & sacrorum hymnorum tormenti sustineret. Itum denuò à Sodalibus ad sacellum, ægrè muliere ob hesternam vexationem eò perrepère, statimq; in ingressu sacelli faciantur illi oculi, ne posset B. Virginis statuam, & alteram B. Annæ discernere: vbi cœpta de Domina recitari litaniæ, cum illo die quieuisset, iam se rursum versipellis egregiè prodere. Peracto sacro quo se corpore Christi energumena communiit, dum Sacerdos scabellum adferri iubet, vt ex altari imaginem promat, ille iam sibi hospitiū relinquendum vociferari, quo miraculo omnes in ipsam magnā erecti, hymnum Aue maris stella, & alios id genus deuotè accinebant, quibus ita cruciabatur, vt primum se veneficijs diceret prohiberi, nec nisi extincta fœmina recessurum. Paulò post rogare quem in locum abire oporteret, datoq; responso in solitudinem: iterum quærere, quæ porrò solitudo sibi petenda esset, postquam in eam relegatus est vbi nulli damnum adferret, erupit, dato, vt videbatur, signo, quod fenestra, quæ vna patebat in sacello, vento è contraria parte spirante maxima vi subitò concussa est. Interrogata deinde mulier, vt haberet, Bene inquit, & se iam videre imagines mirabunda retulit, quas dignoscere prius non poterat. Sic illa quoque læta & gratulans, postquam ex debilitate corpus conualuit, domum reuertit.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA POLONIAE.

SEDECIM erant domicilia huius Prouinciæ, præter missionem aulicam Sereniſſimo Regi conceſſam. Anno verò hoc poſtremo acceſſit decimum ſeptimum VVarſauiæ; Ciuitas ea eſt frequens ſatis,& conuentibus Regni publicis opportuna ac percelebris; quæ quod iam pridem optabat, vt Societate potiretur, hoc demum anno obtinuit. Inuenti ſunt in vniuerſa Prouincia hoc anno, octo ſupra quadringentos.

IN Collegio Vilnenſi 57. in Brunsbergenſi 32. viginti ſex in Pultouienſi. In Polocenſi 16. Totidem in Hieſuſienſi. In Derpatenſi 23. In Rigenſi cui domus etiam probationis annexa eſt, 29. In reſidentia Gedanenſi 4. In domo profeſſa Cracouienſi ad S. Barbaram 20. In Collegio Poſnanienſi 42. in Caliſſienſi 32. Viginti ſeptem in Iaroſlauienſi. In Lublinenſi 21. In domo Probationis Cracouiæ, ad S. Stephanum 40. In reſidentia Leopolienſi 8. Torunenſi 4. totidem in VVeſauienſi. In miſſione aulica quinque. Acceſſerunt 32. Deceſſerunt vt coniunctè ponantur 22.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM VILNENSE.

INTER eos, quos hoc anno aluit Collegium erant Sacerdotes 11. Magistri 11. quorum duo Theologiam scholasticã, vnus casus conscientiæ, vnus controuersias, & scripturam sacram, Philosophiam vnus, Rhetoricam vnus, Poesim vnus, Grammaticam quatuor in totidem classibus profitentur. Studiosi Theologiæ fuerunt 12. Philosophiæ totidem: Coadiutores temporales 13. Mortui sunt Sacerdotes duo P. Iacobus Lauinski, & P. Petrus Pludecius. Ille 25. annis: hic ferè 20. in Societate vixit. Vterque Lithuanus, vterque zelo insigni præditus, & in aggregandis ex hæresi & schismate ad Christi ouile animabus felix, laboris patientissimus. Prior etiam in Lithuanico idiomate raræ facundiæ, & non minus gratæ quàm fructuosæ omnibus extitit, tota Ciuitate attestante, cùm & obitum eius magna significatione doloris & funus prosequeretur frequentia tanta, quanta nullius antea. Nostrorum feruor cum in alijs multis religiosis virtutibus, tum verò in subeundis pœnitentijs spontaneis & orationibus pro felici successu expeditionis Serenissimi Regis in Sueciam præcipuus quidam eluxit.

HAERETICI ad fidem Catholicam conuersi 27. A schismate absoluti 4. confessiones generales de totius vitæ noxis exceptę 25. Baptizata virgo vna Iudęis parentibus nata. Eodem sacramento initiati duo Tartari pueri & longè plures ætatis maturioris.

PAVPERIBVS bis hoc anno in hospitali S. Stephani prandium est datum, & prima quidem vice numerati sunt 1800. altera 600. Atque hæc prandia opera vnius

Digitized by Google

nius è Noſtris ex eleemoſinis piorum hominum comparata fuerunt: cibos verò pararunt honeſtiſſimæ matronæ: Diſtribuerunt partim noſtri Patres, partim externi nobiles & ciues magna ædificatione totius Ciuitatis.

IVXTA hoc idem hoſpitale quidam ex noſtris corrogata eleemoſyna præter domum ligneam pro ſacerdote, erexit iam maiori ex parte templum S. Stephano dicandum, cuius in fundamentis iecit primum lapidem Samogitiæ Epiſcopus, ſolenni Eccleſiæ ritu & magno cõcurſu cleri & populi. Dicivix poteſt quãtus ardor vtriuſq; ordinis in ſumptuum ac operarum ſubſidijs ſuppeditandis vius fuerit. In carceribus vincti inducti ad confeſſionem: vltimo ſupplicio afficiendi præparati ad mortem, ijdemq; multoties cibo refecti, & alijs rebus neceſſarijs adiuti. Effectum per Noſtros vt ciuem quẽdam honeſtiſſimum ære alieno prægrauatum, & ob id à creditore in vincula coniectum, ciues alij collato ſymbolo 1200. circiter florenorum, è carcere liberarent. Quidam ex incarceratis expedita confeſſione ſacramentali adhuc præſente confeſſario ita in ſeipſum exarſit, & plagis deſæuijt, vt ægrè potuerit induci vt à verberibus ceſſaret. Fœmina quædam viro proprio relicto & ſubſtãtia eius clam ablata, procis adhæſerat, quo nomine cùm eſſet coniecta in carcerem, & capitis damnata, opera tandem Noſtrorum & Deo & coniugi eſt reconciliata, & mortis deſtinatæ periculo erepta. Duo diſſidentes ea conditione redierant in gratiam, vt auctor diſſidij in pœnam, ſuis pecunijs liberaret vnum è carcere, quod & fecit. Multi à vita diſſoluta, ad leges matrimonij legitimi reuocati. Pagus aliquando integer ſacramento Pœnitentiæ expiatus. Externorum erga Noſtros beneuolentia, cum alijs multis officiis, tum verò eleemoſynis largis egregiè eſt comprobata. Excreuerunt enim ad ſummam florenorum 1155. Cum multa Sereniſſimo rege abſente ex Suecia infauſta nunciaren

Digitized by Google

nunciarentur, & famis simul ac pestis pericula timerentur per totam penè Lithuaniam, quidam è nostris ad placandam iram Dei præpotentis, persuasit populo solemnem peregrinationem ad ædem quandam B. V. dicatam, à Vilna 20. millibus passuum distantem. Huius peregrinationis ea fuit celebritas, cui nulla antehac similis visa est, siue effusam populi multitudinem, siue ordinem pulcherrimum procedentium, siue rara pœnitentiæ ac pietatis, non modò à vulgo, sed etiam à primarijs hominibus vtriusque sexus edita exempla spectes. Res transacta pro dignitate religionis Catholicæ, cum emolumento spirituali Nostrorum, non sine insigni hæreticorum ac schismaticorum confusione, qui tam inusitato spectaculo attoniti, vix hiscere ausi fuerunt, nedum obstrepere pro suo more in odio & Catholicos plusquam vatiniano.

COLLEGIVM BRVNSBERGENSE.

ERANT inter Nostros hoc anno sacerdotes 10. Ex quibus vnus casus conscientiæ, & controuersias: alter Philosophiam docet. Præceptores humaniorum litterarum quinque, Scholastici qui Philosophiæ dant operam 7. Coadiutores temporales 10. Ex quibus omnibus manserunt 9. partim in conuictu, partim in seminario Pontificio & Dioecesano. Fructus per Nostros ad hæc ferè capita reduci potest. Ab hæresi imprimis 47. conuersi sunt. Inter hos vnus octo annorum Bezæ discipulus. Duo filij Archiministrorum, quorum vnus ante confessionem ita grauiter tentatus fuit, vt ex ponte præcipitare se voluerit, nisi ab aliquot viris detentus & ad confessionem adductus fuisset

Digitized by Google

fuisset, qua peracta omnes prorsus tentationes superauit. Ex locis hæreticis varijs plurimi vtriusque sexus huc, confessionis causa, confluxêre. Cõmunicantium frequentia solito maior. In festis præcipuis numerati sunt ad 1500. sat multi prọ ratione loci. Nullus etiam dies Dominicus aut festus elabitur, quin plures communicent. Visitantem dioecesim Illustrissimum Cardinalem vnus è Nostris comitatus concionibus suis, quas in singulis ciuitatibus & oppidis fecit, plurimos adiuuit. Eiusdem opera Magistratus cuiusdam loci multis annis dissidens à supremo Iudice, odijs depositis reconciliatus est, ita vt totus (erant autem plurimi, ijque graues viri) ad confessionem venerit, atque in eo solo loco ad 150. confessiones exceptæ. Pellex à quodam ablegata. Multi variorum ordinum ad meliorem vitam excitati. Vnus ab homicidio quod moliebatur abductus. Quo tempore Sereniſſimus Rex fuit in Suecia, oratio 40. horarum aliquoties cum flagellationibus repetita ab ijs qui Congregationi B.V. nomen dederunt. Intra domesticos verò nostros parietes, per tres menses omnibus Dominicis ac festis diebus continuæ orationi à Nostris vacatum. Exercitia spiritualia 10. personis tradita. Quatuor ex ijs erant Sacerdotes: totidem alij iuuenes, magnæ spei Societatem elegerunt. Ad vicina loca etiam excursum doctrinæ Christianæ causa. Virgines monasterij cuiusdam vni ex Nostris confessæ, plurimumque exhortationibus in visitatione Episcopi adiutæ. Scholæ, conciones, aliaque ministeria Societatis in eodem sunt statu. Conuictus etiam solito floret, & succedit melius. Pleroſque hic Societatis amantes experimur, qui in hac annorum carita te parum etiam Collegij huius necessitates subleuarunt suis eleemosynis, quæ partim in rebus, partim in pecunia 600. florenos attingunt. Contubernij quoque pauperum non immemores ei tantum

rum

Digitized by Google

tum contulerunt, quantum anno toto ad sustentandos 60. & plures suffecit.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

EX his quos Collegium aluit hoc anno Sacerdotes erant octo. Quorum vnus casus conscientiæ, alter controuersias prælegit. Præceptores humaniorum litterarum sex. Scholastici qui casibus studuerunt quinque. Coadiutores temporales septem. Fructus domi & foris per Nostros collectus hic ferè præcipuus fuit. Duo viri nobiles extremo odio inter se flagrantes, & nonnisi mutuo sanguine illud extinguere cogitantes, opera vnius è Nostris in eam gratiam redierunt, vt mutuis iam inter se certent officijs. Eadem opera in reconciliandis alijs duobus à Nostris non absimili fructu præstita. Mater vna à cæde filij proprij deterrita. Fœminæ duæ à vita impura ad honestam reductæ. Vir vnus vxori ita infensus, vt eius cædem moliretur, persuasione Nostrorum furorem conceptum beneuolentia coniugali solita commutauit. Templum quoddam vetustate penè iam collapsum, Nostris incitantibus eos, quorum intererat, à fundamentis denuò erectum est. Extractus vnus ex hæreseos latibulis, in quibus 30. annis delituerat, ad lucem Ecclesiæ salutarem & rectè viuendi ac sentiendi normam edoctus. Idem effectum cum quinque alijs in hæresi educatis & à fide Catholica valde alienis. Pastor item vnus, à suis ouibus dissidens, magno animarum despendio ijsdem reconciliatus est. Quidam ex Cosacis Niseuijs (militum id in regni finibus qua Scythas spectat, prope rapto & nulla lege viuentium genus) idemque

idemq; Schismaticus, qui vitæ solutę fine vlla prorsus salutis cura assueuerat, deposito schismate, ad optimã etiam viuendi rationem & erratorum detestationem est adductus. Denique nemo nostrorum Sacerdotum fuit, qui non plures tum vitæ totius, tum plurium animorum confessiones exceperit.

COLLEGIVM POLOCENSE.

SEPTEM è Nostris habuit Sacerdotes, Magistros tres, octo rei domesticæ Adiutores. Notium Collegij domicilium; quamuis ligneum, ad tractanda tamen Societatis ministeria loco opportuniore anno 1597. ædificari cœptum, hoc tandem anno maxima ex parte perfectum est, & ipso die D. Catharinæ sacro habitari à Nostris ex arce commigrantibus cœptum; magno Sociorũ commodo, cum pari proximorum emolumento coniuncto, quibus iuuandis antea Nostri propter incõmoditatem & distantiam arcis, quam inhabitant, non ita vacare potuerunt. Atque vt reliqua in particulari attingam, quæ Dei benignitate ager Polocensis hoc anno protulit, occurrit imprimis rara vnius è Nostris virtus in graui ac diuturno morbo (quo etiam confectus est) omnibus domesticis perspecta. Hic quatuor ferè integros menses lecto affixus iacuit, sola pene cute ossibus adhærente, dorso & lateribus attritis, nullum tamen toto infirmitatis tempore aut verbo, aut signo, animi impatientis signum dedit; illud tantum beneficium diuinum prædicans, quòd eum ad Societatem vocare, & in eadem ad finem vsque permanere concessit.

CAETERORVM verò è Nostris opera, tam foris

Digitized by Google

quàm domi proximis nunquam defuit. Ac domi quidem in templo nostro plures fuêre visi quàm annis superioribus, qui sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentarent, in festis præsertim solemnioribus. Foris in missionibus ad varia loca institutis trecentæ viginti vt minimum confessiones exceptæ. A vita impura reuocati sex. Duo deterriti ab vsuris, & ad restitutionem inducti. Adiuti plures quàm 30. per generales totius vitæ confessiones. Vir quidam militaris decennio integro vsum Sacramentorum intermiserat, nullis consilijs aut exemplis cedens. Is cum postea grauissimis podagræ doloribus correptus esset, alijs remedijs frustra adhibitis, voto confessionis omnem vim morbi eodem penè momento à se depulit, & statim accersito vno è Nostris, omne conscientiæ pondus omnino deposuit. Non dissimilem Confessionis & sacrosanctæ Synaxis fructum, fœmina etiam quædam profluuio sanguinis è naribus manante, cum vitæ periculo laborans, experta est. Subuentum cuidam seni decrepito, & oculis penè capto administratione eorundem sacramentorum, à quibus 37. annis abstinuerat. A schismate ad vnionem Catholicæ Ecclesiæ adducti 35. in quibus erat vir vnus, qui cum à Catholica fide resiliendi consilium cepisset, & in eo pertinaciter aliquandiu perstitisset, spectris tandem & terroribus nocturnis ad pristinam fidei Catholicæ veritatem à Deo compulsus, publicè schisma abiurauit, confessione præmissa. Fœmina item vna à lapsu simili, multis calamitatibus Dei iudicio immissis, ad meliorem mentem redijt. Nutantes in fide multi confirmati: adiuti etiam nonnulli à pestifera hæreticorum libellorum lectione. Adolescens Catholicus sponsam parentibus Schismaticis ortam, nullis vel persuasionibus, vel incommodis propositis, & biduo integro vtrinque agitatis, adduci potuit vt à Schismaticis benedictionem matrimonij reciperet. Quare perfregit ista constantia omnem

Digitized by Google

omnem importunitatem Schismaticorum potentium alioqui, & à sacerdote Catholico in templo Catholico coniunctus est. Habita eodem tempore concio ab vno è Nostris, qua confutatæ fuerunt calumniæ hæreticorum in Ecclesiam Catholicam, & illud saltem effectum, vt nonnulli hæretici indignabundi suis ministris & catechismis, ex templo discederent, quod contra expressum D. Pauli testimonium Matrimonium Virginitati prætulerint. Vir quidam nobilis vxore & filio orbatus, cum authoritate quorundam propinquorum hæreticorum premeretur, & adigeretur vt vtriusque defuncti corpus ritu & loco hæretico terræ mandaret, fortissimè omnibus restitit, & victor euasit, procurata more Catholico in loco sacro sepultura. Caluinianam perfidiam quinque abiurarunt. Virgo vna nobilis annorum 13. hæreticis parentibus nata, & in hæresi educata, cùm aliquoties templum nostrum ingressa esset, tantum ardorem & desiderium fidei Catholicæ concepit, vt nullis postea matris & consanguineorum precibus aut mediis abduci potuerit. Cum non multò post in morbum incidisset, animum & zelum Catholicæ fidei constantissimè protestata, obtinuit à suis, post mortem vt in templo nostro sepeliretur. Id quod honorificè ei præstitum est, & tum concione funebri, tum alijs ritibus Ecclesiæ consuetis, quod constantiæ & virtuti ipsius debebatur, persolutum. Hæreticus quidam perfrictæ frontis, cum templum nostrum bis furibundus ingressus esset, & suis blasphemijs pene tumultum excitasset, admonitus fuit à Catholico quodam, vt pro tam audaci facinore breui interitum suum expectaret. Nec vana fuit præmonitio: nam intra paucos dies incidit in suos quosdam hostes, ab ijs glande primum plumbea trajectus, deinde varijs vulneribus affectus, oris inter alia blasphemi discissione graui & ad linguam extrahendam

præparato fœdatus, intra paucas horas infelicem animam exhalauit.

COLLEGIVM NIESVIESIENSE.

EXERVNT hoc anno semper sex Sacerdotes, è quibus vnus Præceptorem egit humaniorum litterarum: duo præterea alij Magistri inferiorum scholarum. Reliqui Coadiutores. In templo nostro nunquam defuêre, qui singulis penè hebdomadis ad SS. Eucharistię sacramentum accederent. Plurimi per generales cõfessiones sordes inueteratas expiarunt. Lites extinctæ, restitutionesque iniustè partorum factæ. Ad Ecclesiæ sanctæ gremium à varijs hæresibus reuocati 18. In his vnius nobilis fœminæ insignis reditus fuit, quæ in deteriores semper hæreses à Lutherana prolabens, ex ipso iam limi anabaptistici, in quo iterato baptismo demersa fuerat, profundo extracta est. Aliquot etiam Schismatici Ecclesiæ reconciliati. Nutantes in fide confirmati. Multi abusus ex contagione hæresum & schismatis superstitionibus passim grassantes repressi. Sacerdos vnus primum Deo sacrificium oblaturus, exercitijs spiritualibus excultus est. Eadem experiri voluerunt duo ab hæresi conuersi ante errorum suorum eiurationem. Creuit etiam his temporibus mirè veneratio D. Raphaelis Angeli, cuius ara & sacellum non multo ante in Ecclesia nostra erectum, è tota vicinia frequenter visitur, & cum multi votis nuncupatis sanitatis beneficium retulissent, famam celebrem ad plures alios transmiserunt, qua exciti multi non tantum æmulatores deuotionis aliorum, sed etiam participes beneficiorum & præmiorum

suæ

Digitized by Google

ſuæ in diuum fiduciæ eſſe meruerunt. Vt è multis pauca attingam: Nobilis quædam matrona vſu pedum, quo ſeptenio ferè iam caruerat, huic Angelo ſancto acceptum refert, per ſomnium etiã animata ad iter (quod iam quidem arripuerat, ſed cunctari nonnihil cœperat, & detereri dolore qui eam ægrè patiebatur progredi) vt illud perficere nil dubitaret, & votum ſpei plena compleret nuncupatum. Alia itidem fœmina nobilitate inſignis animam ſuam & infantis ſui penè iam fugientem, voto ſimiliretinuit. His & alijs ſimilibus occaſionibus vſi Noſtri, Sacramento Pœnitentiæ, & SS. Euchariſtiæ multos adiuuerunt. Scholaſtici qui ſcholas noſtras frequentant, egregium ſemper ſpecimen pietatis, quoties ſeſe occaſio publica obtulit, dederunt: præſertim verò ij qui ſe Parthenicæ Sodalitati addixerunt. Accidit nonnullis vt inter ſuos, eoſque à fide Catholica alienos, vi morbi oppreſſi cum eſſent, & ſacramenta Eccleſiæ extremo vitæ periculo opportuna expetetent, ægrè tandem obtenta, ſalutaria ſibi ſenſerint, non minori ſuã cum conſolatione, quàm confuſione hæreticorum, qui ea impiè irridebant. Vnus adoleſcens ex eadem Sodalitate, quem morum licentia aliò abripuerat, ſui penitus immemor vnius è Noſtris colloquijs permotus, ad priſtinæ vitæ fructum reductus eſt.

COLLEGIVM DERPATENSE.

NOVEM omnino inter Socios Sacerdotes toto hoc anno numerati ſunt: duo ex illis duas ſuperiores claſſes humaniorum literarum procurabant: Alij præterea Magiſtri duo infe-

Digitized by Google

rioribus, totidem Scholastici præerant. Reliqui vel scholastici fuerunt, qui humanioribus litteris dabant operam, vel Coadiutores, qui in re domestica procuranda Collegium adiuuabant. Domi in consueto disciplinæ studio permouendo & conseruando nil prætermissum. Scholasticorum qui ex familijs varijs hæreticorum ad nos confluunt, facta hoc anno non contemnenda accessio. Exercitia scholæ & pietatis vigent inter eosdem, præsertim verò Parthenicos, qui in hebdomada sancta, postquam duodecim pauperum studiosorum pedes lauissent, feria quinta, die sequenti acriter flagris in se sæuientes, egregium specimen virtutis Christianæ dederunt, & externos non tantum in admirationem sui, sed & ad æmulationem pertraxerunt.

EX missionibus cum aliàs Collegio visitatis, tum verò hoc anno crebriùs institutis per Liuoniam egregius fructus illectus. Septies excursum est prolixiore digressu ad loca varia, vt omittam minutiores euocationes quasdam Nostrorum. Sacrosancto Eucharistiæ sacramento refecti domi quidem 4164. foris verò 920. Qui totius vitæ peccata confessione expiarunt 1310. baptizati vt minimum 700. Ritus omissos in eodem sacramento addidêre postea plusquam 120. Ab hæresi absoluti 34. à Rutheno Schismate 18. Spiritualibus exercitijs expoliti 4. Moschus vnus qui in fide Catholica iam ab annis 30. fuscepta vacillabat, apud vnum ex nostris omnem animi vacillationem deposuit. Multi ad intermissum etiam pluribus annis morem confitendi redierunt. Quidam etiam cum non sine scandalo ab Ecclesia Catholica resilijsset, ob spem coniugij cum hæretica quam ambiebat, & per 7. annos inter hæreticos hæreticus vixisset, ad cor tandem reuersus hæresim omnem, gremio Ecclesiæ receptus, eiurauit. Adolescens vnus in Germaniam profectus triennio integro ab hæreticis oppugnatus, expugnari non potuit. Et vt primum

Digitized by Google

primùm illi redire ad Nostros licuit, ad officium suum se retulit, interceptamque ab annis tribus confessionem reuocauit. Alium quédam victum in hoc genere à fidei hostibus sceleris pœnituit; & iam nihil aliud optat quàm vt eò redire possit, vbi Catholicam fidem animo conceptam liberè profiteri ei liceat. Pellices Nostris suasoribus dimiserunt nonnulli, & pœnitudine ducti dedecus pristinum legitimi deinceps connubij honestate texerunt. Multi vel à Confessarijs inducti, vel permoti concionibus, vel priuatis Nostrorum colloquijs emolliti deposuerunt grauia ac inueterata odia magna significatione mutuæ beneuolentiæ. Aegris & agoni proximis, itemque extremo supplicio plectendis, opera Nostrorum cum fructu optato sæpius impensa. Multi sacramentorum Confessionis, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis beneficio non modò animi, sed corporis etiam sanitatem adepti fuerunt, præter suam & medicorum expectationem omnem. Vnus etiam morbo obrutus cùm linguæ vsum omnem amisisset, & nunquam adhuc peccata sua confessione eluisset, precibus astantium, duce & auctore Confessario, de salute ipsius sollicito, amissum sermonem recuperauit, & peccata sua omnia ritè per confessionem detexit. E contra alius fructu non dissimili, vt primùm maculas animi confessione abstersit, loquendi facultate priuatus est. Adolescens vnus factus ex hæretico Catholicus, cùm in morbum incidisset, perceleri morte ereptus, suæ perfidiæ & inconstantiæ pœnas dedit, ad partes quippe hæreticorum rursus redierat, Deo misericordissimo iacturam hanc omnem non magna interposita mora duorum adolescentum conuersione, ex hæresi ad fidem Catholicam, & constantia insigni abundè compensante, magnò Catholicorum solatio. Summis experti ciuium in nos animos hoc anno procliuiores: Præfectos etiam Oeconomiæ fauentiores, inter quos Toparcha ipse Derpatensis, quantumuis

Digitized by Google

à Religione Catholica adhuc alienus, propensæ tamen erga nos voluntatis signa non obscura edidit, cum in alijs multis, tum in concedendis literis patentibus, quibus vniuersæ Oeconomiæ præfectis, vt nobis salutem animarum per varia loca Liuoniæ circumuicina procurantibus, omni studio & auxilio adessent, seriò, diserte, diligenterque mandauit. Collegij nostri pars vna renouata. Templum item, altera, quæ supererat olim, parte tectum, & intus duplici choro egregiè fabrefacto exornatum. Hæc anno isto ager protulit Estonicus.

COLLEGIVM RIGENSE.

RIGAE vna est Nostrorum sedes, sed ea bipartita; quippe quæ vnâ & collegas, & eos qui in probatione versantur continet. In his Sacerdotes numerati 12. quorum tres tertium probationis annum agunt: octo Fratres veterani: reliqui Nouitij. Suus vtrisque pro portione non defuit fructus: quanquam tyronum, vt decuit, maximè spectatus domi, Veteranorum foras emicuit. Habiti sunt in templis nostris sermones ad populum stati anni diebus, tribus linguis Germanica, Polonica, Lotauica, eo fructu qui colligi potuit in tanta inuidia obtrectationeque ordinis nostri, in Ciuitate hæretica quæ Ministis scatet, Lutheranis in id vnum potissimum intentis, vt nos modis omnibus ad populum perpetuò traducant.

VTILIOR autem fermè labor collocatus est in missionibus varijs, ad circumuicina Liuoniæ & Samogitiæ oppida, ad villas quoque & pagos Collegij, institutis. Deducti domi & foris à prauis opinionibus quas partim hæresi,

Digitized by Google

hæresi, partim in schismate altè imbiberant quinquaginta. Et quidem duo in præsentia Vendensis Episcopi, & celebri nobilium concursu fidem Catholicam professi, magna omnium gratulatione errores publicè eiurarunt. Bis mille sexcenti sexaginta circiter fuêre, qui sacra confessione flagitia sua expiarunt: horum magna pars repetita ab ineunte ætate peccata detestati, totiusque superioris vitæ errata pœnitentia redemerunt. Ex eodem numero plerique ferè omnes misticum Eucharistiæ sacramentum perceperunt. Vnus certè sacerdos noster egregia itinerum & laborum patientia, obiens pagos magna rerum diuinarum ignoratione sylvescentes 1026. ad sacram synaxim instruxit. Eadem opera nostrorum 54. paria ex decreto Tridentinæ synodi ritè matrimonio deuincta. Par vnum quod mutuo tantum consensu consueuerat in decrepita senectute Catholicarum cœrimoniarum legibus adstrictum. Sublata multorum iurgia, sopitæ simultates, grandiores æris restitutiones aliquot factæ. Lustralibus denique sacri baptismi aquis 184. sunt abluti.

EXCVRRIT Sacerdos noster incitatu cuiusdam Nobilis ad ipsos vsque Moscouiæ fines, vbi cum nihil præter Baptismum & nomen Christianorum reperisset, plurimos rudium animos doctrina Christiana imbuit. Catholicos ritus antiquos penitus neglectos renouauit: præbuit eis Ecclesiæ sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonij; præcelsas & annosas arbores, in quibus ille populus stultus nescio quid numinis inesse suspicabatur, excidit, omnibus stultitiam suam accusantibus, quòd aliquando ad has arbores sacrificarent mali auerruncandi causa, & ad eliciendum in siccitate imbrem supplicarent. Fuêre præterea inibi quidam sortilegi, qui rogatu paganorum, sortibus iactis fascinarent pecora; his persuasum omnibus vt ab huiusmodi idolorum cultus reliquijs abstinerent. Quod cum præstitissent, veneficiorum etiam

Digitized by Google

vsum in miram rerum sanctarum venerationem commutarunt. Non defuerunt rustici & piscatores, qui vetere Lotauorum bene de religione sentientium more, sacerdotem exorarent; illi quidem vt herbas, salem, frumenta, aquam, agros prosequeretur prece: hi vt retia benediceret. Quo impetrato, morbos illi auerti à corporibus, à satis grandinem, pestem à pecore: hi verò veneficijs exolui retia professi sunt. Inducti similiter à Nostris varijs in locis, vt à superstitione quadam delisterent, epulum præbendi animis mortuorum pascendis: quo pro suis quisque opibus apparato cibo, effundit primò aquam sub mensa, tum cochlearia erigit in patinis, thus deinde & cereos inter prandendum etiam media luce accendit, ad extremum ad tumulum delatis escis, mortui nomen per sortilegium inclamat, escasque relinquit in vasculis, vt noctu mortuorum animi prodeuntes habeant, quo sese alant. Cum interim præstò sint canes, & quæ parata sunt deuorent: illi verò confecta putent ab animis.

CVM essent ad tertium probationis annum Rigam missi duo Patres, peragrarunt magnam Samogitiæ partem cum illius diœceseos Episcopo, quo in itinere rudes fidei rudimentis imbuti: ad Sacramentorum vsum frequentem pene iam abolitum extimulati plurimi: Puella vna iam duodennis inter alios baptizata; quidam à contubernio concubinarum extracti: vnus à consilio violandi pudicitiam cuiusdam Virginis abductus: in quibusdam ebrietas repressa: multarum Ecclesiarum decus & cura debita reuocata, ruinæ restauratæ: libri asperſi erroribus perfidiæ, flammis exusti. Hæretici quidam in disputatione ita confusi, vt à suismet asseclis ludibrio haberentur, & vni scrupulus sit iniectus. Pecunia non exigua cum esset Nostris oblata à matrona quadam illustri loco nata, magna cum ædificatione & admiratione paupertatis nostræ fuit repudiata. Eodem itinere indictæ sunt quadragena-

rum

rum horarum supplicationes & litaniarum frequentationes, ad auertendam pestem famemque. Persuasum ditioribus nonnullis, vt grauitate anni, sterilitateque annonæ afflictorum subditorum non tantum vectigalibus parcerent, sed etiam graui multorum inopiæ, & quæ extremam omnibus calamitatem minabatur prouiderent. Habitæ per eam occasionem crebriores ad populum conciones, cui tot malis attonito & penè exhausto, ostensa sunt, propter quæ Deus tales ac tantas pœnas exigit, peccata. Et hæc in Samogitia à Nostris.

RIGAE Scholastici externi non multi quidem in scholis nostris morantur, eò quòd tum rigido Ciuitatis decreto, tum pertinaci nobilium hæreticorum conspiratione eorum filij à nostra disciplina arceantur: pauci tamen illi hoc anno partim in solemni & anniuersaria processione Corporis Christi, partim in Dramate quodam publicè exhibito, eiusmodi modestiæ & ingenij specimen dederunt, vt totius Ciuitatis oculos in se conuerterint, & ciuium animos sibi & Collegio deuinxerint. Populi quoque sedatus furor in nos videtur. Nec enim fœda amplius in nos cantica componunt, non schedas infames spargunt, abstinent ab iniurijs, nullis quibus antea solebant in publicum prodeuntes conuitijs prosequuntur. Rogatus quidam è senatu 100. trabes pro sacello extruendo, supra centum 50. donauit; & syluæ suæ cæduæ liberalem & prolixam nobis ad prædij vsus potestatem fecit. Idem ministro Lutherano exturbato permisit Catholico ritu templum in suis bonis expiari. Expostulantibus verò super electo rabula quibusdam viris nobilibus Lutheranæ labe infectis: Quid (inquit) hiscene ergo lurconibus ad popinas & ganeas natis, qui tam inhianter saginandis suis pinguibus aqualiculis intenti sunt, homuncionibus, & suis & aliorum sceleribus obrutis, animarum curam crederem? abeant ad stabulandos potius boues.

Porrò

Digitized by Google

Porrò quoties in nostrorum hominum mentionem incidit, magno semper honore verborum vtitur. Quem magna spe teneremur Catholicum fore, si perpetuis suorum conuicijs & vexationibus in tam corrupta ciuitate fidem & salutem suam redimere vellet. Alter quidam obtulit Nostris chirographum, quo ei vir Illustris fidem persoluendorum 140. talerorum obligauerat, & hanc pecuniam hæreticus homo Nostris exigendam commisit, eandemque ad Organici systhematis in templo nostro structuram destinauit. Episcopo quoque vtimur sane propitio. Hic ante festa Paschatis exercitijs spiritualibus domi nostræ, vnà cum quodam Cathedræ suæ Prælato vacare voluit. Postea verò demisit se ad squallidos illuuie pauperum abluendos pedes, ipso die cœnæ dominicæ solenni ritu, magno hæreticæ Ciuitatis exemplo, quo gemitus quibusdam, nonnullis etiam lachrymas excussit. Idem Antistes aliquoties in templo nostro ritu Episcopis vsitato, sacris operatus est: aliquoties etiam in magno populi concursu prolixum ad reuincendam hæresim sermonem habuit, & æquis animis & auribus auditus religionis melius examinandæ desiderium nonnullis iniecit.

E Nouitiorum grege (vt de his etiam aliquid dicam) exacto probationis biennio, ad varia huius Prouinciæ Collegia, sex hoc anno missi: Cæterorum qui exercentur magna spes & peculiare relucet studium, vt tales sint, quales nostri instituti ratio postulat. Peregrinationes ad loca varia 9. susceperunt, varijs contumelijs & iniurijs affecti. Vni ex his colaphum Pater familias hæreticus, apud quem ex itinere diuerterat, impegit, quem cum magna animi tranquillitate & tolerantia pertulisset, ita confudit & compescuit quorundam hæreticorum præsentium insolentiam, vt indignè ferrent iniuriam illatam. Quin & ipse paterfamilias percussor à furore illicò conquieuit, & cauit deinceps, vt ne verbum quidem paulo

acerbius

Digitized by Google

acerbius ad aures Nostrorum transmitteret. Vnus verò tyronum hoc anno diem suum extremum obijt, spectata iuuenis patientia, & magna reprimendorum affectuum cura. Labore vllo aut corpus eius fatigari, aut animus vinci nunquam potuit. Puer in hæresi enutritus, post Philosophiæ curriculum Vilnæ absolutum & Magisterij gradum obtentum, Societatis compos magno suo gaudio factus, huc ad prima Societatis tyrocinia venerat.

DOMVS PROFESSA CRACOVIENSIS AD S. Barbaram.

EX ijs quos hoc anno domus aluit, fuerunt perpetuò Sacerdotes octo, Coadiutores temporales nouem, duo Nouitij, quos domus Probationis submittere solet. Conciones à Nostris habitæ non tantùm in Ecclesia nostra, sed etiam in varijs alijs Vrbis templis, non sine fructu. Ex varijs hæreticorum sectis in viam veritatis adducti 26. in quibus vnus singularem planè Dei circa se prouidentiam expertus erat enim homo septuagenarius, & altè ab annis multis hæresim imbiberat. Is à filio suo Catholico adductus ad Sacerdotem nostrum de religione multis contulit; sed veritati tandem conuictus de erroribus, cessit, & in sinum Catholicæ Ecclesiæ redire constituit. Sed cum partim ad explorandam eius in fide constantiam, partim ad pleniorem institutionem sensim communicandam non statim ad Sacramenta admitteretur, conscientiæ stimulis exagitatus, ad Sacerdotem eundem ex Nostris redit, ad pedes se illius prouoluit, orat propter Deum, vt liceat ei tandem grauissimum peccatorum onus deponere. Deposuit illicò

Digitized by Google

illicò & sacræ Confessionis & Eucharistiæ sacramento percepto, pace & tranquillitate animi quam optabat potitus lætus in domum suam abijt. Anabaptistæ item cuiusdam filius paterni erroris particeps cum duabus sororibus sectæ eiusdem, Nostrorum opera & directione, sacro Baptismatis fonte ablutus est, idque intra priuatos sacelli cuiusdam nostri parietes, ad declinandum parentis perfidi odium. Vna verò ex Virginibus illis duabus natu maior, cum post menses aliquot in morbum lethalem incidisset, magnopere Sacramentum Eucharistiæ pro viatico expetijt. Audiuit Dominus eius tam sanctum desiderium, & modum suggessit, quo in domum paternam colluuie hæreticorum scatentem sacerdos noster hostiam consecratam clam intulit, & porrexit infirmæ tanto animi ardore preces fundenti, vt lachrymas astantibus nonnullis excusserit: & tandem spiritum Deo, ad quem anhelabat, pijssimè reddidit. Non pauci in fide fluctuantes sacramentorum vsu frequentiore, & Nostrorum consilijs confirmati. Noxas totius vitæ eluerunt per confessionem septuaginta, in quibus nonnulli maturæ, alij etiam decrepitæ ætatis reperti fuêre. Exceptæ multorum confessiones, qui Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentum ab annis 10. 20. 30. 40. ob varios respectus, vel timores inanes intermiserant. Vnus cum sæpius confessionis causa templum nostrum adiret, sed accedere ad sacerdotem, terrore quodam repentino perculsus non auderet, tandem ab vno è Nostris Confessarijs (qui cunctationem eius obseruarat) quodam tempore postulatus, num quid vellet confiteri? se velle respondit. Animatus à Sacerdote accessit, & magna animi consolatione sarcinam conscientiæ, qua grauabatur deposuit: fassus alioquin se etiam tunc absque confessione abire è templo constituisse, nisi tam benignè inuitatus fuisset. Præterea ex vicinis & remotioribus oppidis, partim sponte sua, partim à Parochis

chis remissi ad enodandas conscientiæ difficultates confluxêre hoc anno ad nostros non pauci. Ab illicitis amoribus & maleficijs abducti aliquot. Fœminæ complures à vitæ solutæ turpitudine reuocatæ: aliquæ etiam à diuturno pellicatu ad leges matrimonij transierunt. Coniuges capitali odio inter se dissidentes, mutuæ beneuolentiæ restituti. Inimicitiæ sopitæ. Nosodochia pauperum & custodiæ publicæ visitatæ. Extremo destinati supplicio adiuti. Ter hoc anno in nostro templo oratio 40. horarum in maxima frequentia populi fuit instituta & coronestata à varijs Confraternitatum supplicationibus, in quibus etiam publicæ verberationes non defuerunt, quæ populum præsentem ad lachrymas & pœnitentiam valde commouerunt.

CONGREGATIO Misericordiæ, cuius dirigendæ in spiritualibus Nostri nonnullam curam habent, si vnquam ante viguit, nunc maximè viget floretque. Nam ad consueta pietatis officia, quibus hactenus sese exercuit, suscepit in se nouum onus sub patrocinio S. Nicolai, nimirum virgines honestas in matrimonio collocandi, quibus dos aut nulla aut exigua à parentibus relicta esset, & ob id eorum pudicitia periclitaretur. Ad hanc rem ipso statim initio viri quidam pij, & in eadem Confraternitate primarij 4000. florenos contulerunt, quorum exemplo speramus non defuturos alios qui opus tam præclarum sua liberalitate prosequantur. Suppellex sacrarum vestium magni splendoris ac precij hoc anno adiecta est, & quæ 1000. florenorum æstimari potest. Accesserunt præterea empta florenis 400. candelabra duo ex orichalco fusili opere, & raro artificio elaborata, quæ magnum addunt splendorem summo altari, ad cuius gradus disposita consistunt. Denique fabrica templi noui magis ac magis in altum consurgit Sereniſſimi regis munificentia ac

tia ac liberalitate singulari, quæ nunquam hactenus defuit, nec defutura quoque deinceps creditur.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

AVCTO numero Nostrorum hoc anno, auctus etiam est operariorum & occupationum numerus, Nam Sacerdotes numerati fuêre 14. ex quibus Professores duo Theologię Scholasticæ, vnus Positiuæ & controuersiarum, vnus Casuum, linguæ Hebręæ vnus, Logicæ vnus, Humaniorum litterarum Præceptores quinque: Scholastici 14, quorum sex Theologiam, reliqui Philosophiam audiunt. Coadiutores temporales nouem. Mortuus sacerdos vnus P. Ioannes Cosminius coadiutor formatus, qui postquam Procuratoris officio pluribus annis functus fuisset, & varia alia Sacerdotum munia præclarè obiuisset, in grauem ac diuturnum langorem incidit, quo sensim consumptus est, relicto egregio suæ patientiæ & pietatis in Deum exemplo. Ad conciones faciendas Nostri euocati fuêre pro actibus & festis celebrioribus frequenter, tum in ipsa Ciuitate, tum extra, præsertim ad funera Nobilium, in quibus non rarò obijciuntur hæresi infectis scrupuli de religione, & multi hac occasione ad fidem Catholicam conuertuntur. Cuidam, qui non exiguum damnum intulerat, persuasum est, vt obsequijs & fidelitate, cum aliàs soluendo non esset, compensaret. Exercitijs spiritualibus exculti aliquot, è quibus vnus insignem se retulisse fructum gaudens profitebatur. Visuntur à Nostris hospitalia crebrius, impenduntur consueta Societati charitatis officia. In vno etiam cuius sacerdos proprius iam ab aliquo tempore ex morbo

Digitized by Google

morbo decumbit, Noster solet frequentissimè supplere vices infirmi, & sacris operatur festis diebus, magno pauperum solatio. Reconciliationes non paucæ inter ciues & nobiles vtriusque sexus opera Nostrorum procuratæ; maximè conspicua erat, quæ inter Episcopum & Abbatem Monasterij vnius successit, & occasionem præbuit, vt omnes qui ad illud Monasterium pertinebant ad Sacerdotem nostrum, qui auctor pacis extiterat, accurrerent, & magna animi sui consolatione totius vitæ suæ noxas in confessione deponerent. Alterius etiam Monasterij religiosi, Abbatis sui consensu, accersiti, vnius è Nostris opera vtiliter vsi sunt, quorum alij de tota vita confessi, alij spiritualibus exercitijs exculti, alij cohortationibus & alloquijs adiuti fuere plurimum. Tam domi quàm foris exceptæ in vniuersum à Nostris confessiones generales supra 100. Hæresim detestati, & in sinum Ecclesiæ reducti plures quàm viginti. Nobilis quidam Catholicus morbo graui correptus, cùm in domo sororis suæ fœminæ hæreticissimæ decumberet, & eiusdem opera omnem aditum agendi de rebus ad salutem suam spectantibus præclusum haberet, adiutus est tandem ab vno è Nostris, qui occasione quadam, quam diligenter obseruarat, vsus, in hospitium infirmi perrumpit, hominem consolatur, eiusque confessionem vnà cum professione Catholicæ fidei, qua falsum de suo ad hæreticos perfugio rumorem abolere volebat, excipit, & die sequenti viatico etiam extremo communire fecit, frustra frendentibus hæreticis. Quotidianæ confessiones pene singulis diebus excipiuntur, ab vno vel altero è Nostris Sacerdotibus in nostro templo. Ad scholarum ornamentum, quæ numerosam iuuentutem ex nobilitate & ciuibus continent, accessêre religiosi septemdecim ordinis sancti Benedicti, & Cisterciensium, ex varijs Poloniæ & Prussiæ Monasterijs huc studiorum causa destinati: qui simul à Nostris in mo-

Digitized by Google

do orandi, meditandi, & alijs exercitijs dirigantur iuxta captum & institutum singulorum. Ex Scholasticis qui se Congregationi B. V. aggregarunt confitemur plerique creberrimè; inuisunt Xenodochia, & se in charitatis & pietatis Christianæ officijs egregiè exercent: neque pauci illorum ad religionem aspirant: aliqui etiam iam suis votis potiti sunt.

MVLTI fama exciti cursus Theologiæ, qui hoc anno inchoatus est, ad scholas nostras conuolant ex varijs partibus, præsertim circumuicinis. Eiusdem cursus promouendi studio incensus vir quidam magni nominis 1500. florenos ad censum perpetuum augendum contulit. Fabrica quoque Collegij hoc anno ex eleemosynis ferè creuit, extructis duabus scholis elegantibus & capacibus, quæ in vsum Theologorum & Philosophorum cesserunt. Auctum est situ Collegium peropportuno. Empta enim est domus vicina 3000. florenorum quæ iampridem ad dilatanda Collegij spatia expetebatur. Sed neque templum nostrum hoc anno eleemosynis caruit. Donata sunt peristromata quædam perpulchra à viro quodam nobilissimo, quæ 100. florenis æstimantur: alia item varij generis suppellex à varijs oblata, quæ 150. florenis constitit vt minimum. Denique habuimus Dei benignitate annum hunc sat propitium, & commodis spiritualibus & temporalibus fauentem.

COLLEGIVM CALISSIENSE.

IN ijs, quos hoc anno Collegium aluit, fuerunt vt plurimum Sacerdotes duodecim, quorum vnus Casus conscientiæ, alter Philosophiam, tertius Controuersias & Mathematicam explicat

plicat. Quatuor præterea Præceptores totidem Scholis humaniorum literarum præsunt: septem qui Philosophiæ natant operam. Reliqui domestica officia obiuere. Vnus morte sublatus: nimirum P. Alphonsius Pisanus. Is Poleti in Hispania natus, in eadem postmodum Academia Magister Philosophiæ & Medicinæ licentiatus pronunciatus fuerat. Deinde ab ipso B. P. nostro Ignatio in Societatem assertus, Romæ Philosophiam docuit, ibidemque Theologiæ Doctor creatus, in Germaniam missus fuit, indeque in Poloniam venit, vbi totam reliquam ætatem exegit, docendo tum publicè, tum priuatim magna cum laude Scholasticam scripturam, controuersias, casus conscientiæ. Vixit annis 71. studio lectionique addictissimus, ac imprimis rerum humanarum contemptor insignis, qui cum 4. fermè annos æger decubuisset, exeunte hoc anno ad cœlum, vt speramus, laborum & patientiæ præmia percepturus, migrauit. Discipulorum numerus post inductum in Collegio hoc Philosophiæ curriculum augeri insigniter cœpit, vt iam prope 600. numerentur, non vocatis in hunc numerum ferè 200. qui in duabus scholis parochialibus ex Nostrorum ordine & præscripto in rudimentis Grammaticæ instituuntur, planeque Collegio subsunt. Ac quantum quidem numero auditorum Scholæ auctæ sunt, tantum maturitate pietatis cultura efloruit. In his omnibus palmam reliquis præripiunt qui B. V. Mariæ Sodalitati nomen dederunt. Centum & 11. omnino numerantur lectissimi ex omni studiosorum numero adolescentes, qui cum se offert occasio exemplo suo ciues ac nobiles ad varia pietatis officia pertrahunt. Cuiusmodi sunt Xenodochia adire, pauperum inopiam charitate subleuare, corporum castigationes publicè suscipere, ijs maximè temporibus, quibus horarum 40. preces, vel pro totius Christianitatis, vel pro Regni huius incolumitate, concursu hominum celebrantur. Duo ex illis

Digitized by Google

Societatis institutum complexi sunt, plures alij idem expetunt. Vnius pudicitiam pertinaciter mulier procax varijs machinis quaſcunque excogitare potuit, expugnare nixa eſt. Sed caſtiſſimus adoleſcens primum hæc contemnere, deinde minas pro illecebris reddere: ad extremum cum effrænatam procacitatem reprimere non poſſet, rem totam ad Studioſorum Præfectum refert, atque hac tandem inſidiarum ac ſceleris denunciatione, & furiæ illius ſpe vincendi ademptа, conatus euertit, & in certamine periculoſo victor euaſit.

NEC minor aliorum Societatis laborum hoc anno fructus extitit quàm ſuperioribus. Hæreſim eiurarunt vndecim. Confeſſiones de tota vita auditæ ſeptuaginta. Fœminæ aliquot à vita impura, quam multis annis continuauerant abductæ. Aliquot matrimonia illicita vel impedita vel correcta. Non defuêre qui iniuſtè poſſeſſa proprijs Dominis reſtituerent. Duo præſertim qui non exiguam pecuniam hoc nomine refuderunt. Sacerdotes aliquot ſpiritualibus exercitationibus ſeſe formandos Noſtris dedêre, alij quidem, vt ad prima ſacra Deo ritè offerenda ſe compararent, vnus vt turbulentos conſcientiæ inquietę motus componeret. Die circumciſioni Dominicæ ſacro, tantus in templo noſtro concurſus ad Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta fuit, quantus nunquam antea viſus. Illuſtriſſimi fundatoris noſtri liberalitas & munificentia conſueta etiam hoc anno minimè deſiderata eſt. Nam præter munuſcula varia ad templi ornatum tranſmiſſa, libris etiam Mathematicæ profeſſioni hoc ipſo anno inchoatæ ſeruientibus, Bibliothecam egregiè auxit: ſpatia Collegij ad pulchritudinem & amplitudinem dilatari curauit, redemptiſque aliquot areis, & domibus quæ in eis erant deiectis, effecit vt ante Collegium & templum ſpatioſum & elegans forum pateat. Domum contubernio iuuenum noſtrorum deſtinatam

nouis

Digitized by Google

nouis ędificijs, non sine magno sumptu auctam, commodiorem & ampliorem reddidit, eiusdemque gubernatio vt penes Nostros esset, apud R. P. Generalem magna cura & sollicitudine obtinuit. Id quod maiori iuuentutis eiusdem commodo factum esse euentus docet. Neque hic tamen de Societate merendi finem facit optimus senex. In dies adhuc maiora animo concipit & molitur, quæ suo tempore ad exitum deducat. Deus optimus maximus illum seruare diu incolumen nobis & Ecclesiæ suæ dignetur.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

FVERVNT hoc anno Sacerdotes assidui 7. Magistri præterea Scholarum sex. Sex itidem discipuli ex Nostris humaniorum literarum. Reliqui Coadiutorum domestica munia obiuerunt. Fructus ex messe spirituali à Nostris procurata hic potissimum collectus est. Confessi de tota vita 302. A schismate vel hæresi reducti ad Ecclesiam septemdecim: licentiosè viuentes ad leges matrimonij, alij à turpi priuata vita reuocati. Homicidia aliquot impedita. Nouem ad varias religiosorum familias missi: vnus ad Societatem. Duæ castitatis voto obstrictę, varijs dæmonum illusionibus propositio earum insidiantibus liberatæ. Octo qui desperationis & blasphemiæ spiritu acti extremum iam suæ salutis discrimen adierant, pœnitentiæ salutaris portum tenuerunt. Erepti de potestate dæmonis duo arte magna implicati, partim diuitiarum, partim libidinis insanum explendi desiderium propositio studio, quorum alter annulo, alter syngrapha sanguine proprio obsignata

Digitized by Google

animam suam cacodæmoni desponderat: alter sacrilegijs plurimis sese nuper contaminarat: alter ausu nefario per restes & ferrum vitam sibi aliquoties perdere tentauerat. Vterque tandem singulari Dei beneficio à mortis & inferorum porta & limine ipso abstractus, viuit, & Deum suæ salutis auctorem prædicat. Scholę hoc anno si vnquam antea frequentes fuerunt. Numerati in illis sunt studiosi 600. quorum præcipua pars & maxima nobilium constabat filijs, etiam ex remotioribus locis studiorum causâ confluentibus. Seruati multi in medio casu hæreticorum, & tenerioris ætatis, qui ex domesticorum licet improborum assidua consuetudine, ~~non modò non contaminarentur~~, sed etiam eos exemplo suo ad fidem Catholicam amplectendam permouerent, Nostris occultè confiteri soliti.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

EX eorum numero, qui anno præsenti Collegium incolebant, Sacerdotes assidui erant octo, Præceptores humaniorum literarum quinque: Reliqui in varijs domesticis officijs occupati. Prouinciam laborum suorum in agro hoc Lublinensi hæresum, schismatumque dimetis obsito, bifariam Socij partiti sunt, in ciues, & externos. In ciuitate præcipua muniorum Societatis opera in iuuenibus primò ad pietatem & bonas literas informandis: deinde in ipsis ciuibus verbi diuini prædicatione & sacramentorum administratione excolendis collocata est. Gymnasium scholarum angustijs numerosius fuit: ad splendorem quippe, numerumque iuuentutis plurimum conducit frequentia

Digitized by Google

frequentia nobilium virorum, qui occasione Tribunalium regni hic commorantur, & scholas nostras, actusque publicos sua præsentia cohonestare libenter solent. Virtutis ac pietatis semina in iuuentute, maioribus in dies assurgunt incrementis, præsertim Sodalitatis Parthenicæ, quæ hoc anno protulit aliquot varijs religiosorum ordinibus. Nec desunt quibus Societas etiam est in votis. In ciuitate concionator noster Societati amorem & auctoritatem non vulgarem domi foriſque conciliauit. Aperta huius rei signa concursus numerosi, eleemosynæ frequentes, crebra de rebus fidei consilia. Adhæc porrò humanitatis & amoris indicia Nobilium virorum (è quibus aliquot ordinis Senatorij numerantur) egregijs amoris notis erga nos concitantur. Quod tum ad fidem per Nostros propagandam; tum ad rem domesticam hactenus implicatam, quantum conducat facilè perspici potest. In religionis commodum illud inter alia actum. Quod dum Iudæi quatuor infanticidium luctuosissimum condigna tanto scelere pœna eluissent, ne turpitudo facinoris ad posteritatis memoriam tabulis publicis inferretur, cætera eiusdem gentis colluuies, alioquin tenacissima, nullis parcens sumptibus, auro profuso, causæ æquitatem animosque Iudicum perstringere laborabat; sed conatus illorum irritos, Dei fauore adiuta nostra fecit industria. Itaque enorme puericidium publico archiuio mandatum est, libris impressis postmodum orbi vniuerso detegendum. Profligata è ciuitate studio Nostrorum occasio quædam licentiosè viuendi, quæ multis exitio salutis extiterat, & in dies altiores radices agebat. Ex fœminis quæ pudicitiam vulgauerant, decem ex conclamato hoc ereptæ sunt incendio. Ad publicos carceres, & Nosocomia singulis penè hebdomadis Nostrorum mittuntur subsidia. Aegrorum inopiæ, & eorum quos pudor à quærenda stipe deterret subsentum. Multi Nostrorum indu-

Digitized by Google

ſtria à grauibus,ijſque diuturnis diſſenſionibus conquiê-
runt. Multa auri vis,partim fraude, partim inſcitia iuris,
adempta ad dominos ſuos redijt. Aliquot coniugum
malè copulatorum paribus perſuaſum vt legitimas nu-
ptias inirent. Ad eluendas totius vitæ noxas inducti pro-
pe 300.Plurimi qui vel nunquam, vel malè à multis an-
nis crimina detexerant,tandem integrè per confeſſionem
apud nos eluerunt.

NON ſegniori opera externis quoque latæ ſuppe-
tiæ.Leuartouia(id oppidi nomen eſt 4. leucis à Lublino)
inũdantis Arianiſmi fluctibus à multis annis agitata,Deo
opem ferente,ex naufragio tandem veritatis portum at-
tigit.Plurimos ibi videre eſt decrepitos auitam religio-
nem poſtliminio reuocatam,non ſine lachrymis comple-
xos,multos quadragenarios,ſacri fontis pœnitentiæ, a-
lijſque orthodoxis ſacramentis expurgatos, egregios in
corporibus effœtis animorum fructus producere. Tem-
plorum ruinæ reſtauratæ. Suppellex ſacra ſacris vſibus
accommodata. Salutatio Angelica pro more inſtituta.
Superſtitiones multæ abolitæ.Doctrina Chriſtiana intro-
ducta vt catechiſmus toto pene oppido perſonet.Ad quę
tam læta pietatis incrementa, exemplo ſubſidioque fuit
hęres oppidi,qui in ipſo propemodum mortis limine Ec-
cleſiæ Catholicæ per noſtros VVarſſauiæ redditus, & ibi-
dem vita functus eſt,magnis editis egregiæ conſtantiæ in
fide Catholica indicijs. Poſtea in huius oppidi templo
primario ſepultus fuit,vno ex Noſtris qui Lublino acer-
ſitus fuerat, magno nobilium tam hæreticorum, quàm
Catholicorum concurſu pro more patrię funus proſe-
quente.Duo ſupra 30.partim Arrianæ,partim Caluiniſti-
cæ impietatis vinculis irretiti in libertatem catholicam
ſe vindicarunt.In quibus vnus fuit, qui ſpiritum exhalans
aſtantem virum quemdam ſibi videre viſus, qui ſi perfi-
diæ venenum eijceret, ſanandum adſtruebat. Nec irritæ

viſio.

Digitized by Google

visio. Delatus extemplò curru ad Nostros, eiurat hæresim, vnde & mentis sanitas & corporis est subsequuta. Hunc & alius imitatus, qui ipsum ferè atheismum iam complexus fuerat, sed perfidam detestatus insaniam, fidem nobiscum complexus est, amorisque sui casulam pulcherrimam pignus apud nos deposuit. Ex Græci schismatis colluuie euasêre circiter sexaginta. De his vnus morte multandus, cum à Popo suo schismatico sacramentis de more munitus esset, intercedente Nostro, ad gremium Ecclesiæ per confessionem ab ipsis inferis & portis mortis reuocatus, vtramque vitam iam iam amittendam acquisiuit. Quidam rursus nomine tenus Catholicus, quem sua scelera ita præcipitem agebant, vt Turcismum meditaretur, Deo dexteram suam supponente, desperationem confidentia, confessione vni è Nostris facta, commutauit. Alius hosti à quo vtraque manu mutilatus fuerat, orante Nostro, frementibus amicis veniam delicti vltrò dedit non petenti. Inter paria coniugum propè decem sublatæ suspiciones, quæ perpetuas ferè discordias fouebant. Suam in nos beneuolentiam multi testati sunt, egregijs etiam eleemosinis ac beneficijs, quæ partim in pecunijs, partim in varia suppellectili donata, summam 2000. florenorum benè excesserunt. In ijs magnifici Domini Palatini Cracouiensis 500. florenos numerauimus.

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS CRACOVIENSIS AD S. STEPHANVM.

DOMVS hæc præter Nouitios quibus abundabat, aluit veteranos 11. è quibus erant Sacerdotes quatuor, reliqui domesticis officijs destinati. Nouitij quo plures erant eò acrius ad studium perfectionis mutuis sese exemplis accendebant. Vnus etiam egregium suæ constantiæ in sua vocatione specimen edidit. Erat is natus hæreticis parentibus, à quibus cum ad Collegium quoddam Nostrum, studiorum causa missus esset, non multò post hæresim execratus, ad Ecclesiam Catholicam animum addidit. Rem subodoratus Pater hæreticus, illicò aduolat, terret, minatur, omnes machinas ad expugnandum auertendumque à fide Catholica animum adolescentis admouet. Sed frustra. Re prorsus infecta, cum neque vllis persuasionibus filius cederet, neque cum parente impio redire vellet, solus tandem parens furijs agitatus, redire in domum suam coactus est. Mox verò idem adolescens in fide confirmatus, diuitijs etiã omnibus paternis, Christi paupertatem anteponere constituit. Societati nomen dedit, eaque alacritate domi nostræ sese in solitis probationis officijs exercet, vt fuisse aliquando imbutum hæresi nemo credat.

ERGA externos ad omnem pietatem imbuendos Nostrorum labor & industria sese non inutiliter exercuit. Rebelles aliquot filij Matri Ecclesiæ reconciliati sunt, qui vel hæreticorum, vel schismaticorum castra secuti fuerant. In his hypodidascalus quidam Lutheranus, qui exacta

Digitized by Google

acta iam ætate, licet ægrè pedibus sese regeret, in templum tamen nostrum venit, & sacramentorum Ecclesiæ publica perceptione fidem suam profiteri, & perfidiam vitæ præteritæ detestari voluit. Exculti exercitijs spiritualibus non pauci, fructu haud contemnendo Abbas inter alios vnus vir & nobilitate & professione sua clarissimus. Oratio quadraginta horarum pro publicis Ecclesiæ & regni necessitatibus in templo nostro habita magna hominum pietate & frequentia. Lites & inimicitiæ graues per Nostros sopitæ. A vita turpi sex fœminæ abductæ. Idem factum cum fœminis aliquot. Restitutio pecuniæ præstita: vna notabilis præter alias plurimas magni ponderis. Confessiones de tota vita duodecim auditæ. Sacellum nostrum ornatum hoc anno insigni altari nouo, cuius structura florenis prope quadringentis constitit. Aucta etiam eiusdem sacelli suppellex sacra varia non parui precij. Necessitatibus domus piorum hominum liberalitate subuentum est per eleemosynas sponte oblatas. Denique ad stabiliendam augendamque fundationem, duo viri nobiles, quorum corda Deus mouit, non parum contulerunt. Nam alter in hortum quendam suburbanum florenis septingintis à se in hunc finem comparatum, alter in pagum & prædium hæreditarium, quod annui reditus reddit ferè florenos 700. ius suũ omne Domui inscripsit, possidendum à Nostris post mortem illorum.

RESIDENTIA LEOPOLITANA.



CTO è Nostris hic locus & annus tenuit. Quinque Sacerdotes in re spirituali promouenda, & tres fratres in domestica occupatos. Cum iam à R. P. N. Generali permissum esset,

Digitized by Google

set, vt Societas Collegium in hac celeberrima Russiæ metropoli, si qua occasio sese offerret, acceptare posset, & nostri fundatorem desiderarent, hoc tandem anno excitati laboribus Nostrorum, & fructu eos consequente è præcipua nobilitate nonnulli consilium fundandi Collegij inierunt, & tum bona quædam immobilia, tum census perpetuos ad illud inchoandum liberalissimè obtulerunt. Nam magnificus D. Stanislaus Stanizki, quod iam pridem in oppido quodam Russiæ, quod iure hæreditario possidebat, meditabatur, mutato in melius consilio, Leopoli fundare Collegium apud se constituit, & hoc nomine villam suam hæreditariam Societati donauit, & quingentos præterea florenos annuos ex bonis suis Lissensibus assignauit & inscripsit, vt iam Collegium mille & amplius florenorum annuorum prouentum numeret. Huius exempla sequutæ duæ illustres matronæ Mielicciæ sorores germanæ, quarum vtraque maritis libentibus sortes suas in villis quibusdam duabus Societati inscripserunt, altera etiam adiecit decem millia florenorum circiter in idem opus. Quo in negotio singularis quædam diuinæ prouidentiæ dispositio obseruata est. Cum enim vtraque illa soror alia lôgè diuersa auxilia huic fundationi meditaretur, & antea aliquoties obtulisset, nec sua cõsilia hac de re altera alteri cõmunicaret, tamen hoc anno eodem penè tempore in longe remotissimis à se inuicem dissitæ Regni huius partibus, in earũdem villarum donatione & inscriptione Collegio Leopolienſi facta conuenerunt, vt videantur diuinitus fuisse ad hoc negotium permotæ: ne fortè vna pars villarum sine altera nobis donata aut paruo esset vsui, aut negotium deinceps non paruum faceſſeret. Non desunt alij primarij tum viri tum fœminæ, qui plura etiam præsidia ad fundandum & stabiliendum Collegium hoc promittant & offerant, vt spes sit magnis illud incrementis auctum iri, cùm primum de situ aliquo certo

certo constitutum fuerit. Interim pergunt Nostri in confessionibus, aliisque Societatis ministerijs consuetis fructu non contemnendo, quem tum in ipsa ciuitate, tum in missionibus varijs colligunt. Hæretici ad fidem & Ecclesiam Catholicam reducti quadraginta & plures. Russi à suo schismate 30. A Turcismo Christiani apostatæ 3. Ab eadem Mahometana impietate Scytha vnus, nunquam antea sacris Christianorum initiatus. Homicidis, vsurariis, concubinariis, & aliis facinorosis persuasa pœnitentia pluribus. Atque vt è multis exempla aliqua insigniora attingam: vir quidam nobilis natus & educatus in hæresi, nocturna visione admonitus ad Nostros se contulit, & ab iisdem in fide instructus, Deo & Ecclesiæ reconciliatus est. Alius item spectris in infirmitate exagitatus, & de sua salute iam desperans, per sacramenta à nobis percepta salutem mentis & corporis consecutus fuit. Non defuit, qui per varias hæreses, ad atheismum tandem spectabat, sed cum vni è Nostris animi sui æstus aperuisset, ad confessionem adductus est, & optata animi tranquillitate potitus. Quidam glande plumbea traiectus antequam è vita discederet, occisori suo crimen condonauit. Nobilium pariterque ciuium in nostros homines beneuolentia augetur in dies. Quod cum multis sæpè alijs indicijs, tum verò ijs potissimum, quibus P. Martini Laterna discessum in Sueciam, & obitum prosequuti sunt, abundè testatum fecerunt, nullum officij genus prætermittentes, quod erga viuum, aut mortuum à gratissimo quoque proficisci, aut desiderari potuit. Is enim totis septem annis magna omnium satisfactione concionatoris in hac Ciuitate munus cum obiuisset, euocatus tandem est auctoritate superiorum, vt Serenissimo Regi in expeditione Suetica à cõcionibus esset. In Sueciam infirmo admodum corpore appulit, vbi cum aliquantum ex maris tempestuosi iactatione respirasset, rebus ad pacem spectantibus, in Poloniam

Digitized by Google

nium rediturus, nauem iterum ipso die S. Michaelis Archangeli conscendit: die verò sequenti, dum ad promontorium quoddam ventos nauigationi opportunos expectat, à Piratis Caroliania, qui mare illud Balticum nondum infestare desierant, repentè inuaditur: naui in potestatem hostium redacta, statim capitur, & vnà cum reliquo Polonorum comitatu scaphæ impositus, atque in altum prouectus demergitur. Hic fuit finis laborum omnium optimi Patris, quibus nunquam satiari potuit, & ita sibi animos, præsertim verò Leopolensium, detinerat, vt vix filij parentis vel discessum, vel obitum dolere eatenus potuerint, quatenus illi doluerunt sibi ereptum.

RESIDENTIA TORVNENSIS.

QVATVOR è Societate in hoc loco degunt, sacris initiati omnes, qui scholis nondum erectis, ijs quæ sunt nostri instituti strenuè interim vacarunt. Triplex concio festis diebus singulis ad populum habita, duæ Polonico, tertia Germanico idiomate. Ad funera nobilium exhortationibus colonestanda non rarò sunt euocati Nostri. Catholicorum animi, quorum in hac Vrbe vires sunt exiguæ, & opes tenues, hoc anno nonnihil videntur esse erecti & excitati, tum ob supplicationes publicas introductas, præsertim eam quæ ipso die Corporis Christi (iam à 50. annis in Ciuitate hac hæretica non visa) magno Catholicorum solatio hoc primum anno publicè peracta est: tum ob constitutam opera Nostrorum quandam Sodalitatem, cuius est imprimis prouidere, vt SS. Sacramentum Eucharistiæ ad ægrotos cum omni reuerentia & cultu debito de

to deferatur; deinde vt tenuioribus Catholicis honesta sepultura non desit. Iniectus quibusdam scrupulus praua religionis, & inuenti 23. qui pristinis erroribus, quos cum hæresi imbiberant, nuncium remisere. Plures è Catholicis intermissa Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta repetiuêre. Multi de tota vita confessi sunt. Aliqui à falsa persuasione sui corporis à dæmone obsessi, abducti. Vir nobilis nuptiis apparatis in magna nobilium frequentia, sponsam depactam relinquere, quàm à Ministro hæretico copulari maluit. Nonnulli per somnium vt peccata eluerent confessione commoniti, paruerunt. Rudes catechismo instructi. Casuum explicatio, propter Ecclesiasticos qui hic superfuêre, hoc item anno suscepta non sine fructu. Scholas nostras desiderant plurimi, è nobilitate præsertim; sed timent vehementer hæretici, & sese præmunire volentes; Collegij sui spatia dilatant, augent ædificia. De accersendis è Germania hypodidascalis nouis cogitant; sed speramus conatus eorum omnes elusum iri, vbi primùm ludum nos aperuerimus.

RESIDENTIA VVARSZAVIENSIS.

COMMORANTVR in hoc loco Sacerdotes tres è Nostris, cum fratre vno Coadiutore temporali, præter duos Patres & totidem fratres, qui pro missione aulica sunt deputati, & residente Serenissimo Rege VVarszaviæ ipsi quoque cum cæteris eadem domo vtuntur in hunc finem comparata. Postquam Nostri hic pedem fixerunt factus est magnus ad eos concursus sacramentorum Eucharistiæ & Pœnitentiæ percipiendorum gratia, ita vt integris quatuor

Digitized by Google

tuor mensibus huius anni, vnus ex nostris 559. confessiones exceperit. Multi aliquot annis neglectam cõfessionem repetiuerunt, vnus etiam homo iam adulta ætate inuentus, qui nunquam eam antea fecerat. Hæretici quinque, Schismatici tres ad Ecclesiam reducti. Ciues nobiles suam in nos beneuolentiam multis amoris officiis testantur, nosque iuuerunt egregiè hactenus cùm in aliis multis, tum verò in situ & domo peropportuna acquirenda.

PROVINCIA ARAGONIÆ.

SVNT in Aragonia Prouincia, domiciliis distincti decem, Socij trecenti. Valentiæ in domo Professa vndequadraginta. In Collegio quadraginta. Totidem in Collegio Cœsaraugustano. In Barcinonensi triginta. Vno plus in Gandiensi. In Bilbilitano sedecim. In Gerundensi vnus & viginti. Vno minus in Turrasonensi. In Balearico viginti quinque. In domo Probationis Tarraconensi duodetriginta. Mortui quinque, è quibus Pater vnus, fratres quatuor. Admissi sedecim. Aucta Prouincia Vrgelitano Collegio, & domo Probationis Oriolana nuper admissis, necdum tamen incoli cœptis.

DO

DOMVS PROFESSA VALENTINA.



TSI ætate reliquis Prouinciæ Patribus antecedunt huius domus Sacerdotes magna ex parte, nihilo tamen inferiores sunt eis pietatis ardore, quem non conseruare tantum studuerunt hoc anno, verùm etiam augere: vt neque ætas ingraueſcens, neque inualetudo eos reuocarit à ſtudio vel orationis, vel mortificationis: quam ad rem mirum quantum attulerint adiumenti piæ P.N. Ignatij commentationes, quibus plerique tum Patrum, tum Fratrum ſeſe per dies aliquot excoluêre. Vnde is extitit fructus in proximos quà concionibus domi & foris habitis, quà ſacrarum confeſſionum frequentia, cæteriſque muneribus Societatis, vt magna diuinæ laudis materia ſegeſque non deſit. Vt trita præteream, concionatus eſt vnus è Noſtris in celeberrimo Vrbis templo, non minore cum fructu, quàm concurſu: argumento fuêre confeſſiones generales quàm plurimæ exceptæ cùm à Noſtris tum ab alijs. Monachus quidam affirmauit audiuiſſe triginta de tota vita confitentes, vbi minimus extiterat pœnitentium concurſus, qui concionatoris noſtri oratione permoti expiari cupiebant. Sublata per eam occaſionem publica ſcelera, & in ijs fœminæ cuiuſdam non ignobilis: quæ impuro famuli tenebatur amore vſque adeò, vt neque abhorrens à tanto flagitio famuli mens, quam videlicet ſtimulabant auditæ conciones, neque patris ſui obiurgationes aſſiduæ, neque grauior ignominiæ publicæ nota, neque metus diuinæ iuſtitiæ eius lenire animum poſſent, eoque progreſſa, vt à quo vitam ſecundum Deum acceperat, ei mortem, quam etiam pellici minabatur, inferre cogita-

Digitized by Google

ret. Concionator noſter re cognita, orationem in eam, quæ familiaris cuiuſdam perſuaſione tunc aderat concioni, tanta animi contentione & prudentia conuertit, ſicque rem omnem aperuit, vt crederet illa diuinitùs patefactam eſſe Patri noſtro vitæ ſuæ rationem: quippe qui tam apertis verbis exprimeret quæ in ipſius latebant animo. Victa denique venit ad nos, cumque Patrem ipſum, quem vehementer cupiebat, minimè reperiſſet, apud alium virus euomuit, & ad ſe, Deumque redijt, magno doloris ſenſu, cuius indices fuêre manantes ex oculis lachryma. Alia quædam mulier huic non abſimilis de honeſtiore vita cogitabat: obſtabat tamen vir primarius cuius illa amori & cupiditati ſeruiebat. Huic ſe ſociam & adiutricem præbebat mulier alia, quæ ignem cœcum magis accendebat. Sed tandem omnes impetum orationis, ac vim diutiùs ferre non potuerunt. Cum Sacerdos è noſtris oppidum ſatis celebre forte præteriret, quod inteſtina diſcordia duas in factiones diuiſum erat magno multorum periculo, multis licet diſſuadentibus, è ſuperiore loco verba fecit ad circunfuſam multitudinem, quam ſic permouit, vt vix pedem extulerint è templo, cum odium mutuum mutuo amore commutarunt, quin & ſtipem permagnam obtulerunt ad fundandum Societati Collegium.

EX confeſſionibus, inter alia, hæc in proximos manauit vtilitas, fœmina futuri matrimonij, vt ſit, ſpe decepta à viro, cui vxor ſuperſtes erat, ab ea fraude & ſcelere liberata. Reſtitutiones magni pretij factæ non paucæ. Catechiſmus à grauioribus & ſenioribus Patribus traditus paſſim per compita & plateas fructum attulit labori parem. Bis excurſum in oppida vicina, multaque geſta è re diuina. Valetudinarium publicum de more luſtratum ſingulis hebdomadis, vnà cum carcere, curatumque, vt qui recuperata valetudine, viribuſq; receptis ad vomitum redire

Digitized by Google

dire cogitabant, ij sese in officio continerent. Suus etiam ex Congregationibus perceptus est fructus. Equestris, quæ ab Spiritu sancto nomen habet, exemit è vinculis 370. singularis eorum apud ciues suos virtutis opinio, quæ ipsum etiam Proregem pellexit, vt interesset pijs eorum exercitationibus, magno virorum illustrium comitatu: ac diceret inde discedens, nihil sibi in vita accidisse iucundius. Reliquæ duæ nihil habent singulare. AEdificatio templi vrgetur strenuè mille aureorum accessione, quos Rex Philippus nobis dedit.

COLLEGIVM VALENTINVM.

VT mittam cæteros huius Collegij Patres ac Fratres, qui Theologiæ vtrimque dant operam, non minores in virtute quàm in doctrina progressus facere conati sunt. Dies aliquot pijs ex præscripto P. Ignatij exercitationibus fructuosè tribuerunt, stipem æstiuis diebus vicatim & per plateas obsoletiore vestitu corrogarunt, & popularibus immisti pauperibus atque mendicis ad ianuas cœnobiorum sumpsêre cibos, quæ omnia & alia id genus tanta animi alacritate & studio facere solent, vt fræno etiam egeant interdum. Ex horum numero duos euocauit in cœlum Deus, qui exemplo suo cæteris prælucebant, vnum quidem confecto iam studiorum curriculo, alterum verò iam ad metam properantem. Vtrumque religionis, modestiæ, & orationis laude florentem, ad quam etiam posterior quandam verberationem, & alia pœnarum sponte susceptarum genera frequenter adhibebat. Ex concertationibus literarijs tam externis, ad quas Nostri se conferunt,

Digitized by Google

quàm domesticis, quæ publicè fiunt, eam referunt laudem, vt Societati nomen, quod adhuc fuit apud Valentinos illi tueantur egregiè. Scholis publicis, quæ redeunte studiorum intermissorum labore habentur domi, non solùm interfuit ingens virorum doctrina ac religione præstantium numerus, sed ipse etiam Prorex vnà cum liberis sex. Catechismus explicatur in ampliore platea, quam explicationem excepit exhortatio ad concurrentem vndique plebem non infructuosa. Missi Patres duo ad finitimos pagos: principio quidem non admodum libentibus oppidanis excepti sunt, quippe quibus minus erat nota Societas, deinde tamen experimento docti aliud Nostris propositum esse quàm quod ipsi putabant, quod ad hospitalem pauperum domum diuertissent, & precario victitarent, eos amare & æquis auribus audire cœperunt, tantumque fuit in discessu relictum in omnium animis Societatis desiderium, vt leniri vix posset. Mirificus confessionum fructus. Discordiæ sublatæ: amicitiæ tam turpes, quàm periculosæ omnino discissæ. Domus etiam leuata ære alieno quo premebatur mille aureorum æstimatione.

COLLEGIVM GANDIENSE.

IN Academia nostra Doctoris in Iure Pontificio accepit insignia quidam è Censoribus rectæ fidei, & Philosophiæ Magister creatus est frater Ducis ipsius Gandiensis, qui disputationibus publicis crebrò solet adesse. De fructu concionum quæ in summo templo habitæ sunt, solemnis ieiunij tempore, & domi forisque cætero anno, nihil dicam, ne commu

Digitized by Google

communia fastidium afferant. Quidam sextum iam ac sexagesimum annum Confessionis abutebatur sacramento: sed resipuit tandem oratione Nostrorum. Alij quibus Nostri præesse non poterant, ne tanto bono priuarentur à sex septemque passuum millibus in Collegium confessionis causâ ventitabant. Exeunte anno passim Gandia aliaque vicina oppida ingentibus terræ motibus contremuêre: quo tempore ædificia nonnulla, & loci natura, & hominum arte munita cùm corruissent, nos Deus seruauit incolumes in domo non satis firma. Terræ verò motus vix credibile est quantos excitarint motus animorum. Solemni pompa omnium ordinum ventum ad nos, & nox integra in diuino numine precibus lachrymisque placando consumpta ante aram summam exposita ad solatium eorum qui aderant Eucharistia, expiati per eos dies Confessionis sacramento permulti.

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTANVM.

ERIPVIT nobis hic annus P. Alphonsum Romanum, virum non minus de sanctitate quàm de hoc Collegio, deque tota Prouincia benè meritum. Quinquagesimum iam annum in Societate egerat, singulari in rebus aduersis patientia, ardenti studio salutis communis, fide in Societatem non vulgari, & omnium denique commendatione virtutum. Præfuit huic Collegio cum aliàs sæpe, tum verò præcipuè cum excitata est in Societatem tempestas illa grauissima, de qua agitur in vita P. N. Ignatij lib. 4. c. 14. neque huic tantum Collegio, sed alijs etiam totique præfuit Prouinciæ. Obijt autem non minus longo quam doloris

Digitized by Google

pleno morbo confectus, vt singularis eius patientia enitteret magis. Præceptores duo conscientiæ nodos præclara casuum explicatione dissoluunt. Cæteri solitis muneribus vtiliter occupantur. Fœminis duabus prostitutæ pudicitiæ quæsita dos est, & aliæ non paucæ à præsenti periculo amittendæ pudicitiæ, ereptæ. Iacturam fecerat quidam bonorum omnium ludendo, eaque de causa socero & creditoribus vehementer erat infensus; sed vnius Nostrorum opera cum illis, & cum Deo redijt in gratiam, in eoque sacramentorum vsu perseuerat. Erat in vrbe dissidium maximè formidabile, cuius causam attulerat fœmina quædam nobilis: sed vnius è Nostris interuentu, cùm illa viro nupsisset à quo periculum imminebat, pax vtrimque composita. Matrona quædam illustris solet peruigilijs omnibus B. V. Mariæ, quam summa pietate veneratur ac colit, vnam in domum conuocare meretrices omnes, easque suis alere sumptibus ijs ipsis diebus ne re ipsa Deum offendant, quo tempore vnus è Nostris concionem habet ad illas, sæpeque fit vt multæ resipiscant, & ad domum deferantur conuersarum non multis ab hinc annis institutam.

ADVENTVS tempore missus ad Vrbem huius regni præcipuam Pater quidam, eos fecit animorum motus, vt iudices quererentur concionis tempore tribunalium solitudinem, & mercatores fori vastitatem: tantus videlicet erat omnium ordinum ad conciones, confessionesque concursus. Sodalitatibus impensè fauet Deus: vnum afferam è multis singulare. Præteribat forte sodalis quidam imprimis honestus pontem, quem Iberus subterlabitur, cumque quo vehebatur equus ex inopinato euentu, concitari ac ferocire cœpisset, equitem in alteriorem ponti crepidinem ita deiecit, vt excussus ex ephippio, sederet in summa trabe transuersa: quod diuinitùs factum esse nemo dubitauerit, si paulò attentiùs perpendat loci illius

Digitized by Google

illius anguſtias,equi ferociam,& periculi magnitudinem. Redijt ad ſe pius videlicet eques,animaduertitque ſe recitare tunc roſarium in honorem D. Auguſtini qui ſibi eo menſe in ſortitione Sanctorum obtigerat.

EXCVRSIONES duæ factæ ſunt, altera quidem in pagos duodeviginti,nemine non confeſſo, vt Paſtores etiam ipſi vltrò Noſtros adirent: & concubina,quæ in eo flagitio annum iam decimum quintum volutabatur, non ſine omnium offenſione, ab impuro homine,pagoque abducta, & reſtincto diſcordiarum incendio, quod inter Principes viros exarſerat.Altera verò in pagos ſex, quibus ferè omnibus ad eam diem erat ignota Societas,fructus idem qui in ſuperiore.

COLLEGIVM BILBILITANVM.

RELERIQVE Noſtrorum ineunte vere & autumno exculti ſunt meditationibus P. Ignatij: vnde alacriores ac vegetiores effecti ad domeſticos & externos labores pro Chriſti amore ſuperandos. Pœnitentium multitudini ſatisfacere Noſtri non poſſunt, diebus præſertim feſtis celebrioribus, primiſque ſingulorum menſium dominicis. Quadrageſimæ tempore concionatus eſt Sacerdos è Noſtris in præcipuo quodam huius regionis oppido non ſine vbere fructu, quem teſtatæ ſunt confeſſiones totius vitæ, pacificationes,reſtitutiones æris alieni, & alia non pauca, quæ ne ſingula proſequar, libens omitto. In vrbe verò noſtri ordinis ſtudioſa non defuit laboris ac fructus occaſio multiplex; orta diſſenſio in vno quodam è tribus Canonicorum Collegijs, quæ ſunt in Vrbe,multos offen-

Digitized by Google

derat, qui propter diei celebritatem eò conuenerant; sed vnius è Nostris, qui ab illis ipsis euocatus est, opera ita sublata est, vt mutuis amplexibus testarentur beneuolentiam & amorem internum. Eadem diligentia, pariqúe successu occursum est malo nascenti, quod in multorum dedecus & vitæ periculum ne serperet longiùs, Nostri non modò perfecerunt, sed etiam, vt comprimeretur omnino. Ciuitas ipsa omnisque finitima regio quæ 60. pagis continetur, plurimum Nostrorum pietati ac doctrinæ tribuit, vt nullus incidat nodus arctior, nulla quæstio difficilior, ad quam dissoluendam Nostros non adhibeant. In ijs Vicarius generalis, cuius est insignis auctoritas & opinio virtutis atque doctrinæ, Nostros sæpe de rebus grauioribus consuluit. Scholæ crescunt auditorum frequentia & commendatione doctrinæ. Sodalium numerus quotidie maior atque feruentior: inita demùm ratio qua Nostris breui migrare liceat in domum laxiorem & scholis aptiorem.

COLLEGIVM TARASONENSE.

NVMERVS nostrorum auctus hoc anno curriculo Philosophiæ. Omnium in vera pietate ac perfectionis studio mira contentio. Concionum domesticarum vberrimus extitit fructus, id quod ex pœnitentium confessionibus, in quibus generales multæ fuerunt, liquidò constat. In ipsis Christi Domini natalibus ferijs ad 600. cœlesti pane refecti sunt, quod est in tantula vrbe mirandum. Mulier quędam vitę profligatæ nocte quadă visa sibi est à cacodœmone compressis faucibus strangulari. Quę excita somno, ac subito horrore

horrore perculsa ad nos venit, magnoque doloris sensu totius anteactæ vitæ peccata confessa, honestam vitam instituit. Quidam mortuo repentè, quo vehebatur, iumento, dum die festo ad laborandum iret in agrum, graui quodam ex inopinato rei euentu timore perterritus in Collegium nostrum rectà contendit, ibique expiato per confessionem animo, timorem absterfit. Quidam alius procul à patria, egestate premente, apud se statuerat eum qui primus occurreret interficere. Expectans verò per aliquot horas viatorem aliquem, non offendit: cumque in ea cogitatione totus esset, vidit ob oculos equites duos lugubri veste ab summo capite ad imos vsque pedes coopertos, quo viso inhorruit ita vt neque posset se signo crucis munire, neque sanctissimum IESV nomen pronuntiare, neque diuinam opem penitus implorare: Interim illi summa festinatione præcurrere, visique ferre in medio procêram populum, quæ apice cœlum attingeret: hic verò tardius peruenit in oppidum quò tendebat, cumque ab eo non procul abesset, fœminam vidit saccum trahentem paleis refertum: eius verò aspectu mirificè recreatus subitò vidit illam in equitem conuersam, cui à tergo puer insidebat eodem corporis cultu quo equites illi priores. Tunc ille summa celeritate perrexit in oppidum. Sed propiùs accedens, spectrum qnæsiuit ab eo vnde veniret? quo respondente, discessit, hospitiumque in quod miser ille diuertit, omnino præterijt. Narrauit hospitibus quid sibi accidisset: eorumque oratione confirmatus ad Collegium nostrum rectà se contulit, ibique peccatorum onus cum timore deposuit, hodieque sacramenta magna cum animi voluptate frequentat.

ITVM etiam ad quatuor oppida concionum atque confessionum causa. Fructus in cæteris qui solet, in hoc verò præcipuus; quòd vxor, quæ viro manus afferre cogitabat, consilium abiecit suasu Nostrorum. Altera verò

Digitized by Google

ei sponte remisit iniuriam, à quo fuerat bonis omnibus spoliata. Alius etiam, cui in somnis obiecta est species quædam inferni, instar fornacis cuiusdam ardentis cum ab adstante quodam audiuisset, si vellet eam acerbitatem pœnarum effugere, oportere vt quas contraxerat peccatorum sordes per confessionem elueret, quod cum cumulatè præstitisset alterius vitæ initium est exorsus. Prædium ad laxandos Nostrorum animos coëmptum est 600. aureorum pretio.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

PIETATE Nostrorum atque opinione doctrinæ, quæ & Parochos diœcesis, & Vrbis magistratus, atque mercatores omnes ad nos de rebus suis consulendos inuitat, efficitur, vt Societatis splendor longè lateque diffundatur. Vt taceam quæ sunt cum alijs Collegijs communia, vtraque Congregatio feruet maximè. Ea quæ Scholasticorum est, varios in varias religiosorum familias misit, nostram expetunt quatuor. Quæ verò opificum, valetudinaria publicè frequenter obit, ęgros aspectu, oratione, opera consolatur ac recreat. Vinctis etiam in publica custodia non deest omni pietatis officio, ex eoque numero 30. vinculis absoluit, ære alieno, cuius causa detinebantur, coacta stipe persoluto. Sacerdotes duo aliquot huius diœceseos oppida non sine fructu peragrarunt. Auditæ confessiones de tota vita plus ducentæ, & in ijs multæ à quadraginta annis repetitæ. Societates duodecim quas turpitudo firmauerat discissæ. Coniuges à duodecim annis non legitimè, legitimo iuncti matrimonio. Pacificationes factæ 20. inter eos qui odio grauissimo dissidebant. Viri duo, qui propter

Digitized by Google

propter adulterij ſuſpicionem, de vxorum nece cogitabant, ab ea mente deducti. Alius etiam qui vxorem parabat occidere, quòd nollet turpis lucri cauſa aliorum ſeruire libidini, ſibi redditus. Duæ etiam mulieres formoſæ ad honeſtiorem reductæ viuendi rationem. Quidam aliquot dierum itinere confecto hoſtem expectabat, quem confoderet, ſed noſtrorum opera deſtitit ab incepto, generalemque confeſſionem inſtituit. Addam quiddam quod miraculi inſtar habetur. Puella quædam cum è lecto, vbi graui æſtu febrique iactata decumbebat, audiſſet, quæ de Patrum noſtrorum concionibus, deque Iobileo prædicabantur, rei cupiditate vehementer incenſa, eos ſpiritus animumque ſumpſit, vt templum adiens ſemel, iterumque, morbo liberata domum redierit.

COLLEGIVM GERVNDENSE.

PROPTER ſummas domus Tarraconenſis anguſtias huc miſſi ſunt Nouitij octo, ſicque noſtrorum numerus creuit hoc anno. De pietate erga Deum legumque noſtrarum cuſtodia nihil dicam. Miſſas facio totius vitæ confeſſiones ab vno dumtaxat 80. & eo plures exceptas. Vinctorum animis corporibuſque conſultum. Animam ferè agebat quidam in Valetudinario publico nunquam ritè confeſſus, quòd vereretur ne ſacerdos peccata detegeret, affuit in tempore vnus è Noſtris, cui cum aperuiſſet omnia quæ tamdiu occultarat, illicò ſpiritum Deo reddidit, magna ſpe veniæ ſalutiſque concepta. Quidam alius ad huius Valetudinarij portum appulit, grauiſſimis terra marique periculis defunctus, idque planè diuinitus. Nam cum mi-

le-

Digitized by Google

les esset ab hæreticis captus, & rectam fidem à qua contubernales suos defecisse videbat abiurare iussus, nullis neque minis, neque verberibus dimoueri vnquam potuit à proposito. In his tormentis nihil magis cruciabat animum, quàm blasphemiæ quas Christiani nominis hostes impuro in Christum dominum ore, eiusque matrem euomebant. Biennium egit in carcere innumeris malis ærumnisque confectus: cumque die quodam ex sæua verberatione defessus sese in preces effudisset ardentius, & B. Virginis opem imploraſſet vehementiùs quàm solebat, sensit se vinculis solutum omnibus, quare ad maris littus, quod non aberat longius, suis se pedibus contulit: quo cum veniſſet ignorans primùm quid consilij caperet, quod artem nesciret natandi, quasi diuino, vti credi potest, actus impulsu se mari commisit. In medijs verò fluctibus fultus ope, vt ipse narrabat matronæ cuiusdam pulcherrimæ, in contrarium littus tandem euasit incolumis, indeque terrestri itinere eum quem dixi locum tenuit, vbi Sacerdoti nostro confessus, gratias immortales Deo, Deiparæque agens, statuit vt primum ex morbo conualesceret, ingredi religionem. Duo qui legitimorum cõiugum more viuebãt, ex Ecclesię præscripto, occultas sed legitimas nuptias celebrarũt. Vxor quod turpiter viueret, infensa marito, mutata velificatione cũ eo redijt in gratiam. Dici nõ potest quis sit omnium sensus de virtute ac doctrina nostrorum: testes sunt crebrę consultationes de rebus ad animum pertinentibus. In ipsa verò synodo voluit Præses duos è nostris adesse, vt si quid difficultatis occurreret illorum consilio, arbitrioque statueretur quid facto opus esset. Quin etiam Episcopus qui nuper adlectus est, nostri ordinis amantissimus Nostros sæpè adhibet in consilium, quorum hortatu perfecit vt domus infamis, quæ tetrum odorem in proximum sibi Collegium diffundebat, aliò magnis superatis difficultatibus transferretur.

Digitized by Google

ferretur. Ex missionibus incredibilis planè perceptus est fructus. Confessiones totius vitæ exceptæ 500. adolescentes duo adducti nostrorum opera, vt fidem quam violatis virginibus dederant, soluerent. Nonnulli matrimonio ritè coniuncti. Alij venenum abiecerunt, quod ad necem paratum habebant: alij quibus propositum erat inimicis adferre manus, ab ea mente destiterunt. Curatum ne libellus famosus ad multorum infamiam prodiret in publicum. Iniuriæ publicæ mutua voluntate & amoris significatione remissæ. Superstitiones quibus errore mentis tenebantur multi sublatæ: quæ omnia & alia permulta quæ consultò prætereo, quàm fuerint Deo grata testatur ipsa fundatio Collegij: quæ & domus & scholarum ædificium mutauit, quam ad rem emptæ sunt ædes domui nostræ continentes vnà cum horto liberalitate fundatoris. Ad templi cultum & bibliothecam locupletandam multum profuit cum aliorum erga nos benignitas, tum verò potissimum fundatoris ipsius, à quo centum nummos aureos accepimus præter cætera.

COLLEGIVM BALEARICVM.

NIHIL dicam de Societatis nostræ muneribus, in quibus non minus apparet nostrorum diligentia quàm in cæteris Collegijs. Illud attingam de cœtu nobilium, florere nimirum quotidie magis & numero Sodalium & auctoritate. Quatuor ex ijs consulari munere functi sunt hoc anno. Prorex etiam interdum præsentia sua eandem Sodalitatem cohonestat. Carcerem publicum & valetudinarium frequen-

Digitized by Google

frequentes obeunt,& tam ægros quàm vinctos oratione, cibis quos ipsi suis inferunt manibus, & pecunia consolantur. Quo factum est vt multi vinculis sint exempti. Duo ex eorum numero virtutis exemplo & nobilitate principes tabulis publicis consignari voluerunt remissionem iniuriæ quam acceperant ab ijs, à quibus mortiferis fuerant affecti vulneribus. Ex altero verò cœtu scholarium fructus capiuntur minimè pœnitendi: parit enim quotidie viros & virtutis & doctrinæ splendore conspicuos,non modò clero,verum etiam religiosis ordinibus. Duodecim alijs, duo nobis adiuncti:quibus tertius accessit Theologiæ doctor: qui propter doctrinæ ac probitatis existimationem non vulgarem,creatus erat Officialis ac Vicarius generalis huius diœceseos,vir plane singularis in quo multi spes suas collocarant, & in ijs Episcopus, qui vt sibi esset adiumento Pontificia eum ornari dignitate cupiebat. In missionibus inter alia ad Dei gloriam & animarum salutem gesta præclarè, illud effectum, vt omnes de Societate benè sentirent, & honorificè loquerentur,cum alij dicerent eiusmodi sine dubio morem Apostolos tenuisse in hominum ad Christi fidem, & bonos mores conuersione:alij verò fore,si diutius ibi Nostri remanerent,vt cuncti vitæ sanctitate florerent. Quin etiam Patres Dominicani pro concione laudabant Societatis institutum, & explicationi Catechismi frequenter intererant.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS.

QVAMVIS illud in primis huic domui propositum sit, vt tyronum mores ad Societatis institutum & veram pietatem informet; quo in genere desideratum est nihil: non definit tamen externis prodesse quoad potest. Nam & multorum tam domi quàm foris confessiones audiuntur, & pagi vicini de more lustrantur. Archiepiscopus visitaturus dioecesim duos è nostris adduxit secũ. Traditur catechismus varijs in locis à tyronibus, diebus præsertim dominicis. Ad Vrgelitanam etiam dioecesim manauit vtilitas, quo profecti Patres duo trimèstri spatio incultos eius gentis mores coluerant. Totius vitæ confessiones audiţ ad 400. Excitatus pietatis ardor in frigidis multorum animis.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA CASTELLAE.



COMPVTAT hæc Prouincia Caſtellana Socios quingentos & viginti; Sacerdotes ducentos viginti ſex, reliquum ex hoc numero fratres ſunt partim ſtudioſi, partim operoſi. Mortui triginta, de quibus ſuis in locis. In Societatem admiſſi ſex & viginti, quorum alij Scholaſtici, alij domeſticis officijs mancipati. Prouinciæ domicilia duo & viginti, de quibus hæc aget Hiſtoria, etſi Areualenſe & Legionenſe tacentur. Nam licet multa in vtroque acciderint digna quæ in Annales referantur, tamen propter rerum ſimilitudinem vitanda ſatietas fuit, & lectorum, auditorumque faſtidio conſulendum.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VALLISOLETANA.

VIVVNT triginta sex, Patres octodecim, à quibus Nostræ Societatis ministeria grauiter exercita, illudque in eis nouum quod externis Grammaticæ discipulis, quos mercenarij Præceptores erudiunt, salubriter à Nostris consultum est, adhortatione publica eorum accommodata moribus. Restituta per Nostros plurima, sed quod vni cuidam redditum est propter pecuniæ magnitudinem prætermitti non debuit. Sacræ fidei Inquisitoribus ita Nostrorum probatur opera, vt ab eis frequenter adiuuari velint. Et quia grauissima necessitas vrgebat annonæ, Nostrorum eluxit charitas, per quos multi egentes, quibus ipsa mendicitas pudori est, cocti panis remedium inuenerunt. Contigua nostris ædibus coempta domus aureis plus mille trecentis, illo donante, qui de nobis benè mereri non intermittit, neque suum nomen declarari patitur. Aspicit enim in cœlum, atque ideo se vocari non sinit in terris. Ad animum ex continuo labore recreandum hortus emi cœptus precio gratuito illo quidem, & à misericordia prouiso. Tabernaculum speciosum ad Christi corporis sacrosanctas ferias magnificentius celebrandas institutum apparatumque est, illorum tamen sumptibus, qui erga Nostros liberales esse solent, Deique cultum promouere student.

Digitized by Google

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

SEX & quadraginta Ambrosiani huius Collegij Conuictores numerati, ex ijs multi variae letudine vsi incommodâ. Obijt frater Petrus Garcias Collegij perantiquus adiutor, & vir religionis memorandæ. In curandis ægrotis excelluit, & Collegij ianitor diuturnus, ijs qui fores impellerent gratiosus. Octauo Kal. Iulij (quem diem Iacobo Apostolo Hispaniarum patrono mater Ecclesia dicauit) fundationis memoria renouata est, quòd has ferias Illustrissimus Trascallensis Episcopus Collegij Fundator elegerit. Sacri magna celebritas. Pater Rector concionatus est, audientibus ex præcipua nobilitate, & ex Regio Senatu permultis. Non minor in Diui Ambrosij Collegij patroni ferijs celebritas fuit, præsente Vallisoletano Antistite, qui nostris rebus maximè fauet, audientibusque ex Regio iudicio non paucis. In Theologiæ, Philosophiæq; studijs nulla remissio. Artium (vt vocant) cursus alter est additus in Anglorum gratiam. Ad pluuiam, quæ maximè desiderabatur, impetrandam Nostri publicam pompam communi Religiosorum omnium exemplo instituì debere censuerunt. Ergo Collegium cum professa domo se coniunxit Patrum Fratrumq; numero admodum copioso. Itum est per vias publicas, obstupescente præ lætitia populo, & Vrbis Senatu publica Nostros persona persequente. Nostris ad D. Mariæ insignem quandam Parochiam contendentibus Diui Francisci sanctissimæque Trinitatis cœnobia recto cursu transunda fuerunt; itaque ab vtriusque cœnobij monachis religiosa excepti pompa ad Deiparæ templum, quò intenderant magno cum Nobilium comitatu

Digitized by Google

tatu peruenerunt. Similiter in Philippi Regis funere pompa tristis à Professa domo Collegijs adscitis ad templum perducta maximum, ac vespertino exequiarum & matutino Sacri cantu Regi optimo parentatum. Collegij multorum annorum angustiæ tandem aliquando laxatæ, coempta domo nostris ædibus coniunctissima.

COLLEGIVM ANGLICANVM Vallisoletanum.

IN Anglorum Seminario decem Nostri commorati, ex ijs Frater vnus mortuus, cuius sanctitatem alumni ipsi mirabantur. Eius loco trés Angli in Societatem admissi; Anglicani conuictores censi quadraginta trés, qui studia sollicitè tractant, & quo sint ad virtutem aptiores, spiritualibus sese commentationibus excoluerunt. Ex ijs vnus propter insignem eruditionem in Philosophia magister, in Theologia Doctor effectus, Anglicanum hoc Collegium omnium primus his honoribus illustrauit. Quinque sacerdotes post studiorum curriculum de more in Angliam amandati. Toletanus Archiepiscopus Gaspar Quiroga morti vicinus, huic Collegio annuos mille aureos sponte legauit, quorum primus fructus hoc anno legi cœptus. Qui regio consilio præsidet, Philippo ipso iubente, ad omnes tum ciuitates, tum earum Episcopos litteras dedit, quibus causas exposuit, quæ Catholicum Regem impulerunt vt horum Seminariorum patrocinium susciperet. Factumque est vt quos Episcopi antea diligebant, nunc etiam ament. Et quidem Vallisoletani concionatores in Anglicanos alumnos ea laudum ornamenta congesse-

Digitized by Google

runt, quæ sine ingenti pudore audire ipsi non poterant. Templi maior capacitas est, & ad diuina officia peragenda commoditas. Per duos menses Philippo mortuo Collegium iusta persoluit, nono tamen Decembri die, multo celebrius parentatum, inscripti cenotaphio Græci versus, Latini, Hispani, Angli, Gallici, & emblematum eruditæ picturæ appositæ. Habita quoque funebris oratio, quam auditores ingenio & auctoritate præstantes valde approbarunt. Duo alumni ad Philippum hoc nomine tertium missi, qui extincti parentis primò tristitia significata, nouo Principi de Regno gratularentur, quos ille cum benignè accepisset, patris in Collegium beneficia confirmauit.

COLLEGIVM MEDINENSE.

HABITANT octo & triginta, illo excepto qui villæ custos est. Patres tredecim, fratres Dialectici totidem, latinitatis Magister vnus, reliqui domesticis addicti muneribus. In ferijs D. Lucæ audita oratio diserti Fratris, qui Dialecticam, & naturalem Philosophiam luculento sermone laudauit. Nam Pater Prouincialis in hoc peramplo Collegio eas artes, quæ sacræ Theologiæ præmittuntur, doceri voluit à præclaro Magistro, discipulosque elegit ex ipso flore Prouinciæ, quorum & in literis, & in virtute assiduæ exercitationes duo nobis gymnasia, alterum pietatis, & religionis, sapientiæ alterum repræsentant.

Vallisoletanus Antistes cum Medinam tanquam in suam possessionem veniisset, quæ Abbati proprio parere solita, Vallisoletana diœcesis est facta, lepida comœdia à

Nostris

Digitized by Google

Nostris exceptus, hoc sæpe Collegium inuisit, seque Nostri studiosum præbere non destitit: amat enim Societatem, & quia frater cuiusdam nostri est Patris, & quia Societatis meritorum æstimator verus.

COLLEGIVM SALMANTICENSE.

DEGVNT quinquaginta sex, Patres decem & septem, Fratres Theologi quindecim, Philosophi octo, reliqui adiuuantes. Mortui duo ex opera domestica non minus religionis quàm sedulæ actionis florentes laude. Sacerdos vnus migrauit ad Dominum Petrus Guzmanus, Theologiæ in hoc Collegio perdoctus interpres & cunctis morum lenitate charissimus. Iacturam duodecim fratres admissi resarsierunt, omnes literarum cultores vno excepto, qui domesticis est operibus destinatus. In concionibus eadem quæ solet esse frequentia, in confessionibus nulla omnino decessio. Quadragesimæ exempla quàm fructuosè narrentur exemplo est confessionum totius vitæ crebritas, vitæ religiosæ ineundæ consilia, cucullatorum in varijs cœnobijs hac de causa multitudo. Vnusque noster Nouitius his historijs tantum beneficium refert acceptum, quarum vocibus se à Deo vocatum esse ad Societatem confitetur. Alter vbi quæ referebantur audiuit, ita compunctus est, vt statim adito Patre qui narrauit eidem, sua sit peccata confessus. Concionum celebritas cum ex alijs, tum ex virginis cuiusdam facto cognoscitur, quæ nobilis propinquo nobili iam iam nuptura, permissionis Pontificiæ diplomate allato, tamen audita Nostri concione ad eas se Virgines sacras contulit, quæ nudis pedibus gradiuntur, reclamantibus quidem virginis cognatis, sed populo ap-

Digitized by Google

plaudente, illisque approbantibus, qui suis quæque momentis ponderare solent. Quidam ex ordine Patriciorum & diues & ætate florens, cum se domi nostræ exercuisset, & sacerdotium, si quidem vxor obiret, animo concepisset; ea non paulò post mortua propositi memor, sacros ordines suscepit, & vitam agit nascentis Ecclesiæ Præsbitero dignam, ciuitate admirante.

SODALITAS purissimæ Virginis in dies floridior ascriptis Doctoribus Magistris, collegis maiorum insularum: sunt etiam in Sodalium ordinem cooptati ex auditoribus Academiæ nobilium quique, & Dynastarum filij. Accessit ad maximam commendationem Sanctissimi D. N. Clementis VIII. Iobileum hoc anno Congregationi Partheniæ concessum: per ampla strata exedra Congregatorum consultationibus, quæ cœtum omnem commodissimè capit, vt & cohortationes audiantur, & sacramenta Sodales seorsum & quietè percipiant. Feriæ sacrosanctæ Virginis, quo sint celebriores, & litaniæ modulatiùs cantantur; inter primarios ipsis optantibus distributæ. Die conceptæ Deiparæ sacro habitis comitijs Præfectus electus Canonicus quidam Hispalensis, qui nunc Salmanticæ viuit, homo eruditus, & munere illo dignissimus, reliqua item officia conuenienter alijs demandata. Propter mauditam famem, quam hoc anno Castella passa est, multi externi Salmanticam conuenerunt egestate cogente, nec deerant ex incolis multi ad extremam inopiam redacti, sed Dei consilio quidam diuites partim laici, partim ex clero omnes mendicos in Hospitium commune compulsos cibo singulis noctibus recreabant. Nostri prima nocte conuiuij ibi adfuerunt, & ex illis quos ante cœnam confessione expiarunt, tres manè inuenti sunt mortui, qui sine dubio Nostris non venientibus sine confessione decessissent. Itaque hoc admonitu nulla nocte Nostri non adsunt, adulcosque audiunt, paruulos

Digitized by Google

unlos eruditunt, multaque alia in tanta miserorum turba salubriter exequuntur.

ETSI collegij Salmanticensis plena & copiosa messis non patitur, vt hinc ad alia loca nostri operarij more Societatis excurrant; tamen hoc anno missi duo Nostri Lamiam, quę vulgò Ledesma dicitur, laborem quàm optimè locauerunt. Nam in hac Vrbecula nobilibus referta ita fructuosè egerunt, vt ciues, qui Collegium expetentes per facultates id assequi non poterant, saltem missionum stabile domicilium promiserint. Confessiones generales tam Lanciæ, quàm in eius municipijs plures fuêre ducentis: imperitat Lancia trecentis sexaginta sex pagis, quorum plerique ita inculti sunt, vt nec concio, nec catechismus in eis auditus esse à multis annis memoretur.

COLLEGIVM ABVLENSE.

ALVIT hoc anno viginti sex, Patres sedecim, reliquos Fratres. Fructus cum externis copiosus, illeque nostris præcipuè gratus ex horrido, & inculto solo eorum hominum qui reliqui ex Mahumetana illa perantiqua colluuie veteribus Christianis semper fuêre suspecti, & quoniam huius farinę in hac Vrbe multi erant, multa sæpè tentata ab Episcopis, Parochisque remedia, frustra tamen adhibita. Nam neque conciones audiebant, neque sacramenta frequentabant. Enimverò quidam noster huiusmodi libertinos reducendi bonus artifex, Sodalitatem instituit, quæ homines ex media plebe coniungit, eisque decalogum explanat. & fidei mysteria, cum Hispanis opificibus, illi quoque aggreganțur, qui ex Mauris oriundi suam religio-

Digitized by Google

nem Parochis & Pastoribus probare non solent. Ad vtrosque singulis dominicis concio habetur: alacriter ipsi Semiarabes audiunt, ignorantiamque deponunt earum rerum, sine quibus salui esse non poterant. Domi quoque nostræ eisdem Dominicis pomeridiano tempore, centum & quinquaginta ab eodem Patre priuata monitione instituuntur, ex quibus multi Mauri genere sunt, discunt Nostro præcipiente quemadmodum aperienda peccata sint, & explorandâ confcientia, sectandæque virtutis & fugiendæ turpitudinis remedia traduntur: quin & publica hospitia & nosocomia ex Sodalitatis lege visuntur, vt non solum fide, sed etiam charitate se Christianos professi cælestem regnum assequantur. Societatis exercitijs initiati non pauci in his quidem cænobira concionibus & laurea magisterij pernobilis, & qui suæ familiæ præstantioribus monasterijs sæpenumero præfuisset, qui cum se confessione vitæ totius expiasset, statuit orationem virtutum omnium fautricem nunquam omittere, eamque suis seriò commendare decreuit. Bene nummatæ quædam virgines, ipsique mundo mirabiles, Nostrorum ductu, ei se cœnobio dicarunt, vbi calceorum nullus est vsus. Duo nostri Sacerdotes dioeceseos multa oppida perlustrarunt, & Iobileum à Romano Pontifice his Missionibus concessum promulgantes, omnium, qui idonei essent, confessiones & multorum generales audierunt, plurimorumque vitam & mores renouarunt. Nullus est pagus qui non eorundem Sacerdotum reuersionem efflagitet, duoque Castella nobilioris frequentiæ à Patre Rectore concendunt. Is ergo huius messis copia inuitatus per vniuersam Abulæ ditionem operarios mittere consueuit, neque desunt, qui se ad hoc munus libenter accingant. AEgidius Gonsales d'Auila, & Gutmanus Hierosolimitanus Ducis Ioannis sacræ militiæ crucifer, cum superiori anno ducentas tritici farecas, qui maiores quidam sunt modij,

Collegio

Collegio dedisset, hoc anno casulâ & altaris textile dedit, stragulum trecentorum munus aureorum: idem bis mille donauit argenteos peruulgandæ typisque mandandæ P. Francisci Xauerij vitæ felix initium, quæ ex Latino in Hispanum est conuersa sermonem. Quidam nostris benefícus, mille aureos in illo fœnore posuit, quem censum appellamus, vectigal annuum Collegij erit post obitum donatoris: idem cogitat quingentos addere.

COLLEGIVM PALENTINVM.

VIGINTI quinq; numerati. Patres vndecim, fratres Philosophi sex, cæteri in quotidianis muneribus occupantur, in Societatem adiutor vnus adscriptus. Palétini noui Episcopi primus in Collegium aduentus Philosophicis positionibus & præuia gratulatione celebratus, gymnasium Latinis, Hispanisque poëmatis ornatum est; vtrorumque argumentum Præsulis dignitas, & quòd Nostros sua præsentia honestare voluerit grata laus. Legit Episcopus & Nostrorum voluntatis professionem in maximis bonis numerauit. Vir honestus è quodam Palentinæ Vrbis municipio cum se à quibusdam notatum doleret, & infamia commotus Palentiam venisset, questum de iniurijs, neque res ex animi sententia caderent, cœpit esse tristissimus & de suspendio cogitare. Hæc animo versanti quidam habitu viatoris occurrit & prior ita mœrentem affatur, Apparet te esse commotum, explica sodes quæ te cura sollicitat: non dubito quin in me agéte aliquid leuationis inuenies: dũ hæc & alia fictus consolator eloquitur, in medio se ponte vidit, qui leuæ existimationis detrimenta deplo-

Digitized by Google

rabat, cum viator, vel potius veterator, Remedium si quæris, in promptu, inquit, est, præcipitium ex ponte: consiliumque pestiferum, mentiendi & fallendi artifex dæmon, rationibus vrget captiosis. Miser homo specie fluminis subterlabentis illo suasu perterritus, signo se crucis armauit, & IESV Medicinam appellauit. Vocatus accurrit, & quid facto opus esset interior admonuit. Itaque memor eorum bonorum quæ IESV Societas humano generi comparare solita est, in Collegium venit, & accersito Patre cùm omnia exposuisset, malorum portum inuenit.

VRBIS Senatoribus cum Ecclesiæ Palentinæ Canonicis magna fuerat & pernicioſa dissensio, deque processionibus & Iurisdictione multorum annorum certamen multis interuenientibus finiri non poterat: sed Dei singulari opo & auxilio, P. Rector ab altero nostro aduitus, negotium ita transegit, vt nulla iam in posterum discordia metuenda esse videatur. Diuina apud Nostros meditatio cum alijs tum Religioſi duo, qui se duces alijs præbent eiusdem gustandæ dulcedinis. Insigne templum prope absolutum est, ad fastigiumque perductum.

COLLEGIVM BVRGENSE.

ALVIT viginti sex, ex quibus Patres quatuordecim, in Iterensi Villa Sacerdos est vnus, duoque coloni fratres. De hoc tamen Collegarum numero facta decessio est vrgente pauperie, quę ad Senatum Vrbis relata omnium animos permouit; nam præ inopia operarij aliò mittendi erant, & vix octo domus incolæ retinendi. Ergo Ciuitas iacturæ consuluit, ipso

ipso magistratu duce mille quingentos aureos priuata publicaque eleemosyna corrogauit, qui ad trium annorum sumptus nostris erunt singulis hebdomadis partiendi. Societas ne tanto se beneficio præberet ingratam, operarios qui necessarij essent, se retenturam promisit, neque vt cogitauerat Latinitatis gymnasium occlusit, quo bene meritæ Vrbi grata redderetur. Ipseque Illustrissimus Archiepiscopus tantum pecuniæ suppeditat, quanta opus sit ad tres nostros humanitatis Magistros sustentandos: quin etiam Vrbis Senatores de amouendo literario ludo cogitant, cui præfectus Doctor externus, vt illud nobis vectigal accrescat: similiter Burgensis Ecclesia quendam suum præceptorem in eundem finem tollere studet; & quidem vtraque res in Regia curia sollicitè agitur. In Societatem cooptatus est vnus Latinitatis auditor, quem parentes & nobiles & nostri studiosi, Deo libenter obtulerunt. In castello finitimo quidam ex equestri ordine sinistra suspicione deceptus, sponsam, & nobilem, & insontem iugulare statuerat: id vbi Pater Rector est odoratus, eò se contulit, & bidui spacio sponsi animum tranquillauit, incendiumque inimicitiarum maturè restinxit, quod inter sponsi sponsæque propinquos ardere iam coeperat. Cum duo alij viri pernobiles perniciosè iurgati essent, & alter alterum lethali ictu sauciasset, vnus Noster audita confessione percussi, eòque ad moriendum benè animato, vulneratori veniam impetrauit, dissensioque suppressa quæ vtriusque cognatos grauiter perturbatura esse videbatur. Quatuor fœminæ ex lupanaris cœno retractæ in vitæ honestate perseuerant. Quidam noster orbis puellis, quas habet multas hæc ciuitas, tutum domicilium comparauit, earumque tum solitudini, tum pudicitiæ charitate verè Christiana prouidit. Quidam Collegij fautor ad Christi Domini nostri corporis sacrosanctas ferias celebriùs agitandas idoneam

eleemo-

Digitized by Google

eleemosynam largitus est: tantum denique contribuit ad lampadis oleum quantum sufficit, vt ante diuinæ Eucharistiæ tabernaculum appensa continuò colluceat. Matrona item Collegij amans aureos trecentos & quinquaginta donauit sacræ suppellectili renouandæ.

COLLEGIVM SEGOBIENSE.

DE numero incolarum, deque cum externis messe copiosa, & domestico opificum plurimorum catechismo, atque eorundem Sodalitio fructuoso nihil est noui. Vetus quædam ablata discordia inter nobiles Segobiæ ciues, & mediæ Vrbis incolas, & inter mercatores, qui habitant in suburbanis, qui etsi homines noui, tamen freti diuitijs cum antiquioribus de potentia certabant. Timor erat non leuis, ne dissidium cæde quorundam; & grauissima Dei offensione funestum fieret, sed diuina bonitas Societati hoc dedit, vt per eam omnis contentio sedata quiesceret. Nam vtraque pars negotium Societati omnino permisit, nosterque vnus delectus quasi arbiter litis odiosæ, rem feliciter consummauit. Villæaltrinensis excursio, ad oppidum frequentissimum opinioni, & expectationi respondit, præter conciones concursu plenissimo, quarum vix numerus iniri possit, Ecclesiastici cum laicis firmo fœdere sociati, & lis antiqua, composita quæ malè habebat vtrosque.

COL

COLLEGIVM NVMANTINVM.

FVNCTIONES Societatis propriæ diligenter obitæ, in custodijs publicis labor ingens; nam remigio addicti ex varijs locis huc catenati mittuntur, quos Nostri pro viribus erudiunt, & ad legalẽ illam seruitutem sceleribus debitam fructuosè ferendam adhortantur. Quidam perditè vixerat, & digito notabatur; at vbi se ad orandum recepit, & domi nostræ diuina commentatus est, singulari vitæ correctione publicam infamiam publico laudis præconio mutauit. Virgo non minus honorata, quàm inops, Nostrorum suasu à quodam pecunioso dotata, ex naufragio pudicitiæ quod timebatur euasit.

NOSTER vnus Sacerdos ad varia oppida excurrens & multa gessit, & illud in primis quòd fœminam publico adulterio infamem, à pellicatu deterruit, & post generalem confessionem in templo hominibus referto quos diei festi celebritas coëgerat, Eucharistiam sacrosanctam populo applaudente percepit. Alteri idem Pater opportunè succurrit, quam penuria ipsa cuiusdam diuitis fecerat concubinam, conniuente ad flagitium matre, cuius inopiam filia turpissimo quæstu subleuabat, non sine vulgi offensione & mariti iniuria, qui adulteri potentiam reformidans, quò se verteret, nesciebat; itaque viro reddita in Dei obsequio perseuerat, & ne relabatur, vtrique necessitati Pater occurrit. Perillustris Ferdinandi à Padilla fundatoris, ex Oxoniensi, (cuius Prior erat) Ecclesia cathedrali, in nostrum templum honorifico Vrbis illius Optimatum comitatu, sunt ossa translata, occurrentibus Proceribus Numantinis, exequiæ hîc ea pompa celebratæ,

Digitized by Google

tæ, quam Ferdinandi conditio, & in Societatem charitas deposcebat. Recondita ossa in elaborato tumulo, & ad dexteram altaris partem collocata. Obijt Frater Franciscus de Belasco admodum senex; ætatis quippe annos tres & septuaginta compleuerat, ex quibus in nostra Societate quatuor & viginti consumpserat, Collegij procurator antiquus, qui cum matrimonio colligatus olim fuisset, & ex vxore quatuor filios suscepisset, illa mortua, binisq; liberis extinctis, se & duos reliquos Societati mancipauit, cum iam annis quatuordecim petiuisset. Nam quia duo filij paruuli erant, dum adolescerent expectauit, vt ad eam peruenirent ætatem, quæ religiosæ militiæ idonea esset. Paupertatem præcipuè coluit, cuius præclara dedit documenta. Mors vitæ consentanea fuit, & in ea mira securitas. Aiebat enim nihil sibi esse timendum, qui annos quinquaginta duos Christo seruiuisset. Priusquam noster esset, mercator fuerat, illoque implicitus officio, negocijs impediri non potuit, quo minus singulis hebdomadis confessione expiatus, cælesti se pane reficeret. Hac igitur spe erectus animam suam reddidit creatori eò alacrius, quò duos filios Societati dicatos ad immortalitatem præmisisset, obitu præmaturo illo quidem, sed tamen patri non ingrato, qui quos Societati dedisset, eos in Societate mori cupiebat.

COLLEGIVM VILLAGARSIENSE.

HABET Probationis hæc domus sexaginta, quorum plerique Nouitij. Latinæ schola quasi fluuiorum accessione creuerunt, intermissis trium Collegiorum studijs, quæ sibi à pestis contagio

Digitized by Google

contagione metuebant. Societatis munerum cum externis fructus extitit, cuius ex vno dumtaxat exemplo, ne sim longior, specimen capere licet. Venit ad Nostros ex rusticano oppidulo quidam impostor, qui concubinam suam iactabat esse vxorem, & matrimonij simulatione loci Parochum, incolasque fallebat: sceleris gratitatem augebat adulterij turpitudo: suam enim ipse reliquerat vxorem, cui erat Christiano ritu coniunctus: ille tamen ex Nostris cui dolum adulter patefecit, fucatas nuptias Deo auxiliante dissoluit: nec antè rem vrgere destitit, quàm ipse ille nugator propria repetita coniuge, quæ longè aberat, ex vitiorum & mendaciorum emersit labyrinto.

EXCVRSIONES salutifera duæ, altera ad celebre municipium, vbi præter innumeras confessiones, nostri Sacerdotis conciones incredibili cunctorum studio auditas esse anticipata publica munera testabantur, & vt concioni locus esset audiendæ, in sacris etiam clericorum præcursio, vt omnes tempestiuè ad audiendum concionatoré accurrerent. Altèra ad vrbem Zamorensem quæ Religiosorum plena familijs, tamen duos Nostros, alterum diuini verbi præconem, alterum confessionum auditorem libentissimo ciuitatis Episcopo ita excepit, audiuit, occupauit, vt tres iam menses commorantes exire non sinat, nouamq; famem ad Nostrorũ epulas afferat. Fluuij Sicci, quæ forum Egurorum antiquis fuit, nunquam missio conquiescit. Concionatoris acceptæ conciones, & inter quosdam Ecclesiasticos cruenta rixa composita feliciter. Egentes in tanta annonæ difficultate extraordinarijs sumptibus à Nostris adiuti. Voluptas ex hac Nostrorum missione. Illustrissimæ Magdalenæ Vsloæ obitu, quæ Collegij huius & duorum præterea fundatrix, & mater erat, insulsior est facta. Et si mortis tristitiam moriendi sanctitas consolabatur, & pietas testamenti, Vallisoleto, vbi diem

Digitized by Google

diem clausit extremum, cum viduarum orborum, & egentium omnium luctu incredibili, corpus delatum est ad hoc Villargiense Collegium, non sine celebri filiorum, id est, Nostrorum comitatu, & in templi nostri sacello maximo, dignissimis humatum exequijs. Collegij vectigal auctum aureis bis mille, quos ex vicina vrbe recuperat facili negotio quotannis Oeconomus.

COLLEGIVM MONTISREGII.

CENSI viginti duo, Patres octo, Fratres latinitatis Magistri duo, Philosophi totidem, qui ex proposito numero restant adiutores; qui in trium illarum disciplinarum Dialecticæ, Physicæ, Metaphysicæ stadio decertabant, ad metam peruenerunt, discendique curriculum generales positiones terminarunt, propugnante vno ex Fratribus, & se perstrenuè gerente. Gymnasium & epigrammata & peristromata decorabant. Aderant municipales Iudices, & alij nō infimæ sortis. Parochi suas de conscientia quæstiones deferunt. Oppidanorum ex varijs locis sine numero confessiones. In quodam pago cum noster verba fecisset, hominem vnum alteri infensum ita commouit, vt publicè ad ædes illius, quem oderat, properans, veniam offensæ petierit, nulla pacis conditione recusata. In alio pago idem Noster eleemosinam suasit pro concione ad lectos sternendos multis ægrotis ijsdemque mendicis. Fuitque auditorum tanta docilitas, vt corrogatis numinis, vestibusque ex lino, & lana collectis cubilia instrui cœperint, ad multorum valetu linem subleuandam. Inter virum & vxorem lis mota de adulterio, quòd maritus coniugi pudicæ

Digitized by Google

dicæ obiectum testibus probare conabatur, eratque vulgi magna offensio, Dei beneficio nostri cuiusdam Sacerdotis diligentia perfecit, vt omissa fori contentione, & obliteratis iniurijs maritus vxorem domi reciperet, & ad pristinam pacem sedato iam pectore remigraret.

PATER socio Fratre percelebre Lusitaniæ ditionis Castellum Collegio nostro vicinum adiuit, in quo factiones erant non minus vetustæ, quàm pernicioſæ. Tres namque familiæ sibi inuicem aduersæ publicam pacem perturbabant. Decem numerabantur varijs occisi temporibus, multique saucij, exules ea de causa quamplurimi, partim in Africa, partim in India, vel factæ cædis, vel inflicti vulneris pœnas dabant. Hoc ipso anno hæreditaria simultas quemdam virum pernobilem ex sacra Crucifererorum Christi militia è medio sustulerat; concordiæ diu à multis optatæ, irrita omnino remedia, quæ viri & sancti & sapientes adhibere cupiebant: tamen Dei clementia, piorum exorata precibus, per Nostrum Sacerdotem funesto dissidio finem imposuit. Nam cum Pater in illa concione de Apostolorum pedibus à Iesu Christo suppliciter lotis, nactus occasionem, ex Dei præpotentis aduersus Iudam traditorem immensa bonitate, de fraterno amore, deq; iniurijs condonandis egisset, die postero, qui sacrosanctæ Dei matri sacer est, sex & octoginta amicitias in ipso templo inaudita quadam celeritate constituit. Aderat loci Iudex & concordia in publicas tabulas referebatur, ad sanctiorem fœderis firmitatem. Hac enim paciscendi cautione prouisum est, ne pristina bella renouarentur. Vocati omnes quorum intererat, statim veniebãt, seque illorum quibus inimici fuerant amicissimos esse velle testabantur, cum lachrymis & mutuo pedum osculo inueterati odij veniam alteri ab alteris supplices precabantur. Inuenta mater est, quæ duorum filiorum necem atrocissimam illo die condonauit. Quidam, Hodie,

Digitized by Google

dixit, iucundè viuo, nam anni triginta quos in ciuili discordia contriui, semper mihi fuère tristissimi. Illud accidit sane permirum vniuerso populo teste. Est in castello, quod diximus, cœnobium D. Francisci, cuius incolæ pedibus nudis incedunt; monachorum amici contendunt, vt vnus ex illis sancto die Iouis, qui cœnæ Dominicæ sacer erat, concionetur, etiamsi Noster aduenerit, silentium enim nostro dicente non satis Monasterio fore decorum: parat se Franciscanus concionator, & quæ præuiderat, ex memoria effluunt: iterum ac tertiò præmeditatur concionem, & tamen totius obliuiscitur, quoties se comparat ad dicendum. Monachus amicis quid euenerit syncerè narrat: At in suggestum, inquiunt, ascendas oportet, vnoque verbo pronunciato descendas: morem gerere rogantibus in animum inducit, sed statim se ita raucum sentit, vt ne vnam quidem illam vocem quæ amicis satis erat, posset emittere. Ergo ne feriæ illæ, quas celeberrimas per se celebriores mos patriæ faciebat (non enim in pagis minoribus sacra Eucharistia in augusto monumento à Parochis reconditur: sed ad primariam Principis Vrbis Ecclesiam vndique accedituir, quo fiat pompa frequentior) concione priuarentur, rogatus est Noster, vt Ecclesiastes esset. Fuitque illa concio amicitiarum effectrix, quæ diuino consilio nostro erat Patri, hominibus frustrà obsistentibus, reseruata, quin & ipse Monachus in ferijs Christi à mortuis existentis cum iam rauce ssere desijsset, in concione quam habuit ad populum, iureiurando affirmauit concionem, quam ter edidicisset, ter ex mente prorsus excidisse, eamque fuisse causam cur in ferijs cœnæ Domini mutus tacuisset.

ERAT in hac ipsa Vrbe vetus consuetudo, vt parentes in liberos animaduerterent ferùbi se cum inimicorum filijs sociassent, quasi propositum esset vt pueri cum lacte materno odium etiam fugerent in aduersæ partis homines &

nes,& eorum progeniem,ipsaque pestilens discordia hæreditum successione fieret immortalis. Igitur cum pueri quibus staturum erat, atque adeo ingenitum maiorum inimicitias persequi,parentes amicos fieri cernerent, ijs à quibus antea capitali odio diffidebant,à Fratre catechismum exercente petunt vt se etiam cum pueris inimicis consocient atque coniungant: id cum Frater effecisset,& hos cum amplexu copulasset,ad promiscuum ludum atque communem abire iussit:hæc noua lux magna ex parte illi charitati refertur acceptæ, qua ciuitas in tanta cibi inopia quadringentos pauperes alebat.Amicitiarum fructus statim legi cœptus conuiuiorum frequentia, quibus se vicissim & inuitare,& exhilarare non desinunt.Professi suam iam vitam esse vitalem. Denuò scripta lex est, & publicæ auctoritate sancita, vt qui rupto fœdere auspicijs icto felicibus ad priorem dissensionem pernicioſa lenitate redierit, ab omnibus communiter oppugnetur, turboque & tempestas pacis habeatur. In templo olim ad sacra audiendum catapultæ plusquam quinquaginta videbãtur,nam aduersariorum timor ferro,& his manuarijs tormentis, quæ glandem mortiferam vi sulphuris adactam iaculantur,homines armabat: nunc tãta pax est, vt ne gladius quidem ille vulgaris appareat,quem sagati homines causa ornatus accingunt.Stat hæc Vrbis seditio aureorum centũ millibus,quippe & conditio,& multitudo personarũ,& intestini belli diuturnitas,domos quamuis locupletes exhauserat. Hactenus de inclyta missione.

HOC omne regnum fame laborat & peste, studiaque æstiuis caloribus intermissa ne Octobri,vt fieri solet, repeterentur, vicina lues impediuit; quæ circumiacentes vicos peruagata, collegioque proxima, nondum tamen montem hunc regium infecit.Contagiosis Nostrorum opera denegata non est, in medio campo ad audiendas confessiones tali arte constructæ sunt sedes,vt Patres cor-

Digitized by Google

ruptę aurę perniciem situ ipso declinent,& pestem auersi defugiant. Itaquè confessione audita plurimorum, Nostri adhuc à peste,quæ Deo sit laus,intacti perseuerant,imminentis periculi metus generalium confessionum suasor fuit, tempestiueque Nostri sanos ad sacramenta inuitarunt, quibus illi perceptis se ad pestem animosiùs comparabant.

COLLEGIVM BELLIMARENSE, ET LVCRONIENSE.

QVINQVE vixêre,tres Presbiteri,duo Fratres laici, munia ab verisque perstrenuè obita præsertim in missionibus,quas qui hîc degunt nisi frequentent propter exiguam oppiduli messem ociosi erunt. Ergo semper ad vicinos pagos accurritur, sed duæ excursiones ad duo maiora oppida fructum tulêre maiorem. In altero propter anni sterilitatem monachis exclusis,qui in Quadragesima concionari solebant,noster est Sacerdos cum communi conctorum gaudio retentus,quo suadente quę monachis illo in loco verba facientibus quotannis eleemosyna dari solebat,nihilominus à populo quamuis indigo contributa est. Conciones in hoc oppido quàm studiosè audiuntur præter insolitam frequentiam & confitentium ingentem numerum testata pax est multorum allata discordijs. Die cœnæ Domini,cum eorum qui se diuerberant ordinanda pompa esset, ecce subitò dæmone instigante quorundam Ecclesiasticorum de præcurrenda commoratis est; sed Patris valuit auctoritas, & omissa vri anteirent contentione,quietè peracta est res. Altera ad oppidum Burgensi ciuitati

Ustati vicinum, in quo vnus Noſter tam ſedulam confeſſionibus & concionibus nauauit operam, vt audiendi perſeuerantia ingentem admirationem commouerit. Collegij poſſeſſiones tributo liberatæ: & anniuerſaria penſione ſublata Collegę plures erunt. In Lucronenſi agro laboratur, vt ſolet, & ad ſacrum inſtrumentum eleemoſyna trecentorum aureorum corrogata.

COLLEGIVM POMPEIOPOLITANVM, ET VERGARENSE.

POMPEIOPOLI recenſiti Noſtri ſeptemdecim; Patres decem, Fratres ſeptem: domi & foris Societatis viget induſtria. Duo Noſtri, Epiſcopo rogante, varia diœceſeos oppida percurrerunt, & indicti occaſione Iobilei plenos ex meſſe manipulos reportarunt. Latinitatis ſtudia reſtituta, quæ Societas iuſtis de cauſis ademerat. Diſcunt apud Noſtros quadringenti, præter triginta auditores illius ſcholæ, quæ eſt de Confeſſionis ſacræ quæſtionibus ad Barbochos informandos. Ciuitas carendo magis quàm fruendo condidicit quanti eſſet æſtimandus erudiendæ iuuentutis labor. Itaque quatuor noſtris Magiſtris totidem claſſes libenter ædificat, & ad eos alendos, qui humaniores literas docent, nummos aureos ducentos quinquaginta in annos ſingulos libenter elargitur.

IN Vergarenſi vinea colenda decem occupantur, ſex Sacerdotes, & quatuor adiutores. Excurſio vna ad inferiorem Nauarram fructuoſa. Quipulcuanos quoſdam populos in reditu Pater miſſus inuiſit, & quibuſdam vitijs obuiam itum, quæ vſu inueterauerant. Pridiè Kalen-

Digitized by Google

das Augusti, quem diem nostri Patris Ignatij felix obitus nobis celebrem facit, dedicatum est Collegij templum primi sacri cantu, & salutifera concione. Domus templi vicina coempta, & quædam terræ portio cohærens ad situm ampliorem.

COLLEGIVM COMPOSTELLANVM.

VERSATI quatuor & viginti, Sacerdotes nouem, Fratres dialectici totidem: cæteri manuum labore deseruiunt. Priusquam pestis omnia funestaret, literarum, & religionis officia suum cursum tenuerunt, & ab elementarijs pueris acta comœdia est in circumcisi IESV Christi ferijs ad Decembrem, vt ciuitas illo munusculo capta esse videatur: illoque ex die Alphabetica nostra schola quasi maiore copia libra ponderari. Ingrauescente fame Nostri mendicis, quos summa necessitas passim humi sternebat, panis, carnisque subsidio succurrerunt, eorumque simul audita confessio. Idem præstitum his, quos ciuium charitas vnum in locum collegerat. Post pestis initium nihilo Nostri fuere tardiores. Auditi enim sunt & qui in Collegium contacti veniebant, & qui foris peste grassante Collegij fores pulsare non poterant. Denique contagio manauit ad Nostros nullum periculum animarum causa fugientes: & in proximorum salute procuranda vitam profudere. Sacerdotes duo Franciscus Montoya, & Ludouicus Gutterrius: Montoya quidem confessarius aprissimus, & ex loco superiore adhortator ad virtutem eximius: Gutterrius concionator egregius, & humaniorum literarum valdè peritus: nam Seminario præfuerat, & morum suauitate

Digitized by Google

uitate cunctorum animos rapiebat. Obiere attacti peste tres fratres adiutores, Antonius à Fonte, Franciscus Ceresius, Petrus Rodericus, quorum adiumenta, & mores probatissimos Compostella vniuersa desiderat. Extinctus etiam est cum magno non Collegij solùm, sed etiam Prouinciæ dolore, frater Petrus Peralta Arcualensis, genere nobilis, virtute longè nobilior, qui cum in eloquentiæ Seminario Medinæ fuisset, mirumque sui dedisset specimen, & vno anno Grammaticam summa cum laude Villagarsiæ docuisset, Compostellam ad artium cursum, vt vocant, missus, cum positiones illius doctrinę defendisset, pestilentia decessit, fuitque amabilis adolescentis funus valde lachrymatum: & cum periculum esset ne cæteros Dialecticos pestis absumeret, Compostella cum magistro exire iussi discipuli, & in tutiore regione collocati, studia feliciter persequuntur. Neque tamen Collegium quamuis infectum vacuum omnino fuit: duo namque relicti Patres ad remedium incolarum Vrbis Iacobi Apostoli sepulturæ decoratæ, & nonnulli adiutores. Illustrissimus Archiepiscopus alphabeticum ludum fundauit annuis trecentis, eritq; hæc rudium schola tanta optimi Præsulis liberalitate perennis quidam fons ad Vrbis pueritiam Christianis præceptis imbuendam, præter legendi, scribendique commoditatem, quæ ipsis gratuita parentibus multorum succurrit inopiæ.

COLLEGIVM OVETENSE.

FRATRIBVS, qui Græcas literas, Latinasque in hoc Collegio discebant biennio elapso ad Dialecticæ cognitionem Medinam translatis sex Nouitij successerant, qui tamen paulò

Digitized by Google

post pestis formidine aut iam grassantis, aut certè aduentátis, cum suo magistro exire cópulsi, Patres Collegij sollicitudine liberarũt, quos fratrũ cura veheméter angebat, & quidem puro adhuc cœlo morbi vsitati vis patrẽ Ferdinandum Gomesium nobis eripuit, & fratrem Ioannem Tolosam. Ille religionis in Deũ, & charitatis aduersus homines rara dederat documenta: hic vitæ sanctitate & architectandi domos industria laudabilis, magnũ sui reliquit desiderium. Mortuus est etiam vulgari febre frater Aluarus Gusmanus magnę expectationis adolescens, quem nemo vidit quin statim adamaret, adeo in virtute & ea literata profecerat: Græcas enim, Latinásq; literas feliciter erat adeptus. Castitatis se voto à prima pueritia constrinxerat, & adhuc mundanus nec in Societatem receptus, qualis in Societate futurus esset ostendit, Zamorę natus generis claritatem à maioribus acceptam præpropera virtute reddidit clariorem. Exin sæua pestis duos nostros Fratres quotidianis operibus mancipatos extinxit, Ioannem à Campo, & Ioannem Gomesium; Neque Fratri Petro Fernandez pepercit, qui Ludimagister erat, & pueros elementarios cum laude docebat. Sex nostri Sacerdotes, quibus per Prouincialem licuisset exire, tamen se communi consilio proximorum saluti commemorabili charitate deuouerunt: & cùm bis mille Astures peste decesserint, neminem qui sacramentorum capax esset, inexpiatum abire sunt passi, tantáque adhuc post tot mensium labores iuuandi proximos alacritas est: vt per vicos & plateas homines vocibus ad confessionem excitare non intermittant, estque pro miraculo illorum vita, quam nec dira lues absumpsit, nec labor immensus oppressit.

COL

COLLEGIVM MONTISFORTIS.

MOC nobile domicilium pestis inuasit ita crudelis, vt vnus dumtaxat sit Frater incolumis. Obijt ipse Rector P. Ioannes Sa, cuius & Romæ, & in hac Prouincia satis erat spectata religio. Vir apprimè modestus, & tractandorum peritus artifex animorum, patria Beneuentanus: Nouitijs quondam præfuerat, quos & vita, & doctrina mirabiliter instituebat. Rectorem sequutus est P. Ioannes Couusgiennensis, vir verè humilis, & miræ patientiæ. Nam quicquid erat domi ponderosum libentissimè subibat, instabat, & architectis & operarijs in sumptuosa mole Collegij, suaque ipse manu vrgendi operis causa multa faciebat; sed pestis atrox Collegium opportunissimo administro priuauit. Duos insuper necessarios fratres pestis ademit. Michaelem Hallum, & Ioannem Ribillam. Ante pestis aduentum & cælo nondum insalubri tres in eodem Collegio mortui, duo ex illis fratres Ioannes Euia, & Petrus Velascus, seduli domesticarum rerum actores: & Pater Ludouicus Ribera Abulensis lachrymarũ dono, & misericordia erga inopes commendandus, quibus si ægroti essent, cibum manu in os porrigebat, & Christianæ miserationis exemplo diuites homines ad erogandum excitabat. Mitto concionandi peritiam, & assiduitatem cubiculi, ex quo tum egrediebatur, cùm necessitas postulabat.

Digitized by Google

COLLEGIVM SANCTANDERIENSE,

Portum Sancti Emetrij dicebat Antiquitas.

SVPERIORIBVS annis pestis quæ hic primùm insedit, impedimento fuit quo minus plenas literas dare possemus, quare brevitatis culpam (si vlla est) interclusio commercio in his nonagesimi octaui corrigemus. Historia sic habet paulo altiùs repetita. Cum vix annus à Collegij fundatione auspice Magdalena Vlloa matrona clarissima, iuxtaque beneficentissima compleretur, ad hunc portum militum cohors appulit ex minore Britannia, quorum ducenti morbosi erant, & in Nosocomio à nostris manè & vesperè, tum consolationis, tum maximè confessionis ergò visitati. Neque erat domi requies: nam sani sacramentorum causa collegium frequentabant. Et cum Pater Rector Petrus Orejon huius Christiani operis dux & auctor esset, febrem contraxit, quæ pustulis obortis quasi notis quibusdam à reliquis febribus solet internasci, & omnium maximè formidari, cumque morbus in dies grauior esset, mirabilem nobis virum eripuit. Abulæ natus erat nobilibus parentibus, operarius infatigabilis, quique in missionibus admodum laboriosis multos annos conteruerat. Nam Burgensium montium incultos incolas erudire non intermisit, erat sancti hominis inuicta patientia, & charitas prædicanda.

NEQVE suspicio pestis abfuit, quæ nauigijs inuecta ex quodam portu Galliæ Sanctanderium primò funestauit,

Digitized by Google

uit,& ad varia Hispaniæ loca peruasit,cum infinita strage mortuorum, & terrarum salubrium solicita custodia. Vt primum pestis nostram infecit Vrbectilam,qui fugere ciues poterant, terga verterant,triplexque loci Iudex recessit ex oppido, cuius exemplo Senatus quoque migrauit. Idem fecit Medicus,idem Parochi,& omnes ferè Presbiteri; quocirca necesse fuit vt nostri Sacerdotes laborantibus præsto essent, & infectorum corpus animamque curarent,quæ Nostrorum diurna, nocturnaque sollicitudo vnius anni cursum impleuit: hoc enim pestis spacium fuit. Eleemosynæ & grandes & multæ ab Archiepiscopo missæ Burgensi,cuius dictionis hic est portus, per Nostros fideliter distributæ: addebat etiam quæ alibunde quærebantur. Duo sunt Valetudinaria Nostrorum diligèria contagiosis instituta: quæsiti cum medicamentis Medici, & ad humanda cadauera vespillones accersiti. Viceni, triceniquè quotidie sæuiente vi pestis occidebant: & cùm diræ hues ab ipso principio Nostros afflecissent,tamen morbi tubifici dissimulatione & Nostri diutiùs in labore pestabant, & externi Nostros securiùs appellabant. Demùm duo Patres,totidemque Fratres interierunt,vnus,qui restabat, sacerdos, glande ictus pestifera Dei clementia sospes euasit. Attactus etiam frater est tertius,& similiter conualuit. Ex Sacerdotibus quos pestis interemit, alter erat Pater Alfonsus Parrates Segobiensis, qui annos plus triginta in Societate vixerat, & professionem quatuor votorum emiserat, verumque Societatis filium dictis & factis se semper ostenderat. Alter Franciscus Conobius, cuius natale solum Medina Campi,homo simplex, & rectus,& quem animi candor vehementer ornabat: qui in hac peste tam se virum præbuit,vt vocatus ad contagiosi cuiusdam confessionem audiendam, cùm ei dixisset amicus,vt sibi caueret,respondit, Quamuis hæc mihi mortifera confessio sit,non denegabo operam meam. Reuersus ex hoc

ex hoc officio verè pio, in morbum incidit ex ægroti cõgressu contractum, qui ei lethalis fuit. Ex fratribus peste consumptis alter Petrus Aluarez, alter Petrus Orrius vterque Societate dignissimus. Hoc ipso Sanctanderiẽsis calamitatis tempore pestilentes ipsi ad Collegium veniebant confessionem inclamantes, quæ à Nostris libenter audita confestim expirabant. Nunquam vocatus est Noster aliquis, quin vsque ad intimum cubile hominis infecti intrepidè penetraret, si se fortè decumbens loco mouere non posset. Cum tamen oppidani clerici sacramenta ad ægrotantium ianuas metu periculi ministrarẽt. Et hęc Nostrorum charitas plurimis saluti fuit, quibus ab externis presbiteris remedium defuisset. Ergo cum honesta quædam matrona hinc leuca distans, vnum, qui solus erat, loci Presbiterum sæpe vocasset, illeque aut metu non auderet accurrere, aut quia minus necessariam permittente morbo suam putaret esse præsentiam, Noster quidem periculi factus certior de nocte in equum ascendit, & fœminæ ad moriendum vicinæ confessionem audiuit, quæ non multo post animam Deo reddidit. Nostri confessarij manus à multis bonis quæ dabantur abstinuerunt, eorumque distributionem nequaquam susceperunt: neque enim committendum fuit, vt quasi turbatis aquis sui quæstus piscatores fuisse viderentur, sed occasione adiutrice inimicos reconciliarunt: pellices, & concubinas procul amandarunt: quidquid enim Nostri statuissent, pro oraculo illis erat, & sine vlla tergiuersatione parebant, fiuitque ciuium læta admiratio quòd ex primis nouis Collegij incolis numero decem quinque communis salutis causa mortem tam alacriter oppetissent.

POST tempestatem Pater Prouincialis tres Patres misit, & Fratres duos, qui Collegium renouarent. At quanquam pestis iterum ac tertiò recruduit, tamen Nostri quasi cum importuno hoste viriliter decertantes,

Deo

Deo auxiliante victoriam assequuti sunt, ijsque authoribus multa salutariter constituta & ad pestis remedium, & ad mores conformandos: sacramentorum stabilita frequentia, cantilenę turpes explosæ, laudabiles introductæ, catechismi magna celebritas; triremes muissuntur, quæ in hoc portu hyemare solent, remiges instructi, sui officij milites admoniti, apostatæ reducti. Denique perpauci quos hic habet Societas testimonio sunt, hoc esse salutare Collegium ad montanos instruendos, in quem finem Magdalena clarissima hoc domicilium aureis annuis bis mille fundauit, cuius & cæterorum fructum capit in cælo.

ET quamquam in historia Collegij Villagarsiensis dominæ Magdalenæ ab Vlloa mortem, & funus attigimus, tamen de eius vita, & exitu felicissimo paulò hic vberius agemus, & huiusce anni literas hac memorabili narratione finiemus. Magdalena ab Vlloa Limæ neptis (qua ex familia obseruatum eos viros existere solere, qui præfortitudine leones sint, & eas gigni mulieres, quas insignis pudicitia commendet) post necem inclyti mariti Ludouici Quijadæ, quem in Granatensi regno tumultu rebelles Mauri, qui se Christianos esse simulabant, glandis ictu peremerant, se, suaque omnia Dei obsequio dedicauit. Quo autem id commodiùs exequeretur, Regis curiam relinquere statuit, reluctante Rege ipso Philippo, qui eam Madriti retinere optauit, vt quæ coniugatis illustribus fœminis exemplo fuerat, etiam viduarum exemplum esset: sed neque tanti Regis authoritas, nec Ioannis Austriaci amor, cuius alumna fuerat, Magdalenam à consilio deduxerunt. Prima sedes, regia quædam domus fuit Franciscanorum, quos Recollectos dicimus, coniuncta cœnobio non longè ab Vrbe Vallisoletana. Demùm Vallisoleti consedit, vbi de mariti testamento sollicita, multo omnia plenius quàm erat iussa confecit. Nam Villagarsiæ nostræ

Socie

Digitized by Google

Societatis erexit insigne Collegium, cantores cum commodis stipendijs euocauit, capellanos instituit, & musicam diuinis officijs peragendis, & perennem chorum externorum clericorum, qui tamen Rectori Collegij parerent, stabiliuit. Xenodochium quoque ædificauit, ædificatumque dotauit. Neque hac tam pia liberalitate contenta duo alia Collegia Societatis nostræ fundauit, Oustense ad Asturas in fide & moribus erudiendos, Sanctanderiense ad montanos Cantabriæ finitimos in Christiano officio continendos: & quia apud Astures Sanctissimum Christi corpus partim incuria, partim inopia, vel in tegulis, quod est dictu auditúque tristissimum, vel in capsellis ex vilissima carta compactis seruabatur, omnibus fere illorum Ecclesijs inauratum ex ligno tabernaculum & pixidem donauit argenteam, quo esset Christi Sacratissimi Corporis sedes honestior. Quin etiam Vallisoletano Conuersarum cœnobio anniuersaria centa mille contribuit, & quadringentos tritici modios Hispanienses (fanecas vulgus appellat:) & quamuis nobis plurima dederit, ipsa tamen erga Societatem voluntas longè maior fuit: nihil enim vehementius optabat, quàm desertas Hispaniæ oras, & incultas plagas Societatis Collegijs, domicilijsque complere: quippe cùm sibi persuaderet, vbi Societas esset ibi propugnacula veræ religionis & communis salutis parata esse perfugia: fuit eò vsque misericors, vt nemo vnquam sit pauper sine stipe dimissus, etsi vnus atque idem bis, térve eleemosynam petiturus accederet: neque enim aut extorquendi pertinaciam, aut recurrendi impudentiam ab ijs exprobrari sinebat, quos misericordiæ distribuendæ præfecisset. Vrbis Pinciæ, quæ eadem Vallisoletum dicitur, Valetudinaria, cœnobia, publica hospitia, custodias, viduas, orbos, & honestè conditionis, afflictæque fortunæ viros ac fœminas, quibus mendicitas indecora, verecundaque esset, Magdalenæ liberalitas sustentabat,

Digitized by Google

bat,sibi vni parca erat,Christianamque pauperiem veste, mensa,lecto, & domestico apparatu professa, religiosis quàm plurimis, quos ipse status votorum sponsione firmatus,tenuiter viuere cogit,rerum, quas sibi ipsa sumeret,vilitate præcurrebat. Cumque annos ætatis tres & septuaginta complesset,plena non magis dierum, quàm virtutum maximarum,tertio idus Iunij migrauit ex vita, sacris omnibus ritè procuratis. Mors non modò turbæ pauperum flebilis,qui eam perpetuò deplorabunt, desiderabuntque;sed Optimatibus etiam, & hominibus copiosis,qui secum præclarè agi putabant,quod Magdalenæ vel cognati essent,vel eius ætate nati. Matronæ,quæ Reges ac Reginas Christiana munificentia facilè vinceret, funus & exequias ille Deus quasi virtutis triumpho quodam honestauit, cui tam sedula mente seruierat. Igitur Societas funeris pompam celeberrimam esse voluit,contrà atque Magdalena iussisset:itaque præter assiduitatem cubiculi,septem illos dies quibus ægrotauit circumstantibus lectum multis Patribus tam ex Collegio, quàm ex Professorum domo,(in quibus ipse Pater Prouincialis,qui erat Magdalenæ charissimus,& decumbenteni consolatus est, & astitit moribundæ)in sepulturæ honore se præbuit diligentem. Vbi animam egit,Nostris tum rogatibus,tum remunerantibus, omnia Pincianæ Vrbis cimbala sonuerunt,ciuitas quasi signo dato vniuersa concurrit, clerus adfuit, & cathedralis Ecclesiæ, & omnium cæterorum Religiosorum conuenêre familiæ,coactę Sodalitates omnes, sua quæque insignia præferentes. Mille quingentis egenis data eleemosyna est illius misericordię monumentum,quam Magdalena semper exercuit: corpus defunctæ Illustrissimi quique Dynastæ atrati & lugubres extulerunt:at ex porta domus vltra Vrbis pontem grauissimi Prouinciæ patres cadauer humeris deportarunt,tanto & tali comitatu, quantum & qualem nec Regum quidem funera

Digitized by Google

funera postularent, sed florentissima ciuitas in honoranda matrona de cunctis benè merita suo se officio fungi arbitrabatur, illiusque fœminæ funus libentissimè prosequuta est, quæ & generis claritate, & manuum largitate honorem illum suo sibi iure vendicabat. Villagarsiam vsque feretrum sequentes triginta Nostri perrexerunt. Cistercienses monachi ex illustri cœnobio, quod Spinæ vocant, nostris recto cursu venientibus obuiam spectabili pompa processerunt, & funebri cantu piè & religiosè Magdalenæ parentarunt. Villagarsiæ curatum est funus planè regale, si tumuli granditatem, canendi modulos, luminum frequentiam, sacrorum numerum, & astantium multitudinem consideremus. Quid enim Societas omitteret, quibusve sumptibus parceret in ea honoranda quæ tria Collegia tam magnificè dotasset? Villagarsiense tam sumptuosè construxisset, tam gratis apparasset? Non enim patronum nominauit, non sepulturæ gentilitiæ onus imposuit, quæ tam multos, tamque generosos propinquos haberet: non bonorum quæ possederat, partem cognatis attribuit, sed totam hæreditatem Villagarsiensi Collegio suo dilecto filio reliquit. Ergo Societas matris huius memoriam perpetuò celebrabit, nec sibi ipsa satisfaciet, etiamsi cunctis suam probet pietatem.

PRO

Digitized by Google

PROVINCIA BOETICA.

QVINDECIM domicilijs, in quibus quadringenti quinquaginta quatuor operantur Socij, Prouincia Bœtica continetur. Sacerdotes centum octoginta, totidem coadiutores vno addito, & nonaginta duo scholares. Hispali in Professorum domo triginta sex sacerdotes, totidem coadiutores, In collegio vnus & viginti Sacerdotes, viginti quatuor scholares, viginti coadiutores. In seminario Anglicano quatuor Sacerdotes, coadiutores sex. In collegio Cordubensi Sacerdotes septem & viginti, quatuor minus scholares, duodeuiginti coadiutores. In Granatensi vnus & viginti Sacerdotes, scholares nouem, coadiutores viginti sex. In Collegio Montellano, cui est tyrocinium annexum, Sacerdotes decem, nouitij literis imbuendi triginta, coadiutores veterani & tyrones viginti. In Malacensi Sacerdotes decem, scholares duo, coadiutores vndecim. In Baezano sex Sacerdotes & totidem coadiutores. In Triguerensi decem Sacerdotes, coadiutores nouem. In Marchenensi Sacerdotes sex, coadiutores septem. In Astigitano Sacerdotes septem, scholares, & coadiutores quaterni. In Gaditano seni Patres & Fratres.

Digitized by Google

In Xerensi quinque Sacerdotes, vno minus coadiutores. In Cazorlano septeni & Patres & coadiutores. In Vbedano quatuor Sacerdotes, coadiutores duo. Ex his octo Theologiam, vnus de officijs rationes, sex Philosophiam, duo supra viginti Latinitatem profitentur. Quinque Patres & octo Fratres mercedem laborum suorum acceperunt à Domino. Sacerdos autem vnus, scholares viginti, coadiutores decem ad opus vocati se tyrocinij exercitationibus fingunt tanti operis dignos operarios.

DOMVS PROFESSA HISPALENSIS.

NE tanta rerum similitudo multum afferat satietatis & fastidij, communia Societatis nostræ munia, quæ vel me tacente loquuntur, ex præscripto prætermittam. Quid enim dicam confessiones vel à prima ætate repetitas toto anno frequentissimas? lites compositas: concubinas exactas: dissidentes reconciliatos: restitutiones factas: elementarios pueros institutos: ægrotos visitatos; morientes adiutos: catechismi explicationem per vicos & compita; mulierculas è vago concubitu extractas: habitas cum ingenti fructu conciones: admirabiles animorum commutationes: aliaque similia quæ æstimata magis, quàm narrata delectant? cùm Nostris maximè proprium sit hoc appetere, & vbique præstare, ac de omnibus Societatis domicilijs eadem possint referri? His igitur de quocumque Collegio intellectis, propria vnius cuiusque breuiter attingam.

Initium igitur ducam ab exitu felicissimo duorum Patrum, quibus Professorum domus orbata est, quorum alter Io. de Molina Cordubæ natus, Sacerdos iam, & Theologiæ

Digitized by Google

Theologiæ honore decoratus fugacium rerum cura contempta in Societatem se nostram concluſit, vbi annos ſex & triginta poluit; cum ingenti animarum lucro, ſtabili laborandi ſtudio, & raro Noſtrorum exemplo. Et quamuis in omni virtutum genere præſtiterit, ita feruido charitatis amore flagrabat, vt hæc, cùm vox vireſque deficerent, augeretur, & defeſſus peneque exhauſtus ne robuſtiſſimis quidem in excipiendis confeſſionum laboribus concederet, geſtiretque animus omnium labores ſuſcipere, vt omnes Chriſto lucrifaceret, vbique ſuaui, qua nobilitabatur natura & eloquio, ſummos & infimos alliciebat: & cùm totum ſæpe mane in expiandis occuparetur animis, foras egreſſus veſperi, diuerſa loca percurrebat, ludos prophanos diſſipabat, conciones ſalutares habebat, ad pœnitentiam excitabat, & multos concinentes in templum precabundos, & confitendos deducebat; effigiem diceres primorum parentum; & tamen ſe nulli vſui credebat aptum, vilioribuſque vſus rebus, vel neceſſaria ad victum & veſtitum reſpuebat. His & alijs pietatis operibus intentum, virtutibus plenum & laboribus exhauſtum ſupremus dies occupauit, qui & domi & foris Apoſtolus habebatur.

ALTER P. Petrus de Monroi, vir omni pietate, ſed præcipuè deſpicientia ſui; & paupertatis amore conſpicuus, de cuius vita ſanctiſſimè acta, æſtimatu quàm dictu maiore paucis nonnulla dabo Noſtris incitamenta virtutum. Parente orbatus vtroque, hereditatem adijt ſatis amplam pudicitiæ Caribdim, qua & vanitatis vento in adoleſcentiæ fretum celeriter abreptus naufragij periculum patiebatur. Subuenit periclitanti Deus funiculo diuini afflatus, vt ſe ad Religionis portum recipiat. Diſſimulat ille, vel negligit, & Dei vocem procraſtinando contemnit; perſtat Deus & inſtat, tergiuerſatur iuuenis delicijs deditus: ſed contra torrentem nititur; de cælo lux

Digitized by Google

clarior oboritur, dat tandem manus, mentemque submittit, vt qui eam iniecit, eandem dirigat in vitam meliorem: incitatur statim ad Societatem, quam ille plurimum abhorrebat, vitæ modum procaciter ridet, vrget cogitatio, nihilque remittit, dum ipse resistit magis, emori potius quàm inter nos morari decernit: voluptatibus & rebus distentus varijs molestam sibi cogitationem conatur depellere, agitanti multa nihil procedit: imo verò premitur magis & opprimitur. Quid tum? per vtile cepit consilium, sacra nouem de Spiritu sancto viro sanctissimo continenter facienda, curauit, vt sibi mentem iectam Deus confirmet si placet, infirmet si non placet. Crescit in dies singulos, & nō dubijs significationibus ad hoc diuinitùs vocari se intelligit: aperit Nostris consilium, petit admitti: sed vt gratior fieret petitionis effectus, spes ostenditur si studeat, atque executio differtur. Rei expetitæ dilatione consequendæ cupiditas augescit, Deique miserentis ope, castigato vetere luxu, nouum induit hominem: famulos dimittit, ac socios arrogantes & cerebrosos; domū facinorosorum olim receptaculum, Religiosorum diceres oratorium: mutata veste mutauit & mores, frequentare gymnasium, cum religiosis viris spiritales conferre sermones: defectus crebra confessione expiare, se scutica cedere, sub nitido amictu vestes cilicinas occultare, genibusque nixus nudis multum in oratione persistere, eleemosynam elargiri in pauperes, & non semel culcitram qua cubabat, & vestem, qua tegebatur stragula, media luce per mediam ciuitatem humeris circunducere togatus, & in pauperum hospitium deportare: se denique inedia & labore ad eam vitæ asperitatem quam meditabatur durare. His & alijs cognitus rebus in Societatem (cui Sacerdotium reliquit optimum) admittitur operis domestici adiutor, vt ille dicebat, quo in munere per decenniū occupatus, mirum quantum laboris pertulerit

Digitized by Google

lerit! quantum ab honorum vmbra & Sacerdotio abhorruerit! mirum quantum hominum congressus vitarit, quantum scientiarum cognitionem, quam multi vehementer appetunt, constati animo respuerit! bis ab artium curriculo, quod inuitus instituerat precibus & lachrymis reuocatus, in Triguerienſe collegium est missus, vt ibi ageret Ianitorem. Ibi eum Rector, hominis ignarus, libellum de imitatione Christi latinè conscriptum lectitantem offendit. Ergo ratus id ad ostentationem gloriosam vanitate ductum, feciſſe, fratrem scilicet verbis duris accipit, ac rubore suffusum in culinam detrudit humilitatis muneribus exercendum. Ibi diu versatus, & varijs reprehensionibus affectus, ne verbum quidem protulit, quo suam excusaret innocentiam, imò cùm Pater Rector viri perfectionem edoctus ad eius prouolutus pedes errati peteret veniam, ille culpam in se transferebat pudibundus. Hinc extractus & sacris initiatus ordinibus, insignis multarũ repertor artium extitit, quibus vilis haberetur, nec humilis putaretur, qua in re plurima & illa quidem diuturna per annos duodequadraginta dedit documenta: honores enim non minus ferebat grauiter, quàm vani homines contumelias: domi coadiutoris munera lætus obibat, & foras egredientibus comes designabatur. Hiſpalenſis Collegij minister factus, omnibus ministrabat vt seruus, & oblata, vel arrepta occasione omnibus persuasum esse volebat, quod ipse de se tacitus humiliterque sentiebat. Vnum aut alterum exempli causa de multis attexam.

SVPERIORE absente cùm Rectoris vicem gereret; consultoribus visum est vt officij causa Præsulem quemdam optimè de Societate meritum inuiseret, paret ille coactus, & honorificè à Præsule acceptus rubore suffunditur. At post verba vltro citroque officiosè habita, cum Præsul sermonem de consilio quodam, respon-

Digitized by Google

non indigentem excitaret, Pater aperto capite, defixoque in terram obtutu: Ego, inquit, Illustrissime Præsul, sum omnium ignarissimus, nam propter ingenioli mei obtusam aciem me procul à studijs obedientia reuocauit; Socius adest meus apprimè Theologia imbutus, quem familiariter illa de re rogare poteris: sic tacuit, Præsule tam vera animi summissione stupefacto. Indicentibus sibi tanquam superiori ab Archiepiscopo Hispalensi, sub excommunicationis pœna vt iuuenem in Societatem admissum, & in tyrocinium missum parentibus redderet, respondit, Stultum & stupidum hominem rei domesticæ intentum alloquimini, istic, si placet, opperimini dum consulo, quid mihi sit respondendum. Alia his similia patri quotidie accidêre permulta, quare nullum in animi summissione similem esse visum è Nostris affirmarunt quamplurimi.

VENIO ad sanctæ paupertatis studium. Cubiculo vtebatur pauperrimo: toga & lacerna haud à vilioribus tyronum abhorrente, in nuda tabula centone dumtaxat obuolutus per annos cubuit nonnullos. De abstinentia quid? singulis ieiunabat diebus, cùm cibo parco & frigida ad famem sitimque depellendam semel defungeretur. Eius orandi consuetudo sibi talem cum Deo familiaritatem attulit, vt quicquid orando peteret assequi videretur. Res hoc indicauit vna, quæ vicem habuit miraculi: Frater quidam summis afflictabatur doloribus, accurrit Pater, grauiter laboranti subuenit, commouetur aspectu miserando, ad Deum aduolat, petit sibi dolores dum liberetur æger; nec priùs orare destitit, quàm in se dolores senserit fuisse translatos; editur in vulgus commutatio dolorum, cognoscitur causa: erubescit primùm Pater, dein per iocum eludit, postremò inter dolores subridens, Videro, inquit, posthac quid mihi ab amicis petendum sit. Denique huius id erat virtutum studium, ea sui ipsius contemptio,

Digitized by Google

contemptio, vt omnium pietatis excitarit ardorem, & qui eius probitatem explorauerint propiùs, antiquæ dicerent Religionis exemplar æmulandum: cuius mors consentanea vitæ fuit, tanta enim exultabat lætitia, in angustijs & doloribus, vt facies confecta macie lucem diffundere, & eius animus corporis ergastulo solutus cœlestium felicitatem percipere videretur. Longior fortasse fui: cætera perstringam breuiùs.

DIE qui nouum aperit annum Circunciſioni ſacro ad Cardinalem & Archiepiſcopum Hiſpalenſem Vrbis Prætorem, ſacræ fidei Quæſitores, regios Conſiliarios, Senatores[,] & Ciuitatis florem, quidam ex Dominicana familia concionem habuit plurimis erga nos beneuolentiæ notis inſignem, qui, & alij eiuſdem familiæ frugali accepti conuiuio feſtum diem celebriorem reddiderunt. Diuina obeuntium myſteria frequentia tanta, vt diebus feſtis ad mille communicent. Noſtrorum nemo patitur operam ſuam à quopiam deſiderari, & noſtram in exequendis ex inſtituto muneribus ſedulitatem beneuolentia ciuium adæquat: vniuerſa ferè Ciuitas, & Religioſi, literatique viri incertis rebus nos conſulunt, variaſque controuerſias P. Præpoſiti arbitrio componunt. Hæc beneuolentia cum inſigni liberalitate coniungitur: tanta enim fuit Hiſpalenſium liberalitas in ſumma ciuitatis inopia, & annonæ caritate, vt non ſolùm neceſſarijs vitæ vſibus abundè ſubuenerit, ſed in aſſiduam domus inſtructionem cumulatiſſimè redundauerit. Eſt enim aucta domus compluuio ad res domeſticas neceſſario, nonnullis cubiculis, & cella veſtiaria ſuperiori & inferiori; ad cæteramque habitationem amplam quarta pars præcipua à primis ſuis fundamentis excitata in dies vrgetur, & ſurgit adeo habilis ad diuturnitatem, adeo ad ſpeciem iucunda, vt nihil ſupra. Doctor Açoca vir gra-

Digitized by Google

uis & plus, optimè de Societate meritus, præter alias eleemosynas (quarum summa ad duo aureorum milliа & trecentos peruenit) nunc largè nobis detulit sacra consecrationis vasa, binosque guttos è margaritifera cochleis effectos, miroque instructu & ornatu preciosos comitatos, missale item cum ambone perpulchro, opere præclaro, quod omne quingentis aureis æstimatur. Varia præterea sacra suppellex, argentea bina candelabra palmis duobus altiora, vestes puero IESV induendo ditissimæ (vt minora prætermittam) sacrum auxerunt apodysterium. Hæc domi.

FORIS verò. Nostri profecti plenissima vtilitatis itinera fecerunt: duo præsertim qui octo Aiarafi oppida lustrarunt: vsus sacramentorum excitarunt, peccantes correxerunt, dissidentes pacificarunt, & tanta charitatis opera exercuerunt, vt si omnia numerentur, nullus scribendi sit modus. Oppidum ingressi in quo numerus incolarum millenum adæquabat primò malè accepti, & ferè explosi, Nostri Societatis muneribus & beneficentia iter ad oppidanorum beneuolentiam ita ostenderunt, vt ægrè tulerint omnes post Quadragesimam discessum, & quos antea fugiebant, lachrymis retinere curabant. Itum etiam ad Pilas, vbi magno labori fructus proportione respondit. Constituta est Sodalitas aduersus iurandi licentia n, populo ad rerum diuinarum cognitionem traducto, & criminibus expiato.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM HISPALENSE.

PATRIS Visitatoris prudentia, consilijs, exhortationibus, ad perfectiorem viuendi modum reducti omnes. Societatis commentationibus exculti, Iobileo potiti, vnde vtilitas quę solet: quam cum P. Visitator inspiceret, P. Rectori in mandatis reliquit, vt quotannis Nostros ante studiorum instaurationem his curaret meditationibus excolendos, id quod annis proximis fieri solitum sedulò ac diligenter hoc anno ingenti cum fructu factum est. Festis diebus bini per plateas nostri Fratres discurrunt, vt otiosam plebeculam ad rem diuinam audiendam aliter non aduturam, impellant. Alij varijs in locis varijs occupationibus distentos AEthiopes, vrbisque seruitia erudiunt elementa fidei, & aures confitentibus præbent. De huius Collegij doctrina magna apud omnes ordines opinio: quare cum quid grauiùs accidit deliberandum consilij causa ad Collegium concurritur, Religiosique viri se consulentes, ad nos remittere solent.

GYMNASIVM abundat numero discipulorum, hi nongenti sunt, plures indole bona, diligentia singulari & probitate mira præstantes: verberum disciplina bis in hebdomada in suum ipsi corpus animaduertunt, concursu tanto, vt non semel, sed iterum repleatur. Ex his duo in Societatem, triginta in varias Religiosorum familias asciti. Præter menstruas omnium confessiones multi octaua quaque luce iuge Christi conuiuium celebrant, Mariani præsertim, quos Deiparæ Congregatio ad omnem disciplinam, & religionem educat. Succesiuas horas

Digitized by Google

in assidua precatione traducunt, festis diebus sub vesperam priuatum cœtum efficiunt, vt in lectionem piam, vtilem veteris historiæ narrationem, commodam vitæ perfectioris collationem, ac denique in vespertinas preces intendant: quibus peractis adeunt Nosocomia, sternunt lectos, consolantur ægrotos, famelicos pascunt, inter quos minutos argenteos interdum diuidunt nummulos: alumnos vita functos humeris efferunt, honoriumque funus tunc in sacello Congregationis prosequuntur, & in Collegij templo quotannis de integro faciunt iam sepultis, quod & concione & funebri oratione, & templi maximi cantoribus & symphoniacis cohonestatur.

CAETERVM quæ duobus proximis annis continenter diximus de Annunciata & doctrinæ Christianæ Sodalitate, hic expressum putato: hoc tamen addito. Numerus opificum ad nos doctrinæ causa confluentium in classes diuisus varias, in dies maior & perfectior. His vltima classis addita, Vrbis seruitijs atque mendiculis, quos Sodales à prandio de vijs, plateis, & ludis, prece vel precio deducunt, vt doctrinâ Christianâ condocefaciant, & à Dominica in albis vt confiteantur, monentur etiam pro concionibus heri, vt seruos ad nos pomeridiano tempore facilè mittant, vt tanto ipsi docendi munere liberentur, vnde fructus non spernendus. Cum de more ingenti Sodalium & auditorum concursu catechismum concinentium ciuitas lustraretur, res contigit non silenda. Mercator quidam adolescens diuinitùs impulsus vltrò se Sodalibus canêtibus tam glorioſi laboris socium adhibuit: audita concione alias merces cognouit longè suis meliores: quare omissa statim mercatura, fide futuri matrimonij data dote, & puella, qua erat breui coniungendus, amore Christi contemptis, ad monasticam vitam se recepit. Alter qui variis sceleribus naufragium animæ fecerat, vitam detestatus priorem, relicto vitiorum scopulo, & arrepta

Digitized by Google

repta pœnitentiæ tabula, Deum inclamat cum lachrymis, à quo sperat se in æternæ felicitatis portum adducendum fore. Scriba quidam regius cuiusdam Sodalis consilijs & exemplo, munere se abdicauit rei augendæ periculoso, literisque vacat, vt Deo vacare possit in Religione quam habet in votis. Res sacra, & domestica aucta, hæc librorum copia aureis quingentis coëmpta, illa veste ad aram contegendam dono data preciosa.

SEMINARIVM ANGLICANVM.

ALVMNORVM duodesexaginta capita sunt ad omne pietatis & doctrinæ studium aptissima, parendi virtute, legum custodia & studendi labore conspicua. Quatuor Vallisoletum studiorum causa missi, duo in Nostrorum ordinem adscripti: cæteri suo ad virtutem exemplo nos prouocant, & florem ciuitatis ad se conuertunt & rapiunt. Templo Magno Gregorio Anglorum Apostolo dicato vltima manus accessit, quo tum capacitate nobili, tum structurę nouitate perpulchro, in tanta Hispalensium templorum varietate & multitudine species pulchrior spectatur nulla. Reddunt hoc templum præsertim visendum tria tecta sex teretibus sustentata columnis, quorum medium bacillis mirificè tornatis in circuitu ornatum, quindecim efficit, ceu tribunalia, stationes, vbi primarij & honestissimi viri vel conciones audire, vel sacra in aris nouem facienda possint. Huc pridie Calendas Decembris diuo Andreæ sacro, cum Christi corporis translatio decreta esset, accurrit vrbis nobilitas, & sacrum Inquisitionis Tribunal, Scribæ, videlicet, à secretis, familiares, fisci Præfectus, &

Quæ

Digitized by Google

Quæsitores sacri, quorum antiquior sacrum fecit solemne, alumnis in choro ministrantibus, varietate vocum & suauitate sonorum, tibijs modulatè innatis, fidiculisque numerosè sonantibus adeo bellè, vt ad frequentandum in posterum templum hoc, mirum in modum inuitarint. Absoluto sacro Quæsitor ipse cœlesti pabulo accepit alumnos, à quibus idem cum socijs acceptus conuiuio est, & oratione latina de D. Gregorij & Quæsitorum laudibus, omnium assensu comprobata. Hac luce in lucem recens prodijt vestis sacra, textili auro, acuque picta magnæ dignitatis ac vetustatis, tum ad Sacerdotem & ministros, tum ad altare & suggestum conuestiendum duobus millibus aureis coëmpta, & nobis dono data ab honesta fœmina, iam demortua, cuius impensis & fratrum suorum liberalitate H-S. quinquies consumptum est in templi structione, cuius maximum sacellum fundatricis & fratrum sepulchro dedicatum est.

HVIVS Seminarij Sacerdotes Anglis, Hibernis, & Scotis, quorum maximus est in hac ciuitate numerus, tum in mercatura, tum in carceribus, aut triremibus detentorum catechesin edocendis, vacillantibus in fide confirmandis, iacentibus erigendis, dissidentibus concordandis, & confitentibus audiendis operam egregiè nauant, quam ciuium suorum saluti dedicatam cum nouerint fidei Quæsitores, illis ad Anglos ex hæresi deducendos vtuntur assiduè, subijciuntque informandos. Quidam è Nostris cum Gadibus verno tempore versaretur, & in murorum ædificatione ducentos ferè Anglos ad pœnam laborantes offenderet hæreticorum opera corruptos, suæ gentis misericordia motus, in vnum omnes conuenire curauit, vbi cõcionantis, & amicè monentis verbis, cœlesti gratia conatus fortunante, ita multi commoti sunt (propositis prius & salutis nostræ fidei capitum nodis, quæ in dubium ipsi vocabant) vt in pristinum Religionis statum restitui

Digitized by Google

restitui flagitarent. Sed instante Patris profectione, alter alumnus in eius loco suffectus (id postulante & sumptus ministrante Principe viro Petro de Toledo) ex semente facta fructus adhuc metit vberrimos, Christoque gratissimos. Cæteri scholasticis rebus intenti mirificum ingeniorum specimen præbent, tum in carminibus octo linguarum varietate componendis, tum in alijs doctrinæ muneribus, & in totius Theologiæ disputationibus defendendis, tres insignem doctrinam cum singulari modestia coniunctam exhibuerunt. Acta est intra priuatos parietes tragicomœdia, quæ gaudio fuit & admirationi illustrissimæ auditorum coronæ: spectaculum enim non semel, sed iterum, ac tertiò repositum honestarunt, præter ciuitatis florem, Illustrissimus Cardinalis de Castro Archiepiscopus Hispalensis, Dux de Alcada, Marchio de Tarifa, fidei Quæsitores, multi Religiosi viri, & Senatores varij.

HIS incitamentis vix dici potest, quantum Seminarij nomen, & alumnorum decus augeatur. Ex his Ricardus Lebison, illustri morte diem confecit suum; cùm annum 24. ageret, iuuenis sane tum literis & probitate, tum ingenij acie, & generis claritate præstabilis, qui cum ab Anglicanis Academijs doctrinæ vbertatem, siluamque dicendi duxisset, & magnam de se concitasset expectationem, cœlesti luce illuminatus cognouit nihil esse infra lunam nisi mortale & caducum præter virtutem, cuius amore incensus, egressus de domo patris sui venit in terram, quam monstrauit illi Dominus, Romam scilicet, vbi P. Robertum Personium conuenit, seque illius subiecit obedientiæ, qua nixus Hispalim studiorum causâ venit, & in hoc Seminario annum vixit ita sanctè, vt omnibus esset admirationi & exemplo: defixus enim & intentus in Deum omne nauabat studium orationi & mortificationi: sed nulla illi maior, quàm frænum pœnitentijs

Digitized by Google

nitentijs suis à superiore iniectum. Et quamuis omnes contenderet neruos vt familiariter cum Deo versaretur omni tempore, quatuor singulis ferè diebus horas in oratione ponebat: nec studendi cura inferior: literis & probitate cęteris præstabat. Deniq; in morbum incidit, quem mors consecuta est ab omnibus expetenda. Dimidia hora ante felicem transitum enixè petiuit Eucharistiæ sacramentum, quo impetrato, finem suum circunstantibus prædicens, petijt vt genua flecterent, iunctisque manibus pro se orarent, ipse verò sanctæ Crucis signo munitus palmasque ad cœlum tendens emisit animam cum illis verbis, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

COLLEGIVM CORDVBENSE.

RES domestica piorum eleemosynis, sacraque suppellex altaris, Sacerdotis ornatu auro, & serico intertexto aucta est. Auditorum doctrina pietas & frequentia crescit in dies, ingeniorum specimen non rarò præbetur. Philosophiæ & Theologiæ disputationes celebrantur, tum doctissimorum frequentia qui quæstiones ponunt aliquot; & positas argumentis promouent, tum Episcopi Ordini nostro deditissimi & amantissimi parentis præsentia, qui Nostrorum ingenijs, & auditorum doctrina plurimum delectari videtur. Nec Oratorum hebescit acies, nec Poetarum Musæ silent mansuetiores. Philippi enim iusta funusq; honorarium, multis versibus à Nostris celebratum est, quæ Collegio existimationem conciliarunt magnam, necnon quæ sequuntur. In publica Christi corporis supplicatione

Senatus

Senatus Cordubēsis, & sacer & prophanus, vt nos cohoneſtarent, iter inſtituerunt per templum noſtrum, pompamque flexerunt, præter conſuetudinem: nos vt re ipſa atque animo præberemus gratos, qua longè templi paries, & platea porrigebantur, quatuor excitauimus aras materia, & arte pretioſiſſimas, face plurima collucentes & periſtromatis ex damaſceno bombicino, & opere phrygio factis conueſtitas, ſuper quæ carmina extenſa erant multigena, quæ pompæ celebritatem commendarent, & legentium oblectationem augerent: accendebantur interim odores, qui cum herbis & floribus ſingularem afflabant ſuauitatem. Partheniani verò ſodales arcum ſtruxerunt, varia viſendáq; arte conſpicuum, quem eminens Beatæ Virginis effigies à ſeptem alijs ſimulacris artes liberales propriè vereq; exprimentibus, tanquam comitata: quod ita Senatui arriſit vtriq;, vt in poſterum nobis inuitis Chriſtum Dominum hac circunferendum, cum eadem pompa quotannis, decreuerit.

COMMENTANDI ratio de diuinis rebus, qua exculti ſunt Noſtri, vitæ ſanctioris cupiditatem iniecit, quod fraterna charitas & virtutum æmulatio demonſtrat. Ductum non ſemel per vias domumque reductum à grauioribus noſtrorum diſcipulorum agmen catechiſmum concinentium (vt anno proximo dictum eſt) & maiori cum fructu flagellorum conſuetudo repetita eſt in templo noſtro, vno è Noſtris aliquot hiſtoriæ veteris exemplum fideliter narrante: quo ita virtutem accēdebat, vt certaret de loco multitudo, nec templo caperetur. Nexi aut vinculis aut morbis frequenter aditi, & adiuti vtroque cibo, ad quod Marianis vtimur adiutoribus; quos Illuſtriſſimus Epiſcopus ſemel atque iterum inuiſit, ſacrumque panem in Virginis ſacello porrexit, cum ſenſu pietatis ingenti. Actum cum Senatoribus vt ſtatutis temporibus ſermo in Senatu habeatur de rebus ad Rempublicam

Digitized by Google

blicam rectè gubernandam necessarijs: res iucunda Vrbi propter vtilitatem. Solita in nos beneuolentia ciuium, nostraque in exequendis ex instituto muneribus constantia,& diligentia constat. Neque verò ciuitas nobis amicior rei sacræ Antistite, & fidei Quæsitoribus, quos non factores solùm, sed etiam laudatores habemus. Cum diœcesim lustraret Episcopus, duos è Nostris laborum socios secum adduxit, magno populorum commodo, qui purgati sunt,& instructi.

EXCVRSIO in pagos & oppida septuaginta Mariani montis Illustrissimi Episcopi rogatu facta, vtilissima visa: subuentum est enim & pluribus animorum,& interdum corporum necessitatibus. Nonnulli ab inueterato pellicatu recesserunt. Quædam omnium opinione virgo, cùm vterus intumesceret, infamiam cum sobole paritura potionibus irritis, vel aqua, vel laqueo vitam sibi eripere cogitabat; sed Nostrorum hortatu vt melius sibi consuleret adducta est. Multi à cogitatis, susceptisque sceleribus abducti. Mulier vna matrimonio coniuncta est cum viro, quicum annos multos turpiter vixerat, liberosque susceperat. Ad extremum vberrimos Christo fructus multis egregiè constitutis reportarunt.

COLLEGIVM GRANATENSE.

GRANATAE toti sumus (vt nostra fert consuetudo) in auxilio proximorum, necnon labori fructus respondet, nullus Nostrorum indiget ope, cui non subsidia mittantur. Variæ multiplicesque animorum conuersiones, quarum semper ingens est numerus; quatuor à desperatione, qua vitæ mortem

Digitized by Google

mortem præferebant abstracti. Ex multis queis religiosæ vitæ monstratur iter, quindecim ex superiore gymnasio, alij ex alijs ad religiones varias perducti sunt. Ex mulierculis octo, in propatulo pudicitiam habentibus, audita Mariæ Magdalenę concione, quam vnus è Nostris habuit, quinq; sunt ad pœnitentiam cõmotæ, & adhuc in officio continentur, auxilio Nostrorum. In Nosocomio singulis quoque dominicis diebus, singulis pietatis muneribus Nostri funguntur.

MISSI ex hoc Collegio Sacerdotes sex in oppida varia, qui concionibus, & confessionibus, ac catechismo intenti, haud inutiliter laborarũt. Seligam minus communia. Itum est à binis Antiquariã Vrbem propter immunitatem celebrem, vbi omnium voluntates ita conciliarunt Societatis muneribus perfanctè functi, vt ore pleno sancti appellarentur à vulgo; nec immeritò, laborem enim confessionum ad multam noctem à prima luce trahebant, vilibus pasti cibis, hisque propria manu conditis, in casa cœlorum inclemẽtiæ peruia degentes per hyemem. Alter in Quadragesima triginta, & eò amplius concones habuit accepras iuxtà vtilesque, tanto ciuitatis plausu frequentia & stupore vt mirarentur multi indefessum hominis studium & viuidum spiritum animique magnitudinem in oblatis muneribus reijciendis, quare ciuitas Collegij fundationem vrget. Idem prorsus ab alijs binis per septem oppida dioecesis Guadixiensis factitatum. Ijdem excursionem fecerunt vtilissimam in oppidum Sexi (Motril incolæ vocant) quorum alter ita acceptus est concionator, vt homo de cælo lapsus crederetur. Conciones habitæ perutiles, quibus commoti ciues confessiones constituebant à prima ætate repetere, dissidentes reconciliabantur, malè parta restituebant, testamenta redintegrabant, mirum quanto concursu Nostrum sequebantur: concionis enim tempore negocia omnia defere-

Digitized by Google

bant, & audientes gemitus & lachrymas continere non poterant. Cum è noſtris alter, qui Catechiſtam agebat, ad ſaccari torcularia, vbi ingens eſt mendiculorum multitudo, admonerentur à multis, vt ſi poſſet quemdam homunculum omni ope deſtitutum in viam reduceret, qui cum animam ageret nihil ad ſalutem æternam agere curabat. Itur ad eum, iacebat humi proſtratus aſpectu horridus, macie confectus, oculis introrſum actis, compellat leniter primò Noſter, foras illum educit, hortatur confeſſionem, reſpuit ille percitus ira, quod non eſſet in Noſocomio admiſſus: impetrat noſter à Præfecto vt in horam ſaltem admittatur, confitetur, accipit Euchariſtiam, ſacro vngitur oleo, pauloque poſt moritur.

EXCVRSVM eſt in oppidum Priego, vbi ſequimenſem operam duo Patres ex Societatis miniſterijs haud pœnitendos fructus decerpentes poſuerunt: cum è Patribus vnus in templo publica eſſet inuectus in vitia, literatus quidam vir occultis motibus ſe à Domino ſentiebat impelli, vt inimicitias cum propinquo deponeret: diuinæ voci reſiſtere non potuit, quin ſtatim ſe dans in eius amplexus priſtinam rediret in gratiam, cum eſſet ipſe in quem fuerat iniuria contorta, idem prorſus nonnullis alijs accidit. Luſtratus eſt carcer, è quo poſtulatione Noſtrorum aliqui fuerunt dimiſſi, inter quos mulier, quæ ira percita ingrediens domum oppidani in vxoris facie grauem inflixit plagam, cui vt ignoſceret, Noſtrorum preces obfirmata mente vxor & vir, ne ad aures quidem volebant admittere: tandem ipſa profectionis die, precibus fracti irata pectora mitigarunt. Mulier cum exoraretur vt tres homines dimitteret liberos, qui virum ſuum in rixa occidiſſe dicebantur, omnes conditiones præcisè reſpuebat, tandem ſe flexit, deſtititque à conquirendis authoribus facinoris, & vni quem in carcere tenebat conſtrictum veniam dedit, à quo vltimas nundum pœnas

repe

Digitized by Google

repetierat. Multi vniuersæ vitæ maculas cõfessione eluerunt. Vulgo iactabatur à Nostris sibi velut nouum lumen obortum, quo tenebris ẽpulsis rectam veritatis viam possent intueri.

COLLEGIVM MONTELLANVM.

PRAESENTI anno pluribus quàm superioribus pepercit morbus, decerpsit tamen fratrem Alphonsum de Valentia, cuius virtus multum antea maturauerat, septuaginta natum annos in Coadiutoris temporalis gradum adoptatum, haud communi quodam genere lethi defunctum: cum Medicus inuisisset fratrem alium pleuriticum, eius sanguinem missum sibi insit ostendi: ostenditur, ad queni videndum ille inter alios accedens subitò deprauati corruptique sanguinis aspectu perculsus, IESVS nomen iterans ter corruit è vestigio. Medicus deliquium esse conijciens: pulsum venarum explorans, easque micare non sentiens, rem esse periculi magni denunciat, sacro perungi oleo celeriter iubet, omnem tamen celeritatem vis intestini morbi præcucurrit, extremum quippe humi iacens spiritum emiserat, dato deinde viginti quatuor horarum spatio cum nullum spirantis præberet indicium, funeri postridie manè persoluta sunt iusta. Duas huius obitus causas coniectamus: vnam quòd tempora succisiua, in vitium quæ domi erant amputanda sarmenta conferebat, ingenti cum labore, sudoréque, in tam exacta præsertim ætate: alteram quòd sæpenumero precibus efflagitabat à Domino, largiretur id sibi, vt sine molestia domesticorum decederet: duobus ante diebus generali confessione & Eucharistia fuerat præmunitus. In more

Digitized by Google

posuerat, omnia momenta quæ vacua sibi munus relinquebat coram sacro Christi corpore traducere. Idem in carcere, Xenodochijsque lustrandis cursus tenetur, negotium verò facessiuit hoc anno lues, quæ mensibus abhinc sex grassari cœpit, milléque & eo amplius vtriusque sexus absumpsit. Meditationibus spiritualibus nonnulli sunt exculti.

DVAE sunt excursiones susceptæ; altera Regis Philippi Legato postulante, in suæ ditionis villam nomine Cabra, à duobus Patribus, vbi singulis diebus mane & vespere conciones habebantur, quibus & reliquis susceptis laboribus fructus haud exigui responderunt. Fuit pium agmen instructum ad nostræ fidei elementa cantanda, magna omnium lætitia, admurmuratione & plausu, Corroboratæ iam odio & tempore, sectatæ sunt controuersiæ, nascentes aliæ compressæ. Altera excursio in Abbatiam Regij Compluti, vbi, cum nondum eò Nostrorum satis cognitio peruenisset, ministeria fuerunt eximio omnium gaudio accepta, obitáque ingenti cum fructu. Nobilis quidam morabatur in Vrbe omnium offensione duarum mulierc ularum pellicatu deuinctus, cuius animum nostris concionibus tanquam repetitis ictibus ita mutauit Deus, vt, quamuis è duro silice, diuini amoris scintillas excusserit, & pellices ablegauerit. Hac in Vrbe duo potissimum Nostrorum amorem excitarunt: tum integritas Societatis in pecunijs & muneribus oblatis remittendis, tum ardens præbendi confitentibus aures desiderium. In nostro Montellæ Collegio princeps sacellum ad audiendas conciones laxatum: collectitia pecunia in suggestum faciendum locata: ædibus accessio facta.

COI.

Digitized by Google

COLLEGIVM MARCENENSE.

CONSVLTVM est hoc anno pauperibus nexis & solutis, corrogato ære in summa annonę caritate. Die Diuo Sebastiano sacro inter concionãdum quidam è Nostris acriter in procrastinantes & differentes confessionem inuectus est, addens nonnullis forsitan ex adstantibus extremum hunc vitæ diem agi. Mirum dictu, vix discessum erat à concione, cùm ecce repente mortuus quidam multis inspectantibus corruit, quo audito omnes magnus similis supplicij timor oppressit. Hoc primum anno bacchanalibus, quo tempore pudoris omnibus, officijque sepagulis perfractis liberè vagatur improbitas, sanctissimum Christi corpus, aperta eminens pyxide propalam in ara ad placandum scelerum seueriſſimum vindicem collocauimus: vbi multi genibus nixi per multas horas à cæteris abstracti perstitêre. Mulier quædam nobilis decedens aureos nobis centum ad bibliothecam, totidem ad pyxidem suo testamento legauit.

EXCVRSIONVM solennis extitit fructus, in oppido præcipuo quodam (Arahal vulgò vocant) in quo erat tanta voluntatum animorumque distractio, vt discordantibus mẽbris, nihil aliud, quàm totius corporis interitus timeretur, Deo benè iuuante Nostri omnes ad pacem atq; concordiã reduxerunt. Ecclesiastici duo conuitijs mutuis vtrimque contortis odio capitali dissidebant: is verò cuius magis erat læsa dignitas, Nostrorum hortatu se flexit, & populo quem offenderat inspectante ve-

Digitized by Google

niam ab inimico prouolutus in genua suppliciter postulauit.

COLLEGIVM BAEZANVM.

AVCTIOR est facta templi domusque suppellex. In carceribus detentis, ægris, & capite damnatis opera diligenter impenditur. Suscepta expeditio in oppidum cui nomen Isnatorape, habitæ conciones, & elementa Christianę disciplinę instructo publicè agmine decantata. Instituti pueri, sublatisque lasciuioribus cantiunculis pia carmina suffecta. Innumerabiles auditæ confessiones, aliquot ablegatæ concubinæ. Tabernæ aleatoriæ occlusæ, sedatæ discordiæ, quæ gliscentibus odijs publica multa mala portendebant.

COLLEGIVM MALACENSE.

EXCVRSVM est hoc anno in oppida duo, quæ concionibus erudita sunt, cum quibus laborandum fuit, vt nostrum discessum æquo animo perferrent; ita nos modis omnibus retinere cupiebãt. Tradita sunt viro nobili Sacerdoti exercitia spiritalia Societatis. In custodijs publicis detenti inuisuntur assiduè, expurgãtur confessione, refectiq; cœlesti cibo apparatis epulis accipiuntur. Firmantur etiam dẽ more morti destinati, neque à denunciata capitali sententia vsque ad persolutum supplicium deseruntur: eorum

Digitized by Google

rum verò qui detinebantur in carcere viginti ære alieno liberati sunt. Huc appulerunt triremes malè ab hostibus, & rerum omnium inopia acceptæ, miserandum sanè omnes diloricati, omnes dilacerati, plerique nudo corpore, vulneribus confossi, semimortuiq; iacebãt. Oblatam Nostri tenuerunt occasionem, corrogant ostiatim pecuniam, conuehunt fomenta, cibos & medicamina ægris, vestes nudis, mortuorumque cadauera ritè ad sepulturam insuunt: humandaque curant. Fœmina quædam primaria infami turpitudine Ecclesiastico cuidam obstricta tenebatur, cuius eò processerat libido, vt nec cognatorum ferrum, quod quotidie magis acuebat, extimesceret: verùm Dei miseratione factum est, vt Nostri sacerdotis ad meretrices habita concione, fuerit permota, mirandum quidem, anteactæ vitæ recordatione perculsa, confessionem tanto cum dolore lachrymisque peregit, vt nostrum nobis teporem tacitè exprobrare videretur. Auctior fit in dies numerus scholasticorum, qui literis ad humanitatem informantur, vnoque anno viginti se in varios Religiosorum cœtus contulerunt.

COLLEGIVM XERENSE, ET Gaditanum.

QVAMVIS hoc Collegium Xerense in tam exiguum Sociorum numerum fuerit redactum, industria tamen in omnibus nostræ Societatis muneribus eluxit: multos spectatos adolescentes varijs cœnobijs scholæ pepererunt, tres potissimùm nostræ Societati, inter quos admirabilis extitit nobilis quidam adolescens, ad quem è proposito dimouendum,

Digitized by Google

nullas non lachrymas parentes fuderunt: omnia tamen irrita fuere: illius quippe mentem cælestis obarmarat potentia. Itum est hinc in oppidum Mellariam à duobus Patribus, vbi bimestrem operam non sine fructu collocarunt.

IN Gaditano vtilitati animorum diligenter incumbitur, conciones habitæ multæ, pauperes multi sustentati, ægri criminibus expiati, & moribundi de more confirmati. Augetur quotidiè numerus puerorum (ni malis infantes dicere) qui prima elementa condiscunt: nec desunt multi qui exhausti licet, & inopes, nostris tamen necessitatibus, quantum eorum patitur tenuitas, opem ferant. Aurei nobis sunt donati sexcenti, odæum nouum extructum, & sacrarium. Deletum ex templo vetus tectorium, & nouum inductum, aliáque instaurata oppidanorum liberalitate, quam ad rem Philippus Rex mille aureos imperauit.

COLLEGIVM TRIGVERENSE, ET Vbedanum.

IN Triguerensi Collegio lucris animarum est opera nauata diligenter, cuius opis Ducis Metinensis rogatu nonnihil deriuatum est in oppida suburbana. Extrema hoc anno manus initio mensis Augusti, nouo huius Collegij templo præter omnium spem, & opinionem accessit, cumque inditurí essemus sacrosanctum Christi corpus in nouum tabernaculum, indicta est solennis quædam & celebris supplicatio, quo audito ita totum oppidum refertum est omni hominum genere, ex circumiacentibus locis, vix vt iam capere posset.

Digitized by Google

re posset .Die verò quæ Deiparæ natiuitatem præcedit, magna in nostrum Collegium multitudo cófluxit, simulque permulti clerici, qui vnà cum Nostris linteati in agmen sanctissimum Christi corpus preciosis ferculis educentes processerunt. Quacunque pompa progrederetur sonitu tibiarum,& vocibus cantorum tota vicinitas personabat,medijs interiectis pedes ad numerum mouentibus saltatoribus. Introitu templi maximi tabulatum erat excitatum, vbi diuæ Catharinæ Romanæ historia peracta est. Ventum est tandem ad nostrum templum, quod erat mirificè ornatum,& face plurima lucens: gratijs verò à P.Rectore habitis, factoque solemni sacro discesserunt:die tamen Natiuitatis Virginis Mariæ religiosi Carmelitanæ familiæ inuitati ad nos venerunt, vbi ex illis quidam solenne Sacrificium, reliquis ministrãtibus,peregit:eorum verò moderator primum de diei solemnitate, dein de nostris laudibus concionatus est, & frugali accepti conuiuio templum, domumque nostram cohonestarunt.Pater verò Rector huius erga nos finitimorum oppidorum officij reliqua ex parte remunerandi gratia Patres nonnullos in oppida misit suburbana.Aucta est templi,domusque supellex:extructum triclinium, culina, vestiumque custodia,& domus vniuersa laxata, oppidanorum liberalitate & studio erga Nostros, quod apud illos quotidie magis ac magis ingrauescit.

IN Vbano nihil peculiare,omnia tamen cum cæteris communia factitata.

Digitized by Google

COLLEGIVM ASTIGITANVN ET Cazorlanum.

IN Astigitano sacrum ac domesticum amplificatum instrumentum: hoc enim anno initio mensis Augusti duæ fœminæ primariæ huius ciuitatis nostrum Collegium viginti quatuor millibus aureorum dotauerunt, quarum duo fratres quatuor aureorum millia ad hoc tam religiosum opus contulerunt: Nostræ Societatis munera obeuntur ingenti cum fructu ciuitatis: reliqua cæteris communia. Claudet verò hoc Collegium infelix obitus cuiusdam adolescentuli (annum quippe agebat decimum quintum:) is erat nobili familia natus, nostrasque Montellæ scholas frequentabat, Societatis mentem suscipit, vrget Nostros, admittitur; post aliquot verò menses labare nonnihil in suscepto consilio cepit. Nostri eum fulcire curant, adhibent frustrà remedia: egreditur denique è tyrocinio, huc venit, exceptus est perhumaniter à Nostris, & Logicæ nauare operam incipit vberrimo cum fructu: Non tulit diuina sapientia hanc sui tyronis fugam impunitam. Vix decem agebantur menses, ex quibus Societati remiserat nuncium, cùm ecce tibi quadam die miser ille, suique casus prorsus ignarus gymnasium de more adit, ad verba cum condiscipulo venit subacerba, qui leuicula hac occasione data vsque adeo exarsit iracundia, vt iuuenem per summum scelus adortus, bis repetito pugione ita confoderit, vt intra horæ quadrantis spatium animam exhalarit. Omni facultate præcluſa peccata confitendi. Huius repentinæ mortis ad omnes statim afflauit rumor: aduolant

ia do

Digitized by Google

in domum noſtram multi viri nobiles ciuitatis, videntéſque cadauer ſuo cruore volutatum, animo perculſi hærent, Deique iudicium verbis & motibus ſignificant,

IN Cazorlano auctus eſt auditorum numerus, ad ducentos, & eo amplius. Sodalitium extitit Deiparæ, quod ſit melius in dies. Inſtitutum etiam conuictorium, quod eiſdem quibus Bellemontenſe regulis, & inſtitutis educatur; ex quibus ſe nonnulli ex huius pelagi periculis in Religionis portum contulerunt. Domi foriſque conciones frugiferæ habentur, expeditiones ſuſceptæ ſunt in oppida circumiacentia, in quibus noſtri ſic vtiliter concionati ſunt, vt poſtea opprimerentur multitudine peccata confitentium: tantus enim animis iniectus eſt ardor, vt omnes antelucanis horis ſeſe certatim effunderent ad noxas detegendas, nudandas plagas animi, & confeſſionem peragendam, quam vel à primis annis multi repetierunt. Nobilis quædam mulier, cui nulla vnquam cum Noſtris interceſſerat neceſſitudo, rem ſuam familiarem, quæ duobus aureorum millibus æſtimabatur, perpetuò nobis addixit, ac donauit.

PRO

PROVINCIA TOLETANA.

IN Professorum Toletana domo quadraginta quinque: Sacerdotes viginti tres, reliqui domesticis occupantur. Matriti octo supra nonaginta: septem & triginta Sacerdotes, ex ijs quinque Grammaticæ & Humanitatis studia moderantur: domesticæ administrationi vacant cæteri. In Collegio Complutensi cum pagis duobus tres & nonaginta: viginti quatuor Sacerdotes Theologiam docent, Scholasticam duo, Positiuam tertius, quartus moralem, præter hos vnus Grammaticam in Hualcarnerensi docet, Scholastici triginta; qui supersunt rem domesticam curant. In Murano quatuor supra sexaginta: Sacerdotes viginti, ex quibus Theologica doctrina occupantur tres, vnus præterea Philosophica, alter cum duobus fratribus literis humanioribus tradendis, Theologiæ auditores septemdecim: Philosophiæ tres: reliqui exterioribus inseruiunt. Villæ-regiæ septuaginta degunt: sedecim Sacerdotes, tyrones quadraginta, cæteri in domesticis laborant. In Belmontano tres & viginti: Sacerdotes decem ex ijs literas humaniores docent, quibus accedit in munere quartus non Sacerdos: domesticis vacant reliqui.

Digitized by Google

reliqui. In Huetensi vndetriginta: nouem Sacerdotes; quorum vnus Seminarium, duo Gymnasia humaniorum literarum moderantur; quos iuuat vnus è Fratribus: octo Seminarij sunt alumni; cæteri domestica negocia gerunt. In Toletano & Talabricano tredecim: septem Sacerdotes; ex ijs tres iuuentutem latinis literis erudiunt, obeunt idem munus fratres duo, cæteri coadiutores sunt domestici. In Conchensi decem: Sacerdotes quatuor, qui superfunt tractant domestica. In Caluiacensi sedecim: sex Presbiteri, vnus Grammaticam docet, reliqui domus curam administrant. Totidem sunt in Securitano; Sacerdotum & fratrum numerus par; ex fratribus vnus docet Grammaticam. Triginta octo Oropesanum alit Collegium: duodecim sacerdotes, vnus Theologiam Moralem docet (Casus vocant) tres verò Philosophiam, ex Fratribus Grammaticam & humaniores disciplinas eodem; Philosophiæ & Dialecticæ nauant operam vndecim, cæteri rei domesticæ student. Sunt in Placentino quatuor & viginti: vndecim Sacerdotes, duo docent, alter moralem Theologiam, latinam linguam alius, cui fratres duo sunt comites, reliquus coadiutorum est numerus. Ocaniæ vnus & viginti morantur: vnus Theologiam morum, duo humaniores literas docendo tractant ex vndecim Sacerdotibus. his duobus accedit quidam è fratribus, cæteri domestica obeunt ministeria. Desiderati sunt sepremdecim, Sacerdotes octo, reliqui non Sacerdotes: recepti in Societatem viginti duo.

PRO

PROFESSORVM TOLETANA

D. O. M. V. S.

VERTENTE anno noui concionatoris aduentu ciuium animi Societati plurimum sunt conciliati, quos spiritualis vtilitas maior est consecuta. Nam præter laudabilem confessionum & sacræ Synaxis vsum frequentiorem; crebrò ad Nostros consilij causâ pro rebus maximis ventum est. Quidam non vulgaris notæ vir, addo etiam templi maximi nobilis minister, cùm in lethalem morbum incidisset, nec impetrari ab eo multorum Religiosorum hortatu posset, vt peccata confiteretur, ita res manarunt in vulgus, vt Archiepiscopi Vicarius officij causâ quemdam ex Nostris ad illum commonendum miserit: it ille, ac redit: multa molitur, nihil proficit; perfecit tamen hortando, permulcendo, hominem allicit, vt se exorari, & conscientiam exonerari sinat, resipiscit Dei gratia, & cunctis quæ ad animum attinebant constitutis optato euentu migrat è vita. Multis malæ peccandi turpiter Nostrorum industria occasiones ereptæ è manibus: ejectæ pellices, & in triuijs publicis intempesta nocte sublatæ. Extincta dissidia illud præter cætera, quod quidam in rixa cùm alapam alteri impegisset viro non ignobili in vincula coniectus traductione publica, exilio, manus truncatione damnatus, rogatu nostro ab omni supplicio est liberatus: exilium tamen quo minus subiret impetrari non debuit, ne præsentem iniuriam quatuor læsi robustissimi filij non ferentes, in illum grauius sęuirent, maiusque periculum crearetur.

MA

Digitized by Google

MATRITANVM COLLEGIVM.

EXAEDIFICATVR ea Collegij pars, quæ ad scholas pertinet, cuius fabricam Rex ac viri Nobiles quatuor aureorum millibus hoc anno iuuerunt. Scholasticorum seculare rium numerus 750. fuit. Annunciatæ alumni permulti, plures longe futuri si locus caperet: capiet autem scholis confectis, Cœnobijs nomẽ dederunt triginta. Noui ædificij fornices, & scalæ ad superiorem domum constructæ, tum etiam præ triclinio aula permaxima, quadrato opere adiecta: quam in rem mille quingentorum aureorum summam quorundam liberalitas largita est: sunt etiam Reliquiæ perhonestè collocatæ: factæ vestes auctæ: sumptus mille aureorum fuit ex amicorum largitione. Quatuor è Nostris concionari sum, partim domi in regia, partim in cœnobio Virginum ad Philippi secundi sororem Augustam; alij postremò, quò Senatus regij auditores concionum gratiâ conuenire solent. Ex ijs non exiguus fructus perceptus, sedatæ lites, sublata dissidia, graues iniuriæ Nostrorum opera condonatæ. Item frequenter ad puerorum scholas, quæ numero sunt triginta, deductęque in publicum diebus festis cum catechesi, & adhortationibus ad populum æquè magna cum curiæ admiratione ac fructu. Præ egestate puella quædam periclitabatur, è quibus angustijs, piorum Nostris authoribus largitione liberata est.

MISSIONES duæ Illustrissimo Toletanæ Ecclesiæ Præsule postulante in varias diœceses partes susceptæ, vbi in catechesi, concionibus, confessionibus totius vitæ,

Digitized by Google

vitæ, in eo præsertim oppido, (Archiepiscopi pontem vocant) aditum ad Ceciliam Gimillinam, hodie Guadalupe, peregrinis frequentissimam, atque adeo illorum auxilij, & curationis egentissimam; quatuor è Nostris ibidem perquàm vtiliter sunt versati. Pax inter multos constituta: quo in genere cum quidam acerbissimas iras gererent: vocatusque ex curia Iudex vindictæ causa: rem vt moris est vellet exquirere, reosque punire, in summam concordiam Nostrorum diligentia ventum est. In altera diœcesis parte multis pagis, villis, oppidulis frequenti, montibus, gelu, niuibus asperrima, barbarica, inculta, re frumentaria, victu, doctrina destituta, intestinis odijs diuisa, omni in genere summa patientia non exiguo fructu est à Nostris laboratum.

COMPLVTENSE COLLEGIVM.

VAE de Nostrorum officio in hoc Collegio dici possunt eque sunt magna ac annis superioribus. Accessit ex frequentibus grauibusq; nostris concionibus præter cætera spiritualium exercitationum vsus, frequentia, in sexaginta præsertim, qui instituto in melius commutato, partim religiosæ vitæ se consecrarunt in Societate decem magnæ spei adolescentes ex Philosophiæ curriculo: partim vitę rationem salubriorem inierunt, admirantes constans, ac ratum Societatis in iuuandis hominibus studium. Venerat Complutum quidam vlciscendæ iniuriæ, animo satis nescio an etiam corpore armatus: nostri tamen Concionatoris oratione arma, iniuriam, peccata denique ad cuiusdam è Nostris pedes deposuit.

ILLVSTRISSIMVS Toletanus eam de Societate

tate opinionem concepit, vt dioecesi benè consultum putaret si per Nostros eam lustrasset: impetrauit ad id muneris, quot potuit ex hoc Collegio. Duo, qui magnam partem peragrantes, ea loca adierunt, quos nulla Nostri attigerat ferè notitia, tam vtiliter laborarunt concionando, vt in pagis oppidisque, ne dicam in vrbibus, ferè nullus reliquus fuerit, quin eluerit peccata. Multa etiam anteactæ vitæ quinquagenaria, sexagenaria, ac diuturniore etiam confessione, partim consolationis, partim nullitatis causâ repetita, adeo vt summo mane euigilandum fuerit, ac ad multam noctem pernoctandum, tantus erat hominum concursus.

IN Naualcarnerensi, vbi Nostri residēt, pestifera contagione, quæ annum ferè durauit, grassante magna, tum laborandi, tum percipiendi fructus obiata occasio: sæuiente enim lue, in diesque crescente, ita creuit Nostrorum animus, vt nullum quamuis apertissimum periculum magna cum populi tum admiratione, tum existimatione Societatis non adierint, quo in discrimine è Nostris duo ad mercedem capiendam vocati sunt.

MVRCIANVM, SECVRITANVM, ET Carauacense.

QVAE generatim dicta sunt, in hoc Collegio fuerunt valde singularia: Compluuium statim à vestibulo Collegij ingredientibus obtium, quadrato lapide satis commodè conderatum est ex quorundam beneficentia: stetit centum quinquaginta nummis aureis. Impiè ac turpes cantilenæ, pijs, ac honestis Nostrorum industria magno

Digitized by Google

pueritiæ exemplo per totam Vrbem commutatæ. Ex ciuium Annunciatæ Sodalitio magnum subsidium in vinctos emanauit, nam & quotidianum victum illis præstitit,& permultos ære alieno in carcere detentos soluta pecunia liberauit. De Securitano nihil præter solitum noui, Grammatica tamen tradi cœpit ab vno Nostrorum, magno fructu. In Carauacensi multi sunt egestate summa liberati, pecunia per Nostros collecta.

COLLEGIVM VILLAE-REGIAE.

QVOD noui ex hac Probationis domo, præter eximium tyronum progressum,& obitum P. Ferdinandi Mendoça, Marchionis Canneti fratris, scribam nihil habeo: tametsi hic eiusmodi fuit vt commendari iure Societati debeat. Is enim decem & octo annos natus, tanto exarsit eius desiderio, vt multis redditibus, spe etiam plurimorum relictis in eam fuerit cooptatus. Quamdiu vixit magno omnibus exemplo fuit, ætate præcipuè grandiori: iuuit semper plurimum Societatem pecunia ad centum mille aureos, labore vsque ad Peruanam Prouinciam, vbi & Limani collegij Rector per quadriennium, post ad triennium ibidem concionando, & audiendis confessionibus zelum diuini honoris & amorem in Societatem satis ostendit. Obedientia coactus in Hispaniam redijt, nisi cogeretur non rediturus; tanto tenebatur conuersionis illius gentis studio. Huc se ille quinquagenarius non intermisso labore superioris voluntate collegit, vbi acerbissimo stomachi dolore magno toti Prouinciæ sui desiderio relicto vita decessit.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM BELMONTANVM.

RES est eo statu quo annis superioribus: sacræ vestes auctæ sunt ad sexcentos nummos aureos, Marchionissæ Mondesacensis dono. Disiunxerat ciuium animos grauis iniuria quę iam iam ad rigidum exquisitoris iudicium deducenda, multa multis incommoda minabatur; sed diuino beneficio per quemdam ex Nostris in gratiam redierunt. Coacceruarat quidam aliquantam pecuniam cuius augendæ spe negociari studebat, ludo negociari paulatim cępit, quoad totam perdidit; ac intempesta nocte rebus penè desperatis domũ è ludo regressum, quidam equa vectus veloci cursu consequitur; ac hominę proprio compellans nomine, heus tu, inquit, ascende huc à tergo venatum ibimus: comitabantur autem equitem venatici canes non pauci. Miratus ille se ab equite appellari minimè noto, mediaque nocte & Quadragesima venatum inuitari, paululum ad parietem declinans carri temone conscenso, Non ego hac hora venatum, respondit. Tunc ille huc illue agitata equa peruolabat; necnon & gallicus canis perniciissimo saltu temonem in sublime erectum intacto sessore traiecit; eques verò citato cursu via decliui subitò euanuit. Remansit lusor, sed non satis sui compos, nec prius ad se redijt, quàm cum vno è Nostris communicata confessione conscientiam eluit.

Digitized by Google

CONCHENSE ET OPTENSE.

INIVRIIS remittendis plurimum & non sine vtilitate à Nostris laboratum est. Quidam virum Ecclesiastica dignitate & genere nobilem, valde sibi de impetenda vxore suspectum, è medio tollere moliebatur: idque per nebulones remotis è locis conductos operam dabat, qui captandam rei, magno ciuitatis malo, gerendæ occasionem ad vigesimum diem prolatarunt. Deus tamen (vt benignus est ac misericors) meliora: nostra enim concione vsque adeo maritum permouit, vt & consilij suscepti valde pœnituerit, & assassinis dimissis, ab incœpto destiterit. Bona fœmina marito orbata famulo proprio rei augendæ negotiationem tradiderat, abuti ille licentia, abutendæ etiam dominæ, occidendæ, furandæ postremò pecuniæ rationem inierat. Feriæ quintæ in Cœna Domini, multam noctem (quo tempore mysterij Christi ad columnam publica pompa celebratur) ad rem aggrediendam designauerat; qui sciret dominam sese modestiæ causa domi continere solitam: stricta ergo sica dormientem aggreditur: excitat, impotentem libidinem exponit. Principiò illa ad sese ex insania redeat hortatur blandè, deinde excitatæ famulæ accurrunt, rationibus interpellant: ascitur vicinus ciuis, eius opera Prætoris ministri conueniunt; in vincula effrænatum iuuenem conijciunt. Concursatur huc illuc à cognatis adolescentis pro infami supplicio deprecando, nihil agitur: ad Nostrorum intercessionem ventum est, neque impetrari aliud debuit quàm iniuriæ & pecuniæ condonatio. Non adeò dissimili in re à viro nobili domus,

Digitized by Google

mus, sui occidendi causa, perfractio condonata. Puella nobilis huc è patria perraptum à milite abducta ex turpi quæstu honestè liberata est. Obtulerat se videndum specie boni malus dæmon hæretico malè litterato, atque adeò perquàm propositi tenaci, & ad rogum damnato, nihilque à proposito desistendum, nihil pertimescendum suaserat, pollicitus, illum se actutum è rogo liberaturum: quo viso ille animum obfirmauerat ita, vt noctem ferè totam è Nostris quidam cum illo colluctatus pene fatigatus abscesserit. Tandem miserante Deo emollescit: rationi, & Catholicæ fidei paret: anteactam vitam exomologesi peccatorum purgat: ad rogum deductus crucem veneratur: ac tandem fracto lictoris ad strangulandum funiculo, semimortuo brachia defluxerant: at cum reuixisset erectis brachijs crucem ori reuerenter admouit: inuocatoque ter IESV nomine animam Deo reddit, magna populi acclamatione.

COLLEGIVM OCANIENSE.

ROSTITVTA fœminarum pudicitia honestiori loco Nostrorum opera collocata est, & magna ciuium pars, quorum animi acerbissimè diffidebant, conciliati: à quodam arma ad inimicum per filium occidendum, odium etiam Nostrorum hortatu depositum. Mœchus ab adulterio committendo reuocatus. Vir nobilis nefandi criminis falsò impositi reus iam iam supplicio plectendus, vnius è Societate industria detecta veritate liberatus est. Angue correpta fœmina vnum è Nostris accersiuit: accedentem rogat in posterum differat diem: instat ille, inutilem pro-

Digitized by Google

crastinationem, vrget tandem vt confiteatur: paret illa libenter: pauculas post horas bono nomine moritur. Honesta puella sese virginitate B. Matris deuouerat, quam diutissimè purè seruauerat: die Expectationi sacro in morbum incidit, accersitur è Nostri vnus, præter cætera, quid sibi vigilanti acciderit narrat: nempe à sinistro latere cubiculi hominem teterrima specie à se visum intentantem minas; & hac voce illudentem, Hæccine Virgo? Imo verò aliud. Contra verò dextera parte pulcherrima forma virgo conspecta, quæ fœdum illum abire imperaret, cùm diceret sibi notam puellæ honestatem: Contra ille negare, accusare, teporem in orando vespertino præsertim tempore obtendere, tum maximè cum rosario vacaret. At beatissima Virgo alumnæ suæ probitatem commendans, hostem abire sæuerè imperauit, & re pacata octauo post die, qui natali Christi sacer est, cum perspicua spe præmij decessit.

TOLETANVM, TALABRICENSE, ET Oropes sanum.

DVOBVS prioribus pro exiguo Nostrorum numero laboratur satis strenuè. Ex tertio ad vicina loca missi duo magno cum fructu: maximus tamen collectus est ex Sodalitio charitatis eorum hortatu instituto pro pauperum auxilio, quorum vt erat magna destitutio, sic illo erecto magna est opitulatio.

COL

Digitized by Google

COLLEGIVM PLACENTINVM.

RES aucta est pro sacro ornatu conseruando redditu aureorum quinquaginta honestę fœminæ morientis testamento. Amicus item trecentos aureos in annos singulos per septennium ea lege reliquit, vt capitali censuum quos soluebamus (quoad fieri posset) liberaremur. Ex Nostrorum concionibus fructus constitit non pœnitendus. Ille eximius quòd fœmina Nostrum è concione domum prosecuta, orare non destitit, quoad se à turpi vita liberaret: consilijs, auxilijsque ad perseuerandum muniret (quod diuina gratia factum est) vsque adeò vt cum amicus elegantia & pecunia pollens, illam modis omnibus fugientem insequeretur, & in templo inuenisset, ad aurem que dixisset destiturum se nunquam ab illius amore, etiam si sciret orcum sibi subeundum, quoad illa more solito frueretur, confirmato animo responderet, commissuram se nunquam vt illum comitaretur; solus si vellet in æternas pœnas abiret. Hac ille voce ita animo mutatus est, vt statim religioni nomen dederit, ac quarto post mense multis pœnitentiæ fructibus magno exemplo migrarit è vita.

Digitized by Google

PROVINCIA MEXICANA.



COMPLECTITVR Mexicana Prouincia ſuis & Philippinarum Vice-Prouinciæ domicilijs noſtræ Societatis ducentos homines & ſeptuaginta nouem. In his quos Mexicana Prouincia continet quinque & octoginta Sacerdotes numerantur, quorum duo & quadraginta ſolemnia quatuor, tres tria dumtaxat Societatis vota nuncuparunt; tres item Coadiutores ſpirituales: è Fratribus verò ſeptem & quadraginta litteris excoluntur: Theologi nimirum quatuor & viginti præter duos Sacerdotes, Caſuiſtæ ſex, ſeptendecim Philoſophi. Coadiutores autem quotidiano victui & re domeſtica procuranda occupantur ad octoginta: ſex & viginti Nouitij. Philippinarum vice-Prouincia vnum ſupra quadraginta tulit: Sacerdotes videlicet quatuor ſupra viginti: In his quinque quatuor ſolennia vota profeſſos, Fratres quindecim. Coadiutores; reliquos verò Nouitios. Morte ſublati duo, Sacerdos alter, alter Coadiutor temporalis. Pro his ad noſtra ſigna traducti viginti, vnus Baccalaureatus titulo decoratus, duo Philoſophi, ſex Rhetores, quatuor Humaniſtæ, reliqui ſeptem Coadiutores.

Digitized by Google

iutores. Domicilia eadem quæ superioribus annis: Domus nimirum vna Professorum in Prouincia, septem Collegia, quorsi vni adiuncta est Domus tyrocinij, Sedes quatuor: Missio vnica, quinq; abhinc annis incœpta, duo item Hispanæ iuuentutis Seminaria Nostrorum curæ fideique commissa. Viceprouincia verò continet Collegia duo, sedes decem, Missiones duas. Sed hæc generatim de vniuersa Prouincia, nunc singulas eius sedes ac domicilia percurrentes, ex his quæ Sociorum laboribus & industria Deus Opt. Max. pro sua bonitate perfecerit, potissima quæque libemus.

DOMVS PROFESSA MEXICANA.

IN domo Professa cuiusque generis ac fortunæ vtriusque sexus hominibus etiam Indis Hispanæ linguæ peritis omnia animorum præsidia, decem Sacerdotes constanti imprimis labore detulerunt, ea scilicet quæ institutum & consuetudo nostræ Societatis suscepit, & tractandis hominum moribus comparata prudentia, in subitis rerum ac temporum difficultatibus præcipere videbatur. Ergo vt interim omittamus conciones solito plures, & habitas maiori frequentia, sacramenta administrata, hospitales domos & custodias publicas frequenter obitas: sacrarum virginum cœnobia officijs sæpe commonita, dissidentes ad concordiam reuocatos, multorum inopiam animis etiam nocentem in tempore subleuatam, & summam Christianæ legis compositio puerorum agmine per vicos & compita decantatam, & rudibus luculenter expositam. Illud nuper in more positum, vt in peruigilijs trium (vt aiunt)

Digitized by Google

Paſchatum, quo tempore cuſtodiæ publicæ ab Hiſpaniæ Prorege, Regioque Senatu de more luſtrantur, adſit quidam è Noſtris apud Iudices & fœneratores ſedulus deprecator, cuius precibus & induſtria multorum aureorum remiſſione impetrata, ex his qui quod ſoluendo non erant, in vinculis detinebantur, non pauci expetita libertate donati ſunt: & inter alios hoc anno nobilis Indorum Caſitius, qui preſſus ære regio multos annos in ergaſtulo delituerat. Poſiti ſunt in pluteo ad ianuam noſtrarum ædium libri aliquot quorum lectione negocij aut ſacramenti cauſa conuenientes ſine temporis diſpendio, plerumque etiam magno animorum compendio detinentur, cuius inuenti, ad cuſtodias publicas Noſtrorum auxilio permanauit vtilitas. Retenta conſuetudo ſe diuerberandi in templo noſtro, maximi ieiunij diebus, aucto magnopere pœnitentium numero: quo tempore non mediocris puerorum manus ſtudio pietatis incenſa, prælata Domini è cruce pendentis effigie, cum ardentibus faculis, & cantu Chriſtianæ doctrinæ ad valuas noſtri templi, ſua ſponte, nullo prorſus admonente, concurrit, magno patientiæ gaudio, & ciuium admirantium gratulatione. Sed illa propriam narrationem deſiderant.

QVIDAM vt acceptam in iurgio aboleret iniuriam hoſtem è medio tollere ſclopi diſpoſitione, immani concepta rabie meditabatur, ſed facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur: nam cùm nocte ad lucernam ſulphurei pulueris vim medicamentis perficeret, vt globum in aduerſarium maiori emitteret violentia, forte cadentibus è lucerna fauillis, ſulphureus puluis flammas ex illis arripuit, quæ in proxima quæque diſperſæ ipſas etiam hominis veſtes momento comprehendunt: flagrabat ſcilicet miſer, & circundatus vndique crepitantibus flammis, domeſticorum fidem atque opem implorat: ſed illi horribili ſpecie conterriti non domini ſed dæmonis

in

in vltrici flamma apparentis clamorem arbitrati, quà metus tulit, arrepta fuga pauidi pauentesque in interiora cubicula sese recipiunt: inops cõsilij & mentis homo destitutus suorum ope, vt incendium effugeret per fenestram sese præcipitem dedit, & miserè ad terram afflictus nihil proprius habuit quàm vt animam efflaret: eo itaque flagello Deo adiuuante ita resipuit, vt accito Nostrorum cuidam labes animi aperuerit, & iniuriam condonauit cui necem machinabatur. Alium ex accepto immodico dolore propter rei familiaris factum in alea dispendium, desperatio simul & vitæ tædium incessit, ac tandem domum rediens stimulante dolore gladium astringit, & capulo in terram defixo in aduersam pectori cuspidem limphatus incumbit: sed Deo aliter prouidente, loco cedente capulo, aduersa cuspis obliquo ictu irruentem fefellit, id quod domum cùm peruenisset, quasi diabolicis agitatus furijs (vxore ab occulto recessu inspectante, & ne in suum caput ira conuerteretur prohibere maritum non audente) iterum ac tertiò irrito semper conatu tentauit: ille tamen furore cæcus, & certus mori postquam ferrum sibi parcere vidit, aliam sibi mortem quærendam putauit, baltheo ad fulcra tori & ad fauces arctissime colligato spiritum sibi intercludit, iamque sensus & animus deficiebat cùm vxor accurrit cum famula, præscindit baltheum, infelicem in lectulo collocat: Socium quàm maxima festinatione iubet aduocaritis consolando, hortando, ac monendo insanæ mentis hominem ad vitę consilia restituit, discussaq; furiarum nebula, priora consilia detestantem, & omnes quas concepisset animo noxas expromentem audiuit. Vult ipse Prorex se interdum certiorem fieri à Sacerdotę nostro de egenis & orbis vtroque parente, clam victum emendicantibus; atque eius vtitur opera ad pecunias huius fortunæ diuidendas hominibus, id quod in corporum & animo-

Digitized by Google

rum commodum sæpissimè vertitur.

DOMINVS Io. Ludouicus Ribera multis verbis gratias agit Paternitati vestræ quòd se tanto Missarum & precationum thesauro ex vniuersa Societate collecto ditare voluerit, literasque patentes amplissimis verbis reddiderit, cuius grati animi testem liberalitatem suam nostris rationibus procurandis & promouendis languere non sinit: illud argumento sit quod præter pecuniam quam ex pacto fundationis annumerauit, quinquaginta insuper argenti pondera decreuerit in hebdomadas singulas quibus fabri ad templi substructionem conducantur.

COLLEGIVM MEXICANVM.

IN his quæ communia sunt huic Collegio cum Domo Professa nihil sese offert inusitati. Proprium verò Collegij munus Hispanæ iuuentutis educatio optimo literarum & pietatis incremento feliciter hoc anno processit. Theologi & Philosophi à grammaticis separati, & illis aulæ atq; atria distincta, ad literarios vsus aptè concinnata. In scholis Grammaticæ conditum sacellum aureis ferè millenis, ab studiosis quibusdam nostri ordinis ciuibus liberaliter erogatis, vt in eo Beatæ Virginis pulcherrima effigies argenteis vndique bracteis exornata reponeretur. Huius sacelli opportunitate res sacra & Parthenianorum conuentus maiori frequentia & pietate celebrantur, & rosarium Beatæ Virginis nuper inducta consuetudine post vespertinas scholas recitatur. Pro instauratione studiorum habita est à Professore humanitatis elegans imprimis,

Digitized by Google

mis & grauis oratio in ornatissimo virorum Principum vtriusque ordinis regijq; Senatus conflessu, grata quidem eorum admurmuratione & incitamento discipulorum, quo die publicè renunciata sunt nomina eorum qui ad superiores classes promouebantur, non sine præmio & collaudatione spectatæ & excellentis examinatorum iudicio multorum industriæ: hi fermè fuêre duo & quadraginta: nec prætermittendum, totidem se in varias abdidisse Religiosorum familias. Ciuitate Mexicana Philippo Regi defuncto iusta solennia ampliſſimè persoluente, vt regia Academia sui officij partes cumulatius expleret, quatuor certamina nostrorum Professorum arbitrio promulganda & componêda detulit Societati, ac Deo adiuuante perfectũ est, vt nostro gymnasio existimationis non parum accesserit. In gymnasio Theologiæ ac Philosophiæ nunquam remittente se auditorum contentione, habitæ sunt frequentes literariæ concertationes, eadem sapientium hominum approbatione qua semper hactenus. Sed illæ Theologiæ illustriores, quibus per totum diem exagitatis, duo Episcopi Philippinis insulis destinati humanissimè interfuerunt. Congregationis alumni tenent quod iam pridem arripuêre officij & pietatis spatium: sed quoniam ea quæ de illorum præclaro ad omnem virtutem impetu & insigni in tuendo pudore constantia literis consignanda videbantur, his fermè similia sunt, quæ superioribus literis acta meminimus; illud tantum excidisse noluerim: Plures octo Congregationis alumnos alijs sacris Religiosorum familijs, tres Societati nomina dederunt.

EX hoc Collegio profecti sunt missionis causa Sacerdotes duo in remotissimum, quod vocant, nouum Granatæ regnum, Peruensi Prouinciæ longissimo tractu conterminum: nec enim id negare potuimus Illustrissimo D. Bartholomeo Lupoguerrero nostræ Societatis amantissimo

Digitized by Google

simo viro, qui primi nuper Inquisitoris munere perfunctus ad dignitatem Archiepiscopalem totius regni Granatensis euectus, nihil antiquius habuit quàm vt Pastoralis curæ fidissimos comites & Conginquæ nauigationis, solatia iterum, ac tertiò deuorata repulsa, instanti precum contentione, & iniecta commodæ fundationis spe à nobis impetraret. Huic ergo expeditioni designati duo summa Archiepiscopi gratia, qui nouæ Hispaniæ finibus excedentes, quæ laborum moles, quæ vitæ pericula exceperint haud facilè dixerim. Maritima persequar. Auanæ portu profecti, directo cursu in Vrbem, quam Hispani coloni Carthaginem vocant, singulari potius Dei beneficio quàm velificatione, aut aliqua vectoris industria, Anglorum naues piraticam exercentes effugerunt. Vix eo periculo perfunctis atrox subinde tempestas sæuis turbinibus & instar montium tumentibus vndis repente cooritur, ventorum rapidissimo flatu, maiori malo diffracto, certatim aquam multis partibus victa fluctibus carina accipiebat, capsas & scrinia, & multorum aureorum Archiepiscopi suppellectilem, Nostrorum sarcinulam, & libros atque aliqua manu scripta, leuationis ergò in mare oportuit proijcere: inde corporis penè desperata salute, seriò omnes de morte cogitare, & ad confessionem vltimi exitij horrore perfusi concurrere incipiunt. Primus omnium Archiepiscopus peccatorum confessione non sine lachrymis à prima ætate repetita; ad mortem suis & reliquorum sensibus obuersatem pro temporis copia, se comparat. Idem nostri Sacerdotes mutatis operis exequuntur: inde cæterorum confessionibus auditis in vota, precesque fusi diuinam ipsi opem imploram, socioſque adhortantur vt sublatis in cœlum manibus à Deo pacem & tranquillitatem expoſcant; Sanctorum præsidium votis nuncupatis cum lachrymis & peccatorum detestatione expostulent, Ignatium nostræ Societatis parentem optimum

mum religiosè meminerint, ex insula Cypro Italiam repetentem cùm aliæ naues rebus omnibus instructæ, à quibus ipse per contemptum fuerat exclusus, altera fluctibus hausta, altera ad scopulos allisa, miserandum in modum perijssent, illum in paruo & malè compacto nauigio sæuissimę tempestatis vento ac fluctibus temperatis portum Dei beneficio tenuisse, sæpè Deum Opt. Maximum vt testatum faciat sanctorum hominum obscurioris famæ sanctitatem nonnulla præter naturæ leges & hominum opinionem edere solitum, forte aduenisse tempus quo præclara Ignatij apud Deum merita, & illustris vitæ sanctimonia vniuerso orbi patefiant: illum vt fama multorum literis excitata ferebat, Romæ ab aliquibus deploratæ vitæ hominibus piè ac religiosè compellatum præsentem opem & desperatam à medicis valetudinem attulisse: quòd si illa propter impositam ægrorum pectoribus papyrum Ignatij nomine consignatam, miraculosè patrata dicantur, esse sibi cur Ignatij apud Deum precibus, ex eo periculo euasuros sperent: quippe qui particulam cilicij gestanti, quo ipse viuens in terris pœnitentiæ & diuinæ propitiationis causa corpus suum multos annos astrinxerat. Ad eam Patrũ adhortationem insigni omnes pietate concepta: Pater Ignati, nobis in tanto periculo positis succurre, iterum ac sæpius inclamant. Haud in irritum fusæ preces, illicò ventorum ac maris ira lenita subsedit, & placida rerum tranquillitas cunctis Deo & Ignatio gratulantibus redijt: & quamuis non multo post vehementius excitati fluctus exasperari cœperunt, non tamen ea ventorum violentia & nauis iactatione qua antea. Archiepiscopus verò singulare hoc beneficium pro sua pietate ac religione vnius Ignatij meritis acceptum referens, concepto voto pollicitus est, si ille in Sanctorum numerum referretur, se daturum operam vt illius festum quàm apparatissimè fieret.

TEMPE

Digitized by Google

TEMPESTATIS amoto periculo alia maris incommoda subsequuta, obnubilo & tenebrante cælo, astrolabij vsu videlicet impedito, oceani plagas metiri non poterant, incerti vbi locorum versarentur, & quò venti ferrent, dubio & incerto consilio deliberantes, tredecim ipsos dies spe ac metu prope in singula momenta variante traduxerunt. Accesserunt molestissima multorum dierum malaciæ tædia, eo grauiora quo strictiore mensura aqua diuidebatur: sed his etiam laboribus Deus pro sua benignitate succurrit: die namque D. Francisco sacra, cùm vix decem aquæ amphoras quinque & quadraginta hominum restinguendæ siti supereressent, lenis ab alto vētus vela vtcumq; refecta percutiens, in ipsum quò intenderāt cursum Carthaginis portum opportunissimo tempore inuexit: ibi descensione facta duos Socios, alterum Lusitanum Sacerdotem, Fratrem alterum Italici generis inuenerunt, quorum audiendis laboribus adeo stupefacti sunt, vt præ illorum atrocitate suos memoratu indignos putauerint: illi enim cum alijs nostræ Societatis Indiam petentibus, cùm Olissiponis portu vela fecissent, à Bonæ spei promontorio, aduersa tempestate iactati, amisso temone in Brasiliam vsque longissimo tractu reiecti sunt. Inde ad tertias quas vocant Insulas, postea in Insulam notam D. Dominici nomine, deindè cæterorum relicto comitatu per varios casus & ingentia vitæ pericula ex Insula nauigantes in Insulam Carthaginem non multo antea peruenerant, Hispaniam cogitantes. Hæc sunt huius nouę missionis initia, quam eo feliciorem exitū habituram esse confidimus, quo per maiores molestias & vitæ discrimina in eam nostros ingredientes audimus.

CAETERVM in hoc Collegio morte sublatus est frater Andreas Benites, patria Toletanus, ætatis annorum triginta nouem. Societatis octauo olim in hac Vrbe conficiendarum acuum nobilis artifex, in domestico ministerio

Digitized by Google

sterio singulari sui & mundi contemptu quatuor annos versatus, primò assiduis capitis distillationibus comitialem morbum contraxit, quo annos aliquot miserè diuexatus, irritis omnium medicorum remedijs, tandem amens factus, amplissimam meritorum segetem nostris scholasticis præbuit, admirabilis namque extitit multorum charitas & sui ipsorum abnegandi desiderium in amentis cibo, potuque curando, eluendis pannis, sternendo lecto, cubiculo perpurgando, & intolerandi fœtoris sordibus euerrendis: credimus non alieno eius conscientiæ tempore mentis vsum ademptum: adeo enim in religione ac pietate callum obduxerat, vt in ipsa mentis ægritudine egregia quædam spectatæ virtutis documenta exhiberet: nullas enim voces edebat, nisi quibus Confessarij aures exposceret, & Deo grates ageret, quòd sibi vitam traducere in Societate concederet: nec alio nomine cubiculo exeundi potestatem sibi fieri volebat, nisi vt Confessarium adiret, & ex odeo sacramentum altaris inuiseret, quibus signis spes relicta Nostris omnibus est eum ex miserrimo & infelicissimo vitæ genere ad sempiternã beatorum gaudia fuisse traductum.

IN æde Diui Gregorij solemnia ex instituto munera Societatis, solita Indorum gratia & vtilitate à duobus Sacerdotibus & interdum à pluribus exercentur. Bacchanalium diebus circumducto puerorum agmine Christiana dogmata modulantium, magna coacta hominum multitudo, cuius docendæ, & à turpi debacchatione absterrendæ causa exposita palam Eucharistiæ pixide vehemens habita concio tribus ipsis diebus. Ad veteres conciones accessit alia recens instituta secunda feria ad Sodales & eorum vxores, quorum ardens ad omnem pietatem studium, præcipuè in visendis fouendisque ægrotis in Nosocomio decumbentibus eluxit. Sed hæc & reliqua omnia quæ hoc anno in æde Diui Gregorij gesta sunt,

Digitized by Google

communiora sunt & superioribus similiora, quàm vt illis persequendis maiorem texere historiam debeamus.

COLLEGIVM ANGELOPOLITANVM.

IN Collegio Angelopolitano & domo probationis, quæ eius terminis continetur, Societatis nostræ muneribus diligenter obeundis Indorum æquè ac Hispanorum pietas excitatur. Maior Hispanorum frequentia ad conciones sacras eas non minus frugiferas fuisse quàm crebras ex multorũ confessionibus totius vitæ haud incerta coniectura colligimus. Fœmina Indici generis, quæ apud nos inseruit pietati, ad stuprũ sollicitata constanti animo repulit impudicũ: ille repulsæ impatiens nares & ora mulieris fœdissimo vulnere concidit. Quędam iter agentem portentosæ magnitudinis serpens septé longus vlnas, incertũ vnde, inter equi pedes egressus, adeo perterrefecit, vt depellendi terroris causa confessionis præsidio Sacerdotem nostrum sine cunctatione conuenire coegerit. Alias certus confiteri cùm animum ex præscripto nostri Sacerdotis explorare ret quasi à sensibus abstractus visus est sibi videre ad seueriſſimi Iudicis Tribunal se sisti rationem redditurum: ac primò à dæmonum tetra ac minaci caterua, deinde ab Angelis admissa scelera & neglecta Dei beneficia obijcientibus acerrimè accusari, ac tandem Iudicem seuerissimo vultu, parum exporrecta manu, laturo sententiam non abſimilem, hæc pauca profatum: Quando hæc ita se habent, tu subinde moribus & vitæ rationi consulito. Ille verò sibi redditus, confessionem quam animo agitabat ritè peregit, & vitam nouam orsus, morum emendatione & specta

Digitized by Google

& spectatæ virtutis exemplo fidem facit ostensis. Qui in seminario sancti Hieronymi commorantur Hispani adolescentes literis & probitate proficiunt.

GVAXACENSE COLLEGIVM.

GVAXACAE veteri ciuium beneuolentia animorum salus septem Sacerdotum laboribus procuratur. Inter multos constituta pax, sublatis odijs, quæ ni maturè comprimerentur magnos tumultus editura videbantur. Quidam è Nostris vt tueretur Ecclesiastica iura, grauem accepit iniuriam à principe viro, & pertulit tam forti animo & placido vultu, vt mirarentur astantes, & laudarent animi æquitatem; sed iam maledicus multis calamitatibus & honoris etiam iactura, luere cœpit pœnas linguæ intemperatæ. Die nascenti Virgini sacro impetrandi apud nos Iobilei causa tanta hominum multitudo confluxit ex adiacentibus oppidis, vt nec Nostri, nec aliorum ordinum Confessarij satis audiendis confessionibus essent. Sacerdos cuiusdam ordinis affirmauit vndecim Sacerdotes in Templo suo à præbenda aure integro die non quieuisse, nec tamen omnes sacramenta petentes expiare potuisse. Indicæ gentis adiuuandæ cura non intermittitur in vico Xalatair, & constat laboris & operæ fructus vberrimus: sed nihil inusitatum. Puerorum qui legere & scribere discunt in ludo nostro magna frequentia, & maius quàm pro ætate pietatis studium: eorum verò qui ad Latini sermonis peritiam excoluntur ea pietas est in B. Virginem, vt ego victus illorum precibus & vitæ ratione sæpius postulatæ Congregationis potestatem fecerim. Quotidie in sacellum Deiparæ Virginis con-

Digitized by Google

gregati sacram corollam cœli Reginam salutantes percurrunt, & facto non pœnitendi numeri cœtu, celebriorum dierum tempus, quod ab adolescentibus huius Vrbis per luxum plerumq; conteritur, in lectione sacra & alijs ex instituto Sodalitatis honestis muneribus, insumũt: Dominica quam bacchanalium vulgus appellat, domito ætatis vitio & spreto popularium exemplo, pijs rebus intenti sese in nostris ædibus continuerunt, & die quæ subsecuta est, nouo & inusitato exemplo ad sacram synaxim accesserunt. Hac iter habens Episcopus Mecioacanensis, exceptus est ab illis venusto imprimis dialogo, & à pueris elementarijs acri disputatione de Christiana doctrina, & collaudauit Antistes illorum elegantiam, & horum in respondendo dexteritatem. Annui census quotannis augentur, & auctum iri speramus, structo torculari ad saccari artificium.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

SVB illud tempus quo studia literarum intermittũtur Casuistis fratribus Angelopolim traductis diminutus est Nostrorum numerus, sed non imminuta pia sedulitas in quærenda animorum salute. Inde commercij causa nundinarum diebus confluentes ad Dei obsequium, & habendam conscientiæ rationem pijs sermonibus sollicitati, nullaque gentis demerendæ oportunitas prætermissa. Augescente discipulorum frequentia, noua Classis Grammaticæ aperta, & additus præceptor alter non modico rei litterariæ incremento. Fœlicibus auspicijs constituta Partheniana Sodalitas, bono clientum numero, quorum ea pie-

Digitized by Google

ea pietas est, vt cum alia solemnia ex instituto Congregationis officia ritè persoluant, tum etiam semel in mense, bis singulis Aduêtus hebdomadis, ter etiam Quadragesimæ voluntarium verberationis supplicium ad quinquagesimi psalmi modulationem, incitatis ad pœnitentiam animis, obeant. Episcopo vtimur satis beneuolo, qui sororis Magdalenę Vlloæ trium in Castellana Prouincia Collegiorum fundatricis egregiam de Societate benè merendi voluntatem imitatus, omni nos amore & humanitate complectitur, & quibus potest commodis atque honoribus auget. E Nostris assignauit Sacerdotem vnum sine cuius examine atque iudicio nemini ad sacros ordines aut Ecclesiastica beneficia aditum patere voluit: quærit sibi sepulturæ locum in templo nostro, & iam ad exornandam Capellam tria millia argenti pondera liberaliter erogauit, vbi plurimas Sanctorum reliquias reponere meditatur, quæ videlicet futura præsagientes inuidi & obtrectatores commodis nostris indolentes iam illum Mexico venientem pluribus confictis mendacijs sui ordinis & veritatis prorsus immemores, à nobis alienare conati sunt, sed inani successu: Illi namque obuiam progressus Rector Collegij, illa inimicorum mendacia, non tã reconciliata quàm aucta Episcopi beneuolentia, facili momento diluit, quam vt nobis primo quoque tempore testatum faceret, secundo die post suum in hanc vrbem aduentum, cùm nondum reliqua adijsset cœnobia, inuitatus à Nostris, Collegium & Gymnasiũ inuisit, & oblatis scholarum muneribus tanta se animi voluptate affectum confessus est, vti maiorem ex re simili cepisse negaret.

QVAE in Pascuarensi Collegio gesta sunt literis mandari præfinito tempore non potuerunt: Socijs enim vicinas regiones & oppida obeuntibus, maior benefaciendi fuit opportunitas, quàm scribendi facultas.

Digitized by Google

COLLEGIVM GVADALAXARENSE.



IVIVM ad benè merendum de Noſtris hominibus ſatis propenſa voluntas, eamque teſtantur, quibus poſſunt eleemoſinarum ſubſidijs: eorum liberalitate calix inauratus, & ſacræ tabulæ pretioſum velamen filis aureis intertextum & penſilis ex argento lycnuchus noſtro templo donata, plus trecentis argenti ponderibus æſtimantur, quibus excitamentis Noſtrorum induſtriam in quærendis animorum lucris ceſſare aut langueſcere non ſinunt. Itaque non ſolum Hiſpani & Indi, ſi qui ſunt huius Vrbis incolæ, ad Dei obſequium & cultum omni laboris contentione, & quæ poſita eſt in noſtris muneribus ope excitantur, ſed Æthiopum etiam deſpicatiſſimi generis præcipua geritur cura: illis in ſacellum congregatis catechiſmus & ritè ineundæ confeſſionis, & cum animi ſalute dominis ſeruiendi, præcepta feſto quoque die traduntur. Puerorum elementarius ludus & Grammaticæ gymnaſium maiora quotidie accipiunt incrementa.

CÆTERVM obijt hoc anno P. Didacus Villegas Rector Collegij ætatis anno 37. Societatis 17. Profeſſionis 3. ille quidem Mexici clariſſimo genere natus, & nobiliſſimas totius Regni familias affinitate proximè attingés peractis Philoſophię ac Theologię curriculis optimo profectu in concionatoris munere inſigni laude verſatus eſt, quippe cui præter amœnitatem ingenij & dicendi facilitatem cum venuſtate motus, magna in permouendis animis & nectendis quocunque vellet dexteritas adeorat: ſed non fucata eloquentia & in voces ſingulas nume

Digitized by Google

meroſque ſollicita. Verùm ingenti ſpiritus impetu ſenſa animi proſequens. Nec ſolùm in concionibus ſacris, ſed in priuatis etiam domeſticorum ſermonibus & externorum congreſſu ſeria plerumque miſcebat, tantoque tractabat animi ardore, vt facilè quiuis accenſum diuino amore animum præſtantemque viri virtutem intelligeret; ſed hanc morum ſeueritatem mira lenitate ingenij & facilitate ſermonis temperabat, vt vel ob id tantum, illis qui illum de facie nouerant, charus admodum eſſet. Ex aſſidua rerum humanarum vanitatis & inconſtantiæ cogitatione, & æternæ ſalutis æſtimatione in magnum mortis contemptum ac deſiderium peruenerat: Vnde omnibus penè concionibus, Deum appellans conclamabat: ad æternæ felicitatis præmia peruenire per clementiam tuam Domine nobis liceat: cætera corporis & animi bona tanti nobis non ſunt, vt pro illorum iactura aut compendio ſollicitudinem aliquam ſuſcipiendam putemus. Familiaribus ſociorum ſermonibus vſurpare conſueuerat, lætum ſe atque lubentem mortem obiturum, dummodò extremum diem claudere in Societate daretur: & fecit verbis re & facto poſtmodum: nam Miniſtri Collegij Mexicani & Rectoris Collegij Valliſoletani muneribus ita perfunctus, vt progrediente tempore cuilibet totius Prouinciæ muneri ſatis futurus videretur: Deinde Guadalaxarenſi Collegio Rectoris nomine præpoſitus, paucis concionibus, quia plures aduerſa valetudo recuſabat, eam nominis famam apud externos etiam collegit, vt vulgò Pater ſanctus appellaretur, ac tandem vix quinque menſibus in eo munere traductis, ingraueſcente morbo, quem Valliſoleto retulerat, in lectum deijcitur, & in irritum medicorum remedijs præpoſtera curatione cadentibus deſperatur, & deſperatæ vitæ nuncium Medicorum nomine afferentem ſocium arctè complexatus riſu excepit & verbis, quibus ſignificaret ſibi nullum eo iucundiorem

Digitized by Google

afferri potuisse, precatusque vti sibi identidem suggereretur, multis sceleribus illum diuinæ maiestatis iram prouocasse: supremis Ecclesiæ sacramentis munitur. Quæ ille tanta significatione pietatis & accensis diuino amore verbis accepit, vt astantium etiam corda in lachrymas gemitusque resolueret. Itaque IESV, cuius effigiem pendentis è cruce, manu tenebat, & aliorum cœlitûm, quos ille præcipuo honore coluerat, nomina dulcissimè compellans, inter Sociorum mixtas precibus lachrymas, & certantia vota decedit. Funus eius curatum ingẽti omnium ciuium comploratione, & celebri ordinum conuentu: Regij Senatores intermisso solemni ex instituto Senatu, cum scribis & viatoribus frequentes adfuerunt: & canonici insulati supplicantium ritu curiali templo egressi, in vnum conuenêre: ibi sacrorum ordinum Rectoribus gestantibus feretrum funus ad maximam Templi capellam solemnissimo cantu deductum, & tandem funebri psalmodia, & sacro Missę peracto, humi conditum corpus tanto cœremoniarum & cantus apparatu, vt nihil præterea in Episcopi funere postulares: in alijs Vrbis & adiacentium oppidorum Templis monachi & moniales eo ordine ac pompa qua sui ordinis hominibus, parentarunt, vt vel ex honore corpori in terris habito, quæ gloriæ magnitudo fulgentem virtutum decore animum, in cœlis exceperit, aliqua ex parte possis intelligere.

COLLEGIVM TEPOZOTLANVM.

VANTA fructuum vbertate Tepozotlanus ager cultorum laboribus respondeat, ex his quæ proximis literis tradidimus facilis est coniectura, & hoc exemplo superioribus satis consi

Digitized by Google

confimili confirmatur. Virgo quædam annos nata vix ſedecim eodem die lethali febre corripitur, & ab ipſa cœlorum Regina per auguſtiſſimam ſpeciem ſe obijciente monetur, vt in tertium diem ſe comparet extremum miſeræ in terris vitæ & primum æternę felicitatis futurum. Ergo vbi conſtituta dies illuxit, domeſticos lectulum circumſedentes repentè increpare cœpit, Cedite, cedite, inquit, loco, nullane vos magnæ Matris reuerentia tenet? En ipſa multis comitata Virginibus, ipſo ſole ſplendidior adeſt: deinde hymnum elata voce canens, quo Eccleſia cœli reginam de more ſalutat, dulciſſimè efflauit animam. Duodecimo à morte eius menſe, cum ſarcophagum aperirent, reliquorum ibi iacentium cadauerum oſſa carne exeſa nuda penitus comparuerunt, Virginis verò corpus integrum ac ſolidum, & flores ſerti (quo caput redimitum erat die funeris) vernantes atque vigentes reperti ſunt, quod fidem excedere videretur, ni aliquot ſacerdotes noſtri & oppidani permulti oculati teſtes affirmarent. Cæterùm cum multis teſtimonijs conſtitit quàm ſint alieni ab ebrietate & immodicis compotationibus Tepozotlani (qua peſte maximè laborat Indorum gens) tum maximè quòd cum maiores magiſtratus diligenter inquirerent domos vbi palam aut clanculum vinum diuenderetur, cum multa paſſim in eo genere grauiore animaduerſione digna patefierent in vicinis oppidis, nihil tale Tepozotlæ repertum eſt.

MORTVVS eſt hoc anno nobilis Martinus Maldonado ſpectatæ virtutis ac prudentiæ vir, qui huius toparchiæ gubernaculum multos annos ingenti omniũ approbatione & magno rei Chriſtianę incremento tenuit. Quare ſua morte timorẽ reliquit, ne Tepozolani optimo Gubernatore & ad omnẽ pietatẽ Duce deſtituti (vt ſunt flexibiles Indorum voluntates) ad priſtina, quæ eo maxime adnitente exuerant, vitia, prauo vicinitatis exemplo

Digitized by Google

redirent; sed illi sua in omni virtute constantia altè sibi in animis Christiana dogmata insedisse, & ipsa virtutis pulchritudine captos non humanæ captandæ gratiæ cupidos morum probitatem coluisse egregiè comprobarunt. In exequijs Maldonati concionem habuit vnus è Nostris, hortatusque est nobilium ordinem vt mortui vestigijs insisterent, & in adiutæ rei Christianæ laudem splendidissimam proposito sibi exemplo, pro suis quisque viribus currerent. Gubernatoris curam omnium suffragio suscepit Petrus Velasco gener Maldonati, optimę indolis adolescens, à tenera ætate in conuictu & consuetudine Nostrorum educatus. Ex hoc Collegio cùm ad alias regiones varia suscepta sint magnæ vtilitatis itinera, tum maximè in remotos populos qui patria lingua nihil de rebus diuinis audierãt, vnde tanto concionis fauore Nostri audiebantur, vt vbi peroratum esset, cuncti auditores assurgerent concionatori gratulantes.

SEDES VERÆ CRVCIS.

QVONIAM veræ Crucis Colonia in regione posita est, quæ ad onerandas, exonerandasque classes minus commoda videbatur, consilium sæpè de traducendis alio Hispanorum sedibus à Prorege actum est: id in causa fuit, vt in oppido veræ Crucis paulatim dilapsis incolis paucæ familiæ numerentur; & quamuis in futuræ Vrbi destinata regione area nostris sedibus struendis designata est; interim tamen dum regiæ facultatis diplomata transmittuntur, tres hic Sacerdotes non modico ciuium & conuenarum emolumento versantur, à quibus vicissim tenuitas

peculij

Digitized by Google

peculij nostri,& rei familiaris angustiæ maioribus quàm pro numero & fortuna ciuium eleemosinis sustentantur: eorum enim liberalitate corrogatis sexcentis argenti ponderibus perfectum elegans Eucharistiæ domicilium, quod in ara maxima cum sanctorum Lipsanis, ea qua potuit celebritate repositum est. Cuius occasione vetus consuetudo tertia quaque mensis dominica die, palam aperiendi sacram Eucharistiam, & ad frugiferam eius vsurpationem pro concione populum adhortandi longo tempore intermissa, ingenti plebis fauore repetita est.

IN Insula Sancti Ioannis, quò naues quàm plurimæ quotannis deducuntur, Sacerdos cum adiutore vno excolendæ nauali turbæ non minus vtilem quàm laboriosam nauauit operam. Sermones habuit de rebus ad salutem animi pertinentibus, in sacello, in plateis, in littore frequentes. Confitentium numerus adeò magnus vt cum dies deficeret audienti, tempus è somno eripiendum esset vt omnibus satisfaceret. Itaque promerendæ Indulgentiæ causa plures in nostro sacello octingentis cœlesti pane refecti sunt. Insulani etiam quoniam magnopere lætantur & proficiunt Nostrorum conuictu, & ægerrimè ferunt discessum, interdum per anni tempus inuisuntur.

VICINA quoque Indorum oppida adeuntur, quæ cum propter oppidanorum paupertatem destituta Parochorum solatio, vitam plenam miserijs omnibus exigant, magnopere recreantur Nostrorum aduentu, & officijs: & vt illis perpetuò fruerentur ab Episcopo enixè postularunt, vt sui curam nobis committeret. Inter primores illorum inimicitiæ graues & inueteratæ multorum annorum decursu, intestinis odijs exercebantur, detestabili popularium exemplo: sed in frequenti oppidanorum cœtu cum socius pro concione bona pacis extuliſſet, lenita ferocia in mutuos amplexus & iniuriarum condonationem, Deo fauente, perduxit iratos.

SEDES

Digitized by Google

SEDES ZACATECANA.

CONSTITVTI munera, læto fructu Nostrorum laboribus respondente cum Hispanis, qui Zacatecas incolunt, assiduè exercentur: nec tamen ideo Indorum vtilitas intermissa, aut languenti cura procurata. Ac licet ea, quæ acris Nostrorum contentio in his argenti fodinis excudit, communia pleráque sint, & alibi vsu penè recepta quotidiano: pluris tamen, si gentis mores & studia consideres, facienda putabis: sunt enim Zacatecani Indorum Occidentalium ferociſſimi, & certaminum, ac cædis, ad quam diebus maximè festis duello se prouocant, cupidissimi. Sed quia nihil tam durum atque asperum quod diuini sermonis malleo ac viribus frangi & emolliri non possit, explicationibus catechismi & concionibus quæ ad illos festo quoque die ingenti labore coactis habentur, & institutа nuper Sodalitate, & quod caput est aliquali sacramentorum vsurpatione cum alia animi vitia reuocatis ad honestatē animis exuere cœperint, tum maximè fundendi sanguinis cupiditatem, & immoderatè potandi libidinem abiecerunt.

AD vicinos pagos crebræ excursiones suscipiuntur: & quia ad pacis & humanitatis studia magis propendent incolarum ingenia, minori laboris contentione fructuum vbertate lætiores. Certant ciues studijs, vt gliscente munerum Nostrorum frequentia increbrescant suæ liberalitatis officia, quibus se gratos Sociorum industriæ, & memores laboris ostentent: nam præter communes eleemosynas, quæ quotidiano Nostrorum victui abundè suppeditant,

Digitized by Google

ditant, Dux Caldeira bellica virtute in his regionibus clarus, argenti pondera mille, quæ nobis cum fide annumerata sunt, in vsus nostros testamento legauit, & ab argenti fossore & alijs ciuibus nostri ordinis studiosis bis mille & septingentis collata sunt argenti pondera. Sed ne rebus prosperè gestis & fauente ciuium voluntate intumescerent Socij, aut in studio veræ humilitatis refrigescerent, excitata à quibus minimè debuerat sacri cuiusdam ordinis fratribus tempestate, diuino permissu exerciti sunt. Rem breui perstrictam accipe.

RELICTA veteri domo, quod in ea esset Vrbis parte quæ nostris muneribus exercendis valdè incommoda videbatur, in alias ædes intra cannas eorum fratrum contentas migrauerant Nostri. Id quamuis Prætor Vrbis & Proepiscopus publico diplomate comprobauerant, Superior tamé Monachorum iniquissimo animo tulit, & grauioribus iracundiæ stimulis agitatus, vbi de commigratione Sociorum constitit, facta suorum manu non sine armis sacellum, vbi Nostrorum quidam sacris operabatur, ingenti strepitu ac tumultu ingreditur; multaque in dedecus & ignominiam nostræ Societatis palam vociferatus, structam ad sacrificandum aram, & in qua tum Sacerdos sacrum Missæ faciebat, solito nudat ornatu, & superimposita sanctorum signa deturbat. Res erat confusionis plena, nullus modestiæ, nullus religioni, ac pietati locus; omnia iracundia & dolore gerebantur, patella & sacra lintea quæ corporalia vocitamus, humi inter iratorum pedes per summam indignitatem trahebãtur; nec Sacerdotis maior reuerentia fuit, ille à re sacra quam ad gloriæ hymnum perduxerat, nequidquam quid de interpellando sacrificio Missę Pontificum decreta seueriſſimè caueant, iterum ac sępius obtestans, asperioribus verbis & probris etiam compellatus amouetur à re sacra. Actum deinde ignominiosis verbis de Nostris ad

veterem

Digitized by Google

veterem domum traducendis: & quidem ipsi monachi sæpe iurabant, nisi Nostri sponte discederent, se eos vi, fustibus, & igne ædibus admoto, si opus esset, coacturos: & minis faciebat profecto fidem cæcus eorum furor. At Nostri cedendum iræ ac tempori rati, memores atque æmuli modestiæ ac tolerantiæ maiorum, nullo edito amarioris animi signo, nihil tamen de suo iure cedentes, desertas ædes repetière, quo humilitatis & moderati animi exemplo ciuium animi nobis antea multis officijs conciliati, magis ac magis astricti sunt. Et quamuis per aliquot dies familiares nonnulli congressu Nostrorum abstinuerunt, ne si Nostros palam alloqui & conuenire viderentur, monachorum inuidiam & sopitum odiorum ignem excitarent: tamen vbi procella detonuit, ad veterem nostræ consuetudinis vsum egregijs optimæ suæ erga nos beneuolentiæ documentis redière.

SEDES CINALOÆ.

COMMVNES litteras quæ longitudine itineris & penuria tabellariorum statotempore transmitti non potuerunt, ex priuatorum litteris compensauimus. Cuiusdam litteris cognitum est Sacerdotem cum fratre coadiutore eò destinatos, vt reliquos Sacerdotes quinque & coadiutorem vnum Prouincialis nomine inuiseret, ac solaretur Cinaloam incolumes peruenisse, eorumque aduentu cum alijs omnibus Socijs & Hispanis gratum accidisse, tum etiam quòd viginti militum manipulum ad reficienda vetera præsidia secum pertulerant. Pleroſque etiam Indorum populos nobis hospitibus salutationis officia per legatos detulisse,

Digitized by Google

detuliſſe,& Hiſpani Præfecti lenitate morum & comitate in dies lætari magis:Hiſpanorum conuictu,& ſuſpiciones ineptas quæ illos ab Hiſpanis ſecuros eſſe non ſinebant,paulatim deponere: paucos quoſdam(ductu creditur & auſpicijs Hacabeuæ turbulentiſſimi hominis) eò audaciæ prouectos,vt tribus ab Hiſpanorum colonia leucis Barbarię & Matapanis pagorum templa per ſummam impietatem accenderint, & tertio ab oppido lapide equos Hiſpanorum ſagittis eminus impetentes traiecerint, ijs iniurijs laceſſitum Hiſpanorum Præfectum vlciſcendi libidine percitum aliquos ſacrificulos & Guazauenſes quoſdam,qui in necem Sociorum conſpiraueranr, in carcerem condidiſſe, miſſis quindecim militibus, qui vnum è coniuratis comprehenderent illum cum ducentis armatis obuiam prodiiſſe, ſed diuinitùs immutata Guazauenſium mente, citra certamen & pugnam coniurationis ſontem datum Hiſpanis,eumque ac reliquos nefarij ſceleris conſcios propediem capite plexum iri:plurima vtilitate Noſtros ibi verſari, præſertim Quadrageſimæ qua vnus tantum Sacerdos plures octingentis audiuit confeſſiones:Viros duos, quos præceps in omnem licentiam naturæ cupiditas malo exemplo corruperat, petulantia poſita dum ſacrum peragebatur, in genua fuſos, petita errorum publicè venia, in ſua terga funibus ſæuiſſe.Sanctioris hebdomadæ ferijs Pœnitentium ſupplicationes ad cruces & è ramalibus ſtructa ſacella deductas,in omnibus oppidis, tanto certamine animorum, vt nihil præterea in veteribus Chriſtianæ religionis cultoribus requirere meritò poſſes. Hos à ſuſcepto Dei cultu recentiſſimos diuinæ legis capita ordine percurrentes, animi noxas, tam ingenuo candore & aperta ſimplicitate, doloriſque ſignificatione patefacere, vt Confeſſarij ſatis mirari non poſſint. Fuiſſe tenera ætate puerum, qui interrogatus à Sacerdote quis ſibi videretur peccatorum

ſanie

Digitized by Google

ſanie deformatis animis ſalutarem medicinam afferre poſſe, ſapientiùs quàm pro ætate & initæ religionis tempore reſpondiſſe: Nullum neque ex cœlitûm numero, neque ex hominum genere, ſed Deum opt. & Sacerdotem dumtaxat Dei verbis quibus abſolutionis formula continetur.

LITERIS datis 19. Nouembris denunciat alius nunquam rem fuiſſe ibi tranquilliorem Hiſpanis colonis. Pacatis circa Barbarorum populis expeditam eſſe Noſtris Euangelij prædicationem, & liberos ac ſolutos metu Sacerdotes, Indorum pagos & oppida percurrere: indigenas verò paulatim ſicuratos inſitam animis feritatem exuere, vulgò ſine armis inter Hiſpanos vagari, & apud illos ſuam vltrò locare operam, & nuditatis ſuæ iam pudere: patefactis nuper argenti fodinis colendis, alacrem ac libentem nauare operam.

NOVO familiarum ſupplemento aucta eſt vetus Hiſpanorum colonia, & agitur cum Prorege vt alia deducatur, eam magnum momentum rei Chriſtianæ promouēdæ allaturam eſſe omnes affirmant. Ex regione Topia Cinaloæ contermina litteris 20. Aprilis reſcriptis affertur Chriſti cultum eos progreſſus in ea regione feciſſe, vt inueniatur qui reconciliationis ergô ſex leucas pedibus emenſus terque quaterque Sacerdotem adierit. Argenti quoque foſſoribus in tres pagos diſtributis Quadrageſimæ tempore omnia quæ per tempus licuit officia à Noſtris delata ſunt. Ianuario verò menſe anni nonageſimi noni accepimus Hacabeuam & Orocum à Lanzarote Teueco (qui noſtros homines & Hiſpanorum amicitiam optimis ſemper coluit officijs) fuiſſe comprehenſos & traditos Hiſpanorum Præfecto, qui exercito capitali iudicio multorum ſcelerum conuictos, raptatos primùm in patibulum adegit. Hacabeua antequam patibulum aſcenderet baptiſmatis aquam, diuinitùs immutata

Digitized by Google

tata mente, postulauit: & Orocus acerrimo doloris sensu priorem vitam abominatus, confessionem obiuit; datum id credimus Patris Gondisalui Tapiæ meritis, quem illi ante annos quinque in oppido Teporoue crudelissimè interfecerant. Supplicij atrocitate latè fuso terrore, Barbarorum mentibus insedit, nemini suam improbitatem impunè cessuram.

SEDES GVADIANA.

MAXIMA hîc fructuum vbertas & copia, sed incredibilis metentium labor: quinque enim Sacerdotes, quos alit Guadiana Sedes inter barbaras gentes, & fluxæ ac dubiæ fidei populos per aspera rupibus iuga, cœnosasque paludes toto anno pererrant, vt homines Christi sanguine redemptos ab infelicibus errorum vepretis ad læta Euangelij pascua traducant, & nuper ad Christi cultum reuocatos bonis moribus imbuant, & in officio & fide contineant. Præcipuæ excursiones ad Salicetum & Paludis accolas, & Sanctæ Mariæ populos factæ sunt toto anno. Gentis rudes & inconditos mores, diabolicas fraudes, & Euangelicæ prædicationis statum, ex litteris Sacerdotis, qui squallentem agrum inuertit, Paternitas vestra poterit intelligere, quibus latinè redditis hanc fermè narrationem prosequitur.

INTER Indos Zacatecas multi Ethnici numerantur: vel quia doctorum penuria Euangelij nuncium audire non potuerunt: vel quòd libertatis dulcedine capti, ciuilis vitæ cultum auersati, pecorum ritu per salruosa loca palantes, vagique, herbis & arborum siluestrium siliquis & baccis victitantes, vitam propagare

Digitized by Google

gaudeant. Horum quia nactus eram aliquam sermonis peritiam, & nostra ipsi consuetudine & amicitia maximè omnium Indorum huius regionis delectantur; Illis excolendis, & ad numinis cognitionem perducendis toto ferè anno operam dedi: ac primùm redditis eorum sermone catechismo & diuinæ legis præceptis (quæ eorum multi celeriter arripuerunt.) Confessiones deinde audiendi laborem suscepi. Eorum diuturno congressu multa didici, vt illorum miseræ fortunæ magis me misereret: Etenim vt abiecti & seruilis ingenij plerumque sunt Indi, iniecto sui timore, dæmon miserrimæ seruitutis iugum portare indignissimè cogit: Nam testimonio multorum, quos ego seorsim interrogaui, se illis dæmon per speciem tetri ac minacis Aethiopis, oculis, & naribus cruentis, ore flagrante, identidem obijciens, superstitiosas choreas, & vino sese ingurgitare, & teneram prolem interficere iubet, addens imperio minas, si mandata complere recusent: illicò immissa morte pœnas inobedientiæ luituros. Inde consuetudo inoleuerat, vt quoties è terra ventorum turbo consurgeret, aut exhalationes accensæ per aëra ferrentur, illicò se humi prosternerent Caciuipa (dæmonis id nomen) repetentes. Interrogati cur id faciant, respondent, in eo turbine dæmonem ferri, timere se ne ab illo plectantur, si illud reuerentiæ genus exhibere cunctentur. Sed nos immoti ad eorum aspectum perstantes, inanem dæmonis fraudem paulatim eos dedocemus. Constans inter eos obtinuit multorum sermo, paucis ab hinc diebus, truci aspectu, exiguis & actis introrsum oculis, Aethiopes in Palude visos, qui accolas præmonebant, ne aduentantibus Patribus fidem haberent. Si eorum monitis imprudentes annuissent, illicò immisso morbo omnes abolitum iri. Hæc vafri veteratoris commenta præpostera credulitate deceptis Barbarorum animis, ita adhæserunt, vt cùm illis

Digitized by Google

illis diu multumque pugnandum fuerit, vt paruulos liberos baptismi aqua lustrari permittant; ita illis in animum induxit dæmon, tinctos sacra lympha pueros breui tempore morituros. Simili fraude decepta vetula quædam de neptis morbo multos dies, quærentem me per domos, ægros celauerat; spectatæ virtutis Neophitus id mihi renunciat: Ego nulla interposita mora domum vetulæ profectus, neptem viribus consumptam & membris planè rigentibus inuenio; Eamque vix confessione expiare potui. Huiusmodi ergo metuens exempla, vbi primùm in pagum, aut mapalia perueni, domum circumiens per impigros & fideles exploratores morbo decumbentes inquiro. Persuasit mendacij author & parens huius regionis incolis, se dominum vitæ ac mortis esse, suo iussu quemque vita defungi, vt occupatis suo terrore animis turpia quælibet persuadeat. Vnde nocturnis somnijs dæmonis arte sæpenumerò excitatis, velut diuinis oraculis & ostensis præcipites credunt. Mulier quæ paucis ante diebus peperierat, cùm noctu somniasset vicinos morti esse cognatos, vbi primùm euigilauit, iniecto pede puerum præfocauit, credens se filij nece imminentem cognatorum capitibus dæmonis iram auertere: id vrgentibus parentum aut cognatorum morbis patria superstitione sæpè fieri præcipuè inter Paludis accolas & Zacatecanos certum est.

IN pago ad ripas fluminis, quod à Nassis nomen accepit, extinctis morbo reliquis accolis superstes fuerat quidam, qui cùm ad me Catechismi causa venisset, dum fortè alium ex alio sermonem ducit; Hìc, inquit, non multis ante diebus cognati, amici, & populares vnà mecum insidebant, quos Cacuipa ad vnum interfecit, & me solum ex magno eorum numero reliquit: ego miseratus hominis vicem quanto in errore & fraude versaretur, multis ostendi, nihil iuris dæmoni in homines

esse, nisi Deo permittente: ab illo res omnes ex nihilo conditas, & illis vitæ metas, quas prætergredi non liceat, præstitutas. His atque alijs de diuina prouidentia beatorum præmijs & damnatorum cruciatibus vtcumque disputatis, quasi alto excitus veterno, senex lucem Euangelicæ veritatis cœpit intueri, & baptismi aquam ardentiùs appetere: nec multò pòst satis instructus catechesi, baptismi fonte renatus, sedes mutauit in pagum Neophitorum: vnde mira dicendi cupiditate, & desiderio ac spe salutis æternæ, frequenter templum aduentat. Alij adulta iam ætate Zacatecani baptismo lustrati sunt, & in pagos contributi. Nam dum vagi montes perrerrant, nulla propemodum spes est fore, vt acceptam & datam Christianam fidem tueantur. Mirum quàm profusam animi lætitiam præ se ferant, qui baptismum impetrauêre. Contrà verò à sacro excluſi fonte tristi vultu, demissis in terram oculis, & obstipo capite incedunt, vt toto corporis habitu repulsam Patris conqueri videantur. Grauiter verò affecti in valetudine sua, vitæ atque animi periculum, si morbus ingrauescat verbis augendo, æternæ vitæ aquam eblandiuntur. Magni foci pietatem nobilis cuiusdam fœminæ, quæ non ita pridem Christianam fidem complexa, mapalia lustranti mihi multis popularibus comitato, attulit vetulam morbo languentem, enixè petens vt mulierem baptisarem, ne ea, quæ in manibus erat elapsa opportunitate, ingrauescente morbo cum vita simul animi sempiternam felicitatem amitteret. Ex parvulis Christianorum filijs recèns baptismo ablutis, viginti, & ex adultis nonnulli opportuno tempore morte sublati.

ILLA detestabilis cõsuetudo inter eas gentes viget, vt nubiles filias liberas quocunque velint adire permittant, nihil de earum pudore curantes. Quare ætatis vitio feruentes, corporis prodigæ in turpitudinum cœno multos

tos annos plerumque volutantur antequam legitimis nuptiis marito iungantur, quem illæ summa leuitate assumunt, repudiantque vicissim, nulloque habito religionis discrimine nefanda miscent coniugia. Hæc incommoda & alia fortè maiora, ex diuturna doctorum penuria profecta, magna ex parte sublata ijs qui olim Christo nomen fidemque dederunt, vel confessione expiatis, vel Ecclesiæ ritu matrimonio coniunctis, doctisque parentibus vti filiarum curâ gerere debeant. Hæc vsque Sacerdos ille, qui multis laboribus in eam frequentiam coloniam perduxit, vt ea plus mille Indis incolatur, qui partim Regis impensa, partim terræ fructibus, quam iam colere incipiunt, vitam traducunt. Quotidie summo mane in templum coactis traditur catechesis, quam pueri, adolescentesque facilè discunt: cum prouecta & ingrauescente ætate maior explicandi labor, vt quò propius ad senectutem accedit ætas, eò magis memorandi & intelligendi vis & facultas illis obtundi videatur. Voluit Deus aliquibus signis ostendere baptismi aquam non solùm animis, sed corporibus etiam salutarè: quod cum è suggestu persuaderet Sacerdos, è media populi concione assurgés fœmina, puerumque manibus offerens, En, inquit, puerum quem morbo correptum baptismi aqua perfundens Pater, optatæ quoque valetudinis compotem fecit. Puero alteri tertiana febri diu laboranti magna sanguinis copia, nunquam insistente fluuio è naribus profluebat, atque eò peruenerat, vt eius vitam omnes desperarent; sed vbi baptismi rorem capite excepit, & lustralem aquam potauit, sanguis quoque quasi manu retentus fluere desiit: quibus exemplis veterum superstitionum fides euanescere cœpit, & Barbari pueros ad baptismum certatim afferre. Ceruorum capita (vetere gentis superstitione) vt valetudinis numina venerantur. Cum Sacerdos morbo decumbentem fœminam adiisset, multa capita affixa parieti, & certo ordi

ordine, disposita inuenit, suspicatúsq; id quod erat, subesse superstitionem, inde detrahi & in rogum abijci iussit, cumq; senes quidam qui ibi aderant præmonerent & obtestarentur omnes quos fumus ambustorum capitum afflaret, subita, nec opinata morte extinctũ iri, nihil proficientes inani vaticinio ne suorum Numinum incendio interessent, ne quidquam retinere conante Sacerdote, dilapsi sunt.

VITA functos multis lachrymis & diuturna lamentatione deplorant, & circa sepulchrum horrenda vociferatione choreas exercent, mortui res gestas, mores, & studia memorantes. Pachorum natio perhibetur ægrotos morti proximos antequam extremum spiritum edant humi condere solita, quòd eum qui exanime cadauer aspexerit, diu viuere non posse crediderint. Alij paruorum liberorum morte minimè commouentur, imò matres ruptis naturæ fœderibus pueros sæpè præfocant, præsertim primogenitos: sic prolis quasi libamina dæmoni offerre se putant. Neophiti religioso tripudio, & festa saltatione, cantuque Dominicæ Natiuitatis noctem celebrarunt, eosque Pater die sequenti celebri excepit conuiuio, quo officio adeò eorum voluntates obstrinxit, vt vulgò dicerent Barbari, se nulla ratione permissuros vt Pater inde discederet. Die Epiphaniæ Domini sacro multi solemni pompa baptismo lustrati, & multorum nuptiæ celebratæ. Ex Saliceto accepimus, fœminam floridæ ætatis, ne animam adulterio pollueret, vitam multis laceratam cruciatibus reddere maluisse. Idolum in illis regionibus inclytum proditum.

DE MISSIONE sancti Ludouici Pacati, qui maximè Nostrorum laboribus & industriæ fructus propositus est, pacis & quietis Cichimecarum ferocissimæ gentis, perceptus est. Reliquum erat, vt de Viceprouincia aliquid diceremus, sed quamuis multa suppetebant,

commo

Digitized by Google

commodiùs tamen visum est, vt ea diligentiùs explorata & accuratiùs scripta à Patre Visitatore, qui in Philippinas insulas duobus Sacerdotibus, & Coadiutore vno comitatus hoc anno nauigauit, ad sequentis anni litteras reseruentur.

FINIS ANNI 1598.

Laus Deo, & Virgini Matri.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google